This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

https://books.google.com

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Pax

Est Stae. Mae de Montesenato O.S.B.
Congr. Cas. a P. Obs.
In Catalaunia Hispaniae

SACRÆ LITURGIÆ PRAXIS

JUXTA

RITUM ROMANUM

Digitized by Google

Digitized by Google

SACRÆ LITURGIÆ

PRAXIS

JUXTA RITUM ROMANUM

IN MISSÆ CELEBRATIONE

OFFICII RECITATIONE ET SACRAMENTORUM ADMINISTRATIONE SERVANDA

CURA

P. J. B. DE HERDT

CANONICI ECCLESIÆ METROPOLITANÆ MECHLINIENSIS, SACRÆ LITURGIÆ ACADEMIÆ ROMANÆ CENSORIS

—

TOMUS I

COMPLECTENS RUBRICAS GENERALES MISSALIS, ET RITUS SERVANDOS IN CELEBRATIONE MISSÆ PRIVATÆ ET SOLEMNIS

—

EDITIO DECIMA



LOVANII

EXCUDEBAT JOSEPHUS VAN LINTHOUT

UNIVERSITATIS TYPOGRAPHUS

—

1902

Digitized by Google

L'AUTEUR SE RÉSERVE LA PROPRIÉTÉ ET LA TRADUCTION

Digitized by Google

ENGELBERTUS,

Miseratione Divina Tituli s. Bartholomæi in insula S. R. E. Presbyter Cardinalis Sterckx, Archiepiscopus Mechliniensis, Primas Belgii, etc.

Opus cui titulus : *Sacræ Liturgiæ praxis*, a Rev. Domino PETRO JOANNE BAPTISTA DE HERDT, diœcesis nostræ presbytero conscriptum, approbamus et Clero nostro commendamus.

Datum Mechliniæ, die 4 Februarii 1851.

Engelbertus, Card. Arch. Mechl.

Mechliniæ, 21 Januarii 1855.

REVERENDE DOMINE,

Facultatem tertia vice edendi utilissimum opus, quod de sacra liturgia scripsisti, lubenter concedimus, spe certa confidentes istud magis magisque collaturum ad sanctissimum Missæ sacrificium cæterasque functiones sacras digne ac decenter peragendum.

Sincero cordis affectu permanemus

humillimus tuus famulus,

Engelbertus, Card. Arch. Mechl.

Digitized by Google

Digitized by Google

LECTORI.

Præsens opus inscribitur SACRÆ LITURGIÆ PRAXIS, quia versatur non tam circa originem et demonstrationem sacrorum rituum, quam circa modum et ordinem eosdem observandi et exercendi.

Constat sex partibus, quarum prima agit de rubricis generalibus missalis Romani : secunda de missa privata et solemni. variisque ritibus et ministris, qui ad missam privatam et solemnem celebrandam concurrere possunt; tertia de defectibus missæ; quarta de breviario Romano, ejusque rubricis generalibus, ac cæremoniis in officio divino servandis; quinta de officiis et festis per annum; et sexta de rituali, seu ritibus in Sacramentorum administratione servandis : ita ut contineat et explicet omnes ritus et cæremonias, quæ parochos, sacerdotes et ministros inferiores afficiunt et obligant. Tomi distinguuntur numeris, et numeri tum notis, tum quæstionibus et responsionibus, prout rei tractandæ aut memoriæ juvandæ magis convenire visum fuit.

Rubricæ missalis et breviarii præponuntur suis titulis et numeris, in quibus de iisdem agitur, ut lector videat et discernat, quænam sint rubricæ, quidque præscribant et præcipiant; quænam autem auctorum placita et opiniones.

Ubi sententiæ contrariæ, sed utrimque bene fundatæ occurrerunt, sæpius judicavi non temere discernere hanc vel illam esse sequendam; sed potius lectorum judicio remisi, ut illam eligant, quam magis fundatam vel rubricis conformiorem, aut consuetudine firmatam invenerint.

Consuetudinem existentem sæpius annotavi, sed regulariter non reprobavi, quia hoc meum non esse judicavi; potius ratus sum tom. I, n. 10 specialiter et generaliter agere de consuetudine, ut quisque ibidem dicta consuetudini peculiari applicando, discernere queat, quænam in mate-

Digitized by Google

ria rubricarum consuetudo sequenda, toleranda vel reprobanda sit.

Materiæ amplitudo, eamque confirmandi et probandi opportunitas, libros duplo plures conscribendos exegissent : dicta exinde multo magis stabilita fuissent; brevi tamen et compendiosa methodo potius uti volui, ut nullum ab utili et sæpius necessaria lectione ac studio deterrerem. Præterea probationis defectum citationes auctorum et decretorum abundanter supplebunt.

Brevior etiam esse potuissem, scribendo sola communia et cuique scitu necessaria : sed quum exinde plura omnibus utilia et aliquibus etiam necessaria omitterentur, negligerentur, et etiam oblivioni traderentur, unde plures abusus oriri necesse fuisset; cuilibet magis expedire videbitur, brevi compendio totius s. liturgiæ praxim complecti, et in fine ultimi tomi generali indice opus absolvere.

Sincero animo ac bona fide totum opusculum scripsi; si tamen a vero rubricarum sensu aberraverim, supremo S. R. C. judicio me meaque scripta submitto.

In hunc finem exemplar tum primæ tum secundæ editionis Romam ad S. R. Congregationem mittere volui. Utraque hac occasione S. R. C. Secretarius et exemplaria libenter suscipere, et opus laudare dignatus est.

Oblato pariter Suæ Sanctitati, secundæ editionis exemplari, sequentes gratissimo animi sensu litteras accepi :

« Perlatum est ad Maximum Pontificem Pium IX una cum
» tuis litteris, quæ filialis in Eum observantiæ ac pietatis tuæ
» sensibus mirifice præstant, exemplar operis de sacra Litur-
» gia juxta ritum Romanæ Ecclesiæ a te, Illme ac Rnde Dne
» exarati, quod gravissimo istius Mechliniensis Archiepiscopi
» Cardinalis testimonio probatum et commendatum mox typis
» in lucem publicam editum est. Etsi porro ob gravissimas
» supremi Apostolatus curas et occupationes nihil quidquam
» de tuo eodem opere Sanctitas Sua adhuc potuerit degustare,
» gratissimum tamen Ei accidit officium tuum, ac tibi Eccle-

Digitized by Google

» siasticæ disciplinæ studiosissimo majorem in modum Ipsa
» gratulatur. Meis idcirco litteris pro oblato munere ipsi tibi
» Sanctitatis Suæ nomine gratias persolvo, atque una cer-
» tiorem te facio de Benedictione Apostolica, quam in veræ
» omnis prosperitatis auspicium ab benignissimo eodem Pon-
» tifice assequutus es.

» Hæc cum tibi significo, occasionem libenter arripio sen-
» sus tibi profitendi obsequii mei, Illme ac Rnde Dne, cui
» fausta ac salutaria omnia enixe precor a Domino.

» Tui, Illme ac Rnde Dne,

» Dat. : Romæ, die 14 Septembris 1853. »

« Humillimus et Addictissimus servus,

» DOMINICUS FIORAMONTI,
» SSmi Dm Nri ab Epistolis latinis. »

IN QUARTAM EDITIONEM.

Hujus operis successus meam admodum superavit expectationem. Patriam ego singulariter spectabam; opus vero non tantum vicinam Hollandiam et Galliam, sed et Germaniam, Helvetiam, Angliam, Italiam, Poloniam, Americam, etc. pervasit.

Interea multum de liturgia scriptum ac disputatum fuit. Criticæ etiam observationes non defuerunt. Omnia ista diligenter colligere et annotare curavi, iterum examinavi et inter se contuli. Quæ probata et fundata videbantur admisi; reliqua neglexi vel refutare studui.

In hac quarta editione aliorum suasu citationes ad imam paginæ partem retuli, ut textus clarior breviorque evaderet.

Ad generalis indicis usum facilitandum, non tantum numeri majores in singulis tomis ab initio usque ad finem apponuntur, sed etiam primus ex his numeris, qui in qualibet priori pagina ponitur, et ultimus in altera, supra in margine inter parenthesin imprimuntur.

Decreta S. R. C. ex sola authentica collectione Gardelliniana citavi, duplicique numero indicavi, priori scilicet, uti

Digitized by Google

in duabus primis editionibus, et altero, uti in novissima tertia editione ponuntur.

In tribus præcedentibus editionibus adhibueram missale Romanum Romæ impressum 1845, typis Clementis Puccinelli, via lata n. 211, ad forum collegii Romani; breviarium Romanum Romæ impressum 1843, typis Josephi Salviucci et Francisci Filii; item rituale Romanum Pauli V Pontificis Maximi jussu editum, et a Benedicto XIV auctum et castigatum, Romæ impressum typis S. Congregationis de propaganda fide, anno 1847.

Pro hac autem quarta editione *accuratissimam editionem* missalis Romani, Romæ 1861 typis Josephi Salviucci et Francisci Filii impressi, litteraliter sum secutus.

Breviarium recentioris etiam editionis consulere volui, scilicet Romæ typis Josephi Salviucci et Francisci Filii 1857 impressum, in duas partes divisum. In hoc quædam desiderantur, quæ in editione supradicta 1843 habebantur : ita tit. X, n. 1, omittuntur : *Si autem festum Purificationis B. Mariæ venerit in aliqua dominica 2 cl. transfertur in feriam secundam sequentem quamvis impeditam; idemque est de Annuntiatione B. Mariæ;* tit. XI, n. 2 : *Sancti Joseph sponsi B. M. V.;* ibidem n. 7 : *Exceptis diebus octavis festivitatum B. M. V., etiam particularibus alicujus religionis, in quibus de sequenti fit tantum commemoratio.* Item tit. XI, n. 6 et tit. XXI, n. 3, quædam occurrunt variationes, quæ tamen menda tantum impressionis esse videntur. Cum autem utraque editio debite sit approbata, et utra lectio sit præferenda mihi non constet, minutis tantum, quæ menda videbantur impressionis, correctis, textum editionis 1843 potius retinendum, quam temere quid omittendum vel immutandum judicavi.

IN SEXTAM EDITIONEM.

Quintam hujus operis editionem in paucis correxeram, et pluribus auxeram additionibus, ut in præfatione notaveram.

Digitized by Google

Deinde edito alio opere sub titulo *Praxis Pontificalis, seu Cœremonialis Episcoporum practica expositio, in usum Cathedralium aliarumque majorum ecclesiarum, sœcularium aut regularium, ubi officium solemniter celebratur,* in tribus pariter tomis, atque otio tum habito, Sacram Liturgiæ Praxim iterum funditus examinavi, pluribusque adhuc auxi additionibus, sive brevioribus sive etiam longioribus, videlicet 240 circiter in quinque prioribus partibus.

Sextam autem partem, quæ in præcedentibus quinque editionibus, præcipue quidem Rituali Romano, uti decebat et oportebat, aliis tamen particularibus ritualibus seu pastoralibus, in quantum licebat, etiam accommodata fuerat, ut pluribus inservire et prodesse valuisset, soli Rituali Romano in hac sexta editione accommodavi.

Hujus mutationis ratio est, quia plures Illustrissimi ac Reverendissimi Præsules zelo domus Dei excitati, pietate erga Ecclesiam Romanam, cæterarum matrem et magistram, promoti, ac maximo uniformitatis et unitatis bono convicti, particulare rituale relinquere judicarunt, ut Romanum assumerent, ejusque ritus et cæremonias servarent.

Inter illos dignissimus Archiepiscopus noster, Eminentissimus ac Reverendissimus Dominus Victor Augustus Isidorus cardinalis Dechamps in Synodo diœcesana, quam anno 1872, prima vice post ultimam Synodum diœcesanam Mechliniensem anno 1607 habitam, solemniter celebravit, decrevit n. 212 : *Ut Ecclesiæ unitas, quæ in eadem fide ac sub uno visibili capite, Beati Petri succcssore, Romano Pontifice, coalescit, in sacris etiam Religionis nostræ cæremoniis magis magisque eluceat, statuimus, ut in Sacramentorum administratione aliisque ecclesiasticis functionibus, omnes totius diœceseos sacerdotes utantur Rituali Romano, jussu Pauli V edito, quod receptos et approbatos catholicæ Ecclesiæ ritus complectitur.*

Prævidere licet, quod horum celeberrimorum Præsulum exemplo omnes Ordinarii excitati et confirmati, Rituale Romanum brevi sint recepturi, ejusque usum clero suo præscripturi. Tanta igitur, Deo dante, mutatio efficit, ut solum nunc Rituale Romanum explicare et sufficiat et expediat.

Digitized by Google

Hæc tamen Ritualis Romani explicatio liturgica in usum etiam illorum, qui particulare rituale hucusque retinent, æque haberi poterit, quatenus ritus essentiales et etiam principales ubique conveniunt, et Ritualis Romani cæremoniæ in normam ac regulam toto terrarum orbe deservire debent.

Sexta hæc pars, post receptionem Ritualis Romani in diœcesi Mechliniensi, bis seorsim impressa sub titulo *Praxis liturgica Ritualis Romani*, inscio auctore, Romam delata est. Eminentissimus ac Reverendissimus Dominus Cardinalis Bartolini, tunc temporis Sacræ Rituum Congregationis Secretarius, sequentes litteras gratiosas ad eum dirigere dignatus est.

Perillustris et Rme Domine,

Examen institui in egregio tuo opere Liturgico, cui titulus « Praxis Pontificalis seu Cæremonialis Episcoporum practica expositio in usum cathedralium aliarumque majorum Ecclesiarum, sive Sæcularium, sive Regularium, ubi officium solemniter celebratur »; simulque in altero opere, quod inscribitur : « Praxis Liturgica Ritualis Romani ». Utrumque opus inveni adeo perfectum, ac numeris omnibus absolutum, ut nihil desiderandum remaneat. Gratulor ergo tibi, Reverendissime Domine, de tua summa peritia in Sacra Liturgia, et de fructibus quos eris ex tuis laboribus percepturus in Clericis excolendis, ut recta Rituum observantia sacras peragant actiones.

Me interim velim, ut ex corde habeas

Tui, Rme Domine,
Addictissimum Famulum,
Dominicum Bartolini.

Ex Secretaria Congregationis Sacror. Rituum
die 16 Decembris 1874.

Rmo Duo P. J. B. De Herdt,
Ecclesiæ Metropolitanæ Mechliniensis Canonico.

Digitized by Google

IN SEPTIMAM EDITIONEM.

Post sextam hujus operis editionem publicata est *editio accuratissima* Breviarii Romani in typographia Polyglotta S. C. de propaganda fide 1877.

Edita etiam est appendix quarta decretorum authenticorum Sacræ Rituum Congregationis ab anno 1868 usque ad finem anni 1877, sive a numero 5386 usque ad 5715.

Item publicatum est hoc anno 1882, 28 Julii Breve SS. D. N. Leonis XIII de non transferendis festis duplicibus minoribus et semiduplicibus.

Ad hanc septimam editionem, quatenus fieri potuit, emendatam et correctam reddendam, in rubricis quæ litteraliter traduntur, secutus sum præfatam editionem accuratissimam Breviarii Romani.

Decreta S. R. C. quæ in quarta appendice habentur, diligenter perlegi, examinavi et cum opere contuli; pauca a S. R. Congregatione aliter statuta mutavi; et plura quæ eadem S. Congregatio determinaverat ac decreverat, operi adjunxi usque ad 125 additiones, præter plurimas pariter novas citationes.

Mutationes quas Breve Sanctissimi Domini Nostri in rubricis Breviarii inducebat, admisi et perfeci.

IN OCTAVAM EDITIONEM.

Post septimam hujus operis editionem prodiit decretum 5 Julii 1883 de officiis votivis per annum.

Ad normam Brevis SS. D. N. Leonis XIII de non transferendis duplicibus minoribus et semiduplicibus, per S. Rituum Congregationem peracta est breviarii et missalis correctio.

Prodierunt etiam Ratisbonæ typis Frederici Pustet editiones typicæ missalis, breviarii et ritualis.

Varia quoque a S. R. C. data sunt decreta. Ad hanc octavam editionem, quatenus fieri potuit, emendatam et correctam

Digitized by Google

reddendam, rubricæ missalis, breviarii et ritualis et præfatis typicis editionibus Ratisbonensibus litteraliter traduntur, et mutationes, quas hæc rubricarum correctio, et recentiora S. R. C. decreta postulabant, peractæ fuerunt.

REIMPRIMATUR.

Mechliniæ, 30 Decembris 1887.

P. C. C. BOGAERTS, Vic. Gen.

IN NONAM EDITIONEM.

Post octavam editionem varia a Sacra Rituum Congregatione data sunt decreta. Mutationes, quas recentiora hæc decreta postulabant, in hac nona editione sunt peractæ.

IMPRIMATUR.

Mechliniæ, 15 Septembris 1893.

P. C. C. BOGAERTS, Vic. Gen.

IN DECIMAM EDITIONEM.

Post nonam editionem varia eaque summi momenti a Sacrorum Rituum Congregatione data sunt decreta; prodierunt etiam *Decreta authentica Congregationis Sacrorum Rituum* sub auspiciis SS. Domini nostri Leonis Papæ XIII. Mutationes, quas recentiora decreta postulabant, in hac decima editione sunt peractæ. S. R. C. decreta ex sola authentica collectione citantur.

IMPRIMATUR.

Mechliniæ, 25 Octobris 1902.

H. J. DE CLERCK, Vic. Gen.

Digitized by Google

Hoc exordiendo opus, sola omnibus necessaria scribere intendebam : quum autem exinde plura omnibus utilia et aliquibus etiam necessaria omitterentur, negligerentur, et etiam oblivioni traderentur, unde plures abusus oriri necesse fuisset; integram sacram liturgiam, breviori tamen quo fieri potuit modo, proponere et explicare aggressus eram. Hinc factum est, ut operis moles sic excreverit, ut nonnulli brevius expostularent compendium, quod et seminariorum alumnis et omnibus communiter clericis sufficeret. Huic desiderio facili negotio satisfacere potuissem, idque etiam quandoque in animis habui, rationes autem, quæ completum requirebant opus, incompletum superaddere dissuaserunt. Potius expedire visum est, sequentem proponere indicem illorum numerorum, in quibus omnia necessaria traduntur, scilicet :

IN 1 TOMO.

1, 2, 3, 4, 5, 13, 16, 19, 20, 21, 23, 24, 26, 27, 28, 29, 34, 36, 37, 38, 39, 40, 43, 44, 45, 46, 47, 48, 49, 51 usque ad 62, 64, 65, 66, 67, 70, 71, 72, 73, 74, 77, 80, 81, 82, 83, 84, 86, 87, 90, 91, 92, 93, 94, 95, 97, 99, 100, 101, 102, 104, 105, 106, 107, 109 usque ad 162, 164 usque ad finem tomi.

IN 2 TOMO.

1, 2, 3, 18 usque ad 34, 36, 49, 128 usque ad 197, 199 usque ad 209, 217 usque ad 223, 227, 228, 229, 232, 233, 239, 241 usque ad 248, 250, 251, 252, 253, 262, 263, 264, 279, 280, 281, 292, 295 usque ad 302, 312, 313, 314, 322, 323, 325, 330, 331, 336, 344, 347, 350, 355, 365 usque ad 374, 376 usque ad finem tomi.

IN 3 TOMO.

3, 4, 5, 6, 7, 15, 16, 21, 34, 43, 51, 52, 53, 54, 69, 74, 75, 109, 110, 118 usque ad 134, 140, 142 usque ad 163, 165, 168 usque ad 173, 178 usque ad 282, 285 usque ad 296, 305 usque ad finem tomi.

Digitized by Google

Qui hos numeros notare voluerit, satis breve habebit compendium. Cum enim 360 numeri prætermissi sint, et textus, quia citationes ad imam paginæ partem jam ponuntur, notabiliter abbrevietur, numeri omnes notati tomum et dimidium non excedent.

Qui tamen solis his numeris sese applicat, necessariam liturgiæ notitiam sibi comparabit, aliquam de reliquis minus necessariis ideam acquiret, et saltem cognoscet quo in loco singula ponantur et tractentur.

Unusquisque etiam completam sacræ liturgiæ praxim habebit, in qua quoque, occurrente casu, suæ directionis regulas invenire poterit.

Digitized by Google

PARS I.

RUBRICÆ GENERALES MISSALIS.

RUBRICARUM DEFINITIO ET DIVISIO.

1. Officium ecclesiasticum dicitur Liturgia, quod idem est ac officium publicum; quia omnia quæ fiunt in Ecclesia, et præcipue sacrum missæ sacrificium, publice celebrantur. Inde dicitur Liturgia S. Jacobi, S. Basilii, S. Chrysostomi; Liturgia Græca, Romana, etc. Leges autem in Liturgia servandæ dicuntur rubricæ a rubro colore, quo olim et hodiedum adhuc imprimuntur.

Rubricæ sunt regulæ, juxta quas officium divinum persolvi, missæ sacrificium celebrari, et Sacramenta administrari debent.

Dividuntur : 1° in essentiales, quæ sunt de necessitate, et sine quibus sacra subsistere nequeunt; et accidentales, quæ tantum pertinent ad ornatum, instructionem, piam commemorationem, mysticam significationem, etc.

2° In ordinarias, quæ semper fieri debent; et extraordinarias, quæ quandoque licite omitti possunt aut debent.

3° In præceptivas, quæ obligant sub peccato; et directivas, quæ non obligant, sed proponunt quid sit agendum per modum consilii et instructionis.

Digitized by Google

OBLIGATIO RUBRICARUM MISSALIS.

2. An rubricæ missalis sunt præceptivæ vel directivæ, seu an obligant sub peccato?

R. Licet quidam dicant rubricas esse directivas tantum, et non obligare; horum tamen sententia, ait Quarti (1), est procul dubio falsa, et plus quam falsa. Adeoque ut dicit Bened. XIV (2) : « Ipsa communis omnium sententia docet, » rubricas esse leges præceptivas, quæ obligant sub mortali » ex genere suo. » Probatur ex Conc. Trid. *sess.* 7, *de Sac. in gen., can.* 13 : « Si quis dixerit, receptos et approbatos » Ecclesiæ Catholicæ ritus, in solemni Sacramentorum ad- » ministratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine » peccato a ministris pro libitu omitti, aut in novos alios » per quemcumque ecclesiarum pastorem mutari posse; » anathema sit; » et ex Bulla S. Pii V, quæ missali præponitur, in qua habetur : « Mandantes ac districte omnibus... » in virtute sanctæ obedientiæ præcipientes, ut... missam » juxta ritum, modum ac normam, quæ per missale hoc a » Nobis nunc traditur, decantent, ac legant, neque in missæ » celebratione alias cæremonias vel preces, quam quæ hoc » missali continentur, addere vel recitare præsumant. » Unde SS. D. N. Pius IX in litteris Apostolicis *Quanta cura* 8 Decembris 1864 docet : « Silentio præterire non possumus » eorum audaciam, qui sanam non sustinentes doctrinam » contendunt illis Apostolicæ Sedis judiciis et decretis, » quorum objectum ad bonum generale Ecclesiæ, ejusdem- » que jura ac disciplinam spectare declaratur, dummodo » fidei morumque dogmata non attingat, posse assensum et » obedientiam detrectari absque peccato, et absque ulla » catholicæ professionis jactura. Quod quidem quantopere » adversetur catholico dogmati plenæ potestatis Romano » Pontifici ab ipso Christo Domino divinitus collatæ univer-

(1) Quæst. proœm. s. II, p. 1.
(2) De sac. Mis. s. II, § 102, edit. Lov.

Digitized by Google

» salem pascendi, regendi et gubernandi Ecclesiam, nemo » est qui non clare aperteque videat et intelligat. »

Hæc sententia juxta quosdam ad omnes missalis rubricas, etiam extra missam servandas, rigorose extenditur (1); sed juxta Quarti, Merati, S. Alph. de Ligorio et plures alios ab his citatos (2) limitatur ad rubricas intra missam servandas : adeo ut hæ omnes et solæ, quæ prescribuntur in actu celebrationis servandæ, sint præceptivæ, nisi ratio consilii exprimatur, ut quoad recitationem *Dies iræ* in missis quotidianis pro defunctis; et contra directivæ sint illæ, quæ disponunt, quid sit dicendum vel faciendum ante vel post missæ celebrationem, nisi aliunde constet de præcepto ex jure vel consuetudine. Ratio est, quia Concilium Trid. et Bulla S. Pii V expresse et indistincte loquuntur de ritibus et cæremoniis servandis in ipsa administratione et celebratione absque ulla exceptione; ergo extenduntur ad omnia verba et actiones, ex quibus missa componitur a principio usque ad finem : loquuntur tamen tantum de ritibus et cæremoniis in ipsa administratione et missæ celebratione servandis; adeoque eorum præceptum ad alia non extenditur.

An rubricæ in missa solemni servandæ a ministris, sunt præceptivæ vel directivæ tantum?

R. Juxta Quarti (3) communiter tantum sunt directivæ, quia præceptum S. Pii V ad illas minime extenditur; Turrinus tamen (4) contendit prædictum præceptum S. Pii V æque obligare sacerdotem et sacros ministros, cum et ille et isti requirantur ad celebrandam missam juxta præscriptum S. Pii V : huic favet decretum *S. R. C.* 19 *Aug.* 1651 (5).

3. Quanta est obligatio rubricarum missalis?

R. Rubricæ præceptivæ obligant sub mortali in materia gravi, et sub veniali ex parvitate materiæ aut inadvertentia.

(1) Falise introd. § 1; Bouvry, Rev. cath. 1865, fol. 98 et 146.

(2) Quarti loco cit. et p. seq.; Merati p. 3, tit. XI, n. 1 et 2; Lig. theol. mor. I, 6, n. 399; Statuta Diœc. Leod. p. 8 et 170.

(3) Quæst. procem. s. II, p. 2.

(4) Apud Merati p. 3, tit. XI, n. 1.

(5) N. 937, 2.

Digitized by Google

Verba concilii Trid. et S. Pii V id satis probant. Rubricæ autem directivæ per se non obligant sub peccato, quia sunt tantum materia directionis et instructionis, et non præcepti. Illud tamen notandum, quod scribit Gardellinus (1), quod nollet audire a sanctuarii ministris, quasi pro libitu liceat a sanctissimis illis regulis declinare, quæ licet positivum præceptum non importent, sapienti tamen consilio datæ sunt.

Dicuntur rubricæ directivæ *per se* non obligare, quia plura continent, quæ jure communi obligant sub peccato etiam mortali, ut jejunium naturale ante celebrationem; 2° quia ratione contemptus et scandali possunt transire in peccatum etiam mortale; et 3° quia communiter non deest culpa venialis ratione pravi finis vel motivi inducentis ad earumdem transgressionem, prout plurimum esse solet torpor animi, negligentia, vel nimia ad alias occupationes præcipue vanas et sæculares propensio (2).

Colligitur 1° nihil omitti posse eorum, quæ facienda vel recitanda præscribuntur in missa; ita ut omissio sit peccatum vel mortale, si materia sit gravis et notabilis, vel veniale, si materia levis sit et modica. Quænam autem materia sit notabilis, et quænam levis, difficillimum est invenire et periculosissimum definire. Auctores tamen communiter conveniunt, omissionem partis ordinariæ, quæ semper fit aut dicitur, per se esse mortalem, nisi levitas materiæ excuset; omissionem vero partis extraordinariæ, quæ non in omni missa fit aut dicitur, per se esse venialem. Sic mortale est, voluntarie omittere confessionem cum aliis in principio missæ, totam epistolam, evangelium, collectas principales, panis et vini oblationem, præfationem, elevationem S. Hostiæ aut Calicis, fractionem Hostiæ, ejusque commixtionem cum S. Sanguine, purificationem calicis, integram orationem in canone : contra veniale est, omittere *Judica, Gloria, Credo,* collectas minus principales, sequentiam, tractum, præfationem propriam, *communicantes* aut *hanc igitur* pro-

(1) Decr. 2631, 1.
(2) Quarti quæst. procem. s. VI, p. 1; Cavalieri tom. 5, c. 2, II.

Digitized by Google

pria; unam aut alteram crucis signationem, genuflexionem, capitis inclinationem, aut oculorum elevationem; item in missa solemni incensationem, etc. (1).

Inde sequitur debiles et informos non posse celebrare, si partem notabilem uti elevationem S. Hostiæ (2), vel partium minorum notabilem quantitatem omittere debeant. Si solum genuflectere nequeant, celebrare possunt, secluso scandalo (3).

Colligitur 2° nihil addi posse precibus et actionibus in missa præscriptis, et eo magis quidem, quia peccatum commissionis natura sua gravius est peccato omissionis, et in hac re magis expositum errori et superstitioni. Unde Concilium Tridentinum Episcopis præscribit (4) ut « caveant, ne » sacerdotes ritus alios, aut alias cæremonias et preces in » missarum celebratione adhibeant, præter eas, quæ ab » Ecclesia probatæ, ac frequenti et laudabili usu receptæ » fuerint. » Certum est apud omnes, esse mortale aliqua addere animo introducendi novum ritum; quælibet etiam additio, si notabilis sit quantitatis et alta voce proferatur, gravem culpam inducit; ex indiscreta autem devotione addere collectam ex eodem missali, vel *Pater*, *Ave*, *Credo* aut *Gloria* non excedit culpam venialem, seclusa tamen magna difformitate aut scandalo, quod occurrere posset, si data opera in missa de *Requiem* diceretur *Gloria* aut *Credo*. Quidam etiam, aliis contradicentibus, ab omni peccato excusant, secreto addere aliquam orationem jaculatoriam, v. g. in elevatione *Adoramus te*, *Te ergo quæsumus*, vel infra cantum *Gloria* et *Credo* submissa voce et memoritur recitare aliquam orationem (5).

Colligitur 3° in precibus et actionibus nihil mutari posse

(1) S. Alph. de Ligorio lib. 6, n. 404 et seq.; Cavalieri t. 5, c. 2; Quarti quæst. procem. s. III; Collet de ss. Myst. c. 1.

(2) S. R. C. 2 Jul. 1661, n. 1202.

(3) Quarti p. 1, tit. XVII, d. 1; Cæsaremontano de Cærem. m. in gen. n. 10 ad. 3.

(4) Sess. XXII, in decreto de observandis in celeb. M.

(5) S. Alph. de Ligorio 1, 6, n. 411; Quarti quæst. procem. s. IV, p. 2 et 3; Cavalieri t. 5, c. 2, VI et VII.

Digitized by Google

sub mortali in materia notabili, v. g. verba orationis canonis ite mutare, ut non maneat debitus sensus; et sub veniali in materia levi, v. g. epistolam aut evangelium in aliud mutare, in cornu altaris recitare, quod esset dicendum in medio, etc. (1).

Quantum peccatur, si plures partes minus notabiles omittantur, addantur, aut mutentur?

R. Cum hæ partes in eodem sacrificio coalescant; si simul sumptæ notabilem materiam constituant, inducunt peccatum mortale (2). Materia censetur notabilis, si v. g. in partibus ordinariis tot verba omittantur, ut adæquent quantitatem integræ epistolæ aut evangelii, non nimis prolixi nec nimis brevis; vel si tales omissiones, additiones aut mutationes fiant, ut judicio prudentum ad quantitatem notabilem perveniant (3).

4. Hac occasione not. 1° cum S. Alph. de Lig. (4) : « Hinc » dicimus, difficulter posse excusari a mortali sacerdotem, » qui infra quadrantem missam absolveret, etiamsi sit ex » brevioribus, quia impossibile est, quin omittantur aut » verba aut cæremoniæ, vel saltem committantur duo graves » defectus, et irreverentiæ erga Sacramentum, et gravis » scandali erga populum. »

Not. 2° cum Bened. XIV : « Missa ex unanimi scriptorum » opinione ad tertiam horæ partem saltem debet pertingere, » neque horæ dimidium excedere » quia minori spatio non possunt omnia debito modo peragi, et longiori tædio esset adstantibus (5).

Not. 3° quod jubet Bened. XIII *in Conc. Rom. tit.* 15, *cap.* 1, ut « non pro libito inventi et irrationabiliter inducti, » sed recepti et approbati Catholicæ Ecclesiæ ritus, qui in » minimis etiam sine peccato negligi, omitti, aut mutari

(1) Quarti loco cit. s. V.

(2) S. Alph. de Ligorio 1, 6, n. 400 aliique locis cit.

(3) Quarti loco cit. s. III, p. 2 et 6; Cavalieri t. 5, c. 2, n. III.

(4) Loco cit. et de cæremoniis missæ cap. 1.

(5) De sac. M. s. II, ed. Lov. § 215-219; item, instit. 34, VI; Quarti p. 1, tit. XVI, d. 6; S. Alph. de Ligorio lib. 6, n. 400.

Digitized by Google

„ haud possunt, peculiari studio ac diligentia serventur „ (1). Et contra quod notat Quarti (2), obligationem rubricarum non esse accipiendam in rigore metaphysico, cum simus in moralibus, sed morali et humano modo; ita ut satis sit, eam diligentiam adhibere, quam communiter timorati sacerdotes et sui muneris studiosi adhibere solent.

DE SACRÆ RITUUM CONGREGATIONIS DECRETIS.

5. Præter rubricas missalis, breviarii, ritualis aliorumque librorum liturgicorum Ecclesiæ Romanæ, habentur etiam decreta Sacræ Rituum Congregationis, quæ pariter censeri debent tamquam regula proxima eorumdem rituum; quia hæc S. R. Congregatio facultatem habet interpretandi et declarandi quæcumque dubia, quæ circa ritus insurgunt; ejusque resolutiones habentur tanquam Pontificis oracula, quatenus Pontificem ipsum in hac parte repræsentat, ejusque auctoritate agit (3). Sic S. C. Congregatio *in dec.* 23 *Maji* 1846 (4), a Pio IX approbato, rescripsit, quod « Decreta a S. R. C. „ emanata et responsiones quæcumque ab ipsa propositis „ dubiis scripto formiter editæ, eamdem habeant auctorita- „ tem ac si immediate ab ipso Summo Pontifice promanarent, „ quamvis nulla facta fuerit de iisdem relatio Sanctitati „ Suæ. „ Et proinde, cum « Episcopi non possint esse judices ad declaranda dubia super sacris Ritibus et Cæremoniis exorta (5); si quid dubii in Rubricis occurrat, recurrendum ad eamdem S. C. pro declaratione „ statuit eadem S. R. Congregatio 17 *Sept.* 1822 (6), Pio VII approbante, decretumque publici juris fieri mandante.

(1) Gardellini in instr. Clem. § 36, n. 18.
(2) Quæst. procem. s. II, p. 2.
(3) Merati p. 3, tit. XI, 3; Guyetus, l. I, c. 2, q. 2.
(4) N. 2916.
(5) S. R. C. 11 Junii 1605, n. 179, 1.
(6) N. 2621, 1.

Digitized by Google

6. Decreta S. R. Congregationis duplicia distingui possunt : generalia, quæ dantur pro universali Ecclesia, qualia inter alia sunt, quæ habentur initio missalis et breviarii ; et particularia, quæ dantur ad petitionem particularium, et nomen accipiunt ab ecclesiis, ad quarum instantiam edita sunt, ut *in una Galliarum, in Mechliniensi*, etc.

Decreta generalia spectant ad omnes, sed particularia tantum ad illos, ad quos diriguntur, nisi dubia proposita generalia fuerint, et similis generalis responsio prodierit, præcipue si S. R. Congregatio in eadem resolutione constanter perstiterit : adeo ut, quamvis hæc decreta particularia dicantur ab ecclesiis, a quibus dubia proposita fuerunt, æquivalenter tamen generalia sint, et in regulam pro universali Ecclesia deservire possint et debeant (1). Decreta autem particularia, quæ sunt puræ gratiæ, et specialem dispensationem seu privilegium concedunt, ad alios extendi nequeunt.

7. An decreta S. R. Congregationis sunt præceptiva, vel directiva tantum ?

R. Quæ sunt nudæ declarationes seu interpretationes rubricarum, sunt præceptiva, si versentur circa rubricam præceptivam ; et directiva, si circa rubricam directivam, nisi nova obligatio addatur : inducunt enim eamdem obligationem, quam induxit rubrica vel materia, circa quam dantur ; tum quia sunt accessoria illi rubricæ, et eamdem naturam habent, tum quia declarans nihil novi inducere dicitur.

2° Decreta, quæ sunt in forma rigorosa decreti, seu quæ habent aliquam mandati clausulam, ut *servari mandavit*, etc. sunt præceptiva, et obligant in utroque foro (2). Sacra enim R. C. hanc facultatem habet, eique ab omnibus ad quos spectat, parendum est. Si vero sint tantum responsiones seu resolutiones dubiorum propositorum, nulla adjecta clausula decreti rigorosi, aliquid prohibentis vel præcipientis, cen-

(1) Cavalieri t. 1, dec. 71, n. 3-10 ; Bened. XIV, inst. 10 ; Gardellini in instruct. Clem. § 12, n. 4.

(2) S. R. C. 11 Sept. 1847, n. 2951, 13.

Digitized by Google

sentur tantum directiva, quæ nihilominus debito respectu ab omnibus servari debent, et præferri cuicumque contrariæ auctorum opinioni (1).

8. Not. ut decreta S. R. C. obligent, debere de iisdem authentice constare, sufficienter esse proposita aliasque habere conditiones ad obligationem inducendam requisitas.

Ut autem decreta et responsiones, quæ a S. R. C. datæ sunt, tanquam formiter editæ habendæ sint, ac si ab ipso Summo Pontifice immediate promanarent, non requiritur, ut sint vel Romæ vel ab Episcopis in suis diœcesibus promulgatæ, sed sufficit, quod sint subscriptæ a S. R. C. Præfecto et Secretario, ac ejusdem sigillo munitæ, vel quod in Sacrorum Rituum Congregationis authentica Collectione inserantur (2). Notandum tamen est quod supra dicitur. *Decreta et responsiones, quæ a S. R. C. datæ sunt,* quia quandoque contingit, ut circumferantur responsa tamquam a S. R. C. data, quamvis ab hac S. Congregatione discussa et soluta non fuerint; et quæ tantum sunt responsa a S. R. C. Præfecto aut Secretario vel ab aliis extra Congregationem data : quæ debito quidem respectu ut a sapientissimis viris data, sunt accipienda, sed numquam tanquam decreta S. R. C. consideranda : quapropter hæc in authentica Collectione etiam non inseruntur (3).

Decreta quæ in hoc opere citantur, desumpta sunt ex eadem authentica Collectione cum indicatione numerorum, prout in ultima editione priori loco ponuntur.

9. Quanta hujus Sacrorum Rituum Congregationis Collectionis sit auctoritas, patet ex decreto 16 Februarii 1898, huic Collectioni præmisso, in quo Sanctissimus Dominus Leo Papa XIII eamdem Collectionem apostolica sua auctoritate approbavit, atque authenticam declaravit; simulque statuit Decreta hucusque evulgata in iis, quæ a Decretis in hac

(1) Merati et Guyetus locis supra n. 5 cit.; Cavalieri t. 1 dec. 14, n. 42; S. Alph. de Ligorio 1, 6, n. 401; Benedictus XIV, instit. 107 ante § 1.

(2) S. R. C. 8 Ap. 1854, n. 3023.

(3) Vid. *Revue des sciences ecclésiast.* Fév. 1862, fol. 207.

Digitized by Google

collectione insertis dissonant, veluti abrogata esse censenda, exceptis tantum quæ pro particularibus Ecclesiis indulti seu privilegii rationem habent.

DE CONSUETUDINE CONTRA RUBRICAS.

10. « Nihil magis tritum, *ait Bened. XIV* (1), quam legem » quamlibet humanam etiam canonicam, posse contraria » consuetudine, quæ sit rationabilis et legitime præscripta, » abrogari juxta textum *in cap. final. de consuetudine.* » Ut autem consuetudo sit rationabilis et servari possit, requiritur ut suis munita sit conditionibus, sine quibus non nisi corruptela et abusus dici debet. Quæ sint istæ conditiones quæ ad consuetudinem in materia rubricarum legitimandam requiruntur, inquirendum est ex summorum Pontificum constitutionibus et S. R. C. decretis : nam « quod consuetudo » prævaleat contra legem superioris, *ut idem Bened. XIV* » *scribit,* id oritur ex ipsomet superioris consensu, qui eam » etiam suæ legi obviantem, cum rationabilis et diuturna » est, statuit tolerandam. » Ita ut hic bene notanda et distinguenda sint hæc duo, lex scilicet et voluntas legislatoris : consuetudo enim prævalere potest contra legem, accedente consensu legislatoris; sed non contra expressam voluntatem legislatoris : quia lex sicut in fieri, sic etiam in conservari dependet a voluntate legislatoris, cui legitime præcipienti, semper obediendum est. Ex quibus concludendum est, si superior nolit legem suam abrogari, et constet ejus voluntatem perseverare, legem quacumque etiam obstante contraria consuetudine numquam abrogari; quia numquam erit rationabilis consuetudo, utpote semper repugnans formali voluntati legislatoris.

11. Quænam conditiones requiruntur, ut in materia rubricarum legitima sit consuetudo?

R. 1° Ut consuetudo sit immemorabilis, quod probatur ex Constitutione *Apostolici Ministerii,* § 22, Inn. XIII, 23 Maji

(1) De Syn. Diœç. lib. 12, c. 8, n. 8.

Digitized by Google

1723. « Episcopi insuper abusus omnes, qui in Ecclesiis, aut » sæcularibus aut regularibus contra præscriptum Cære- » monialis Episc. et Ritualis Rom. vel Rubricas Missalis et » Breviarii irrepserint, studeant omnino removere. Et si » adversus ea, quæ in dicto Cæremoniali statuta sunt, con- » suetudinem etiam immemorabilem allegari contingat; » postquam recognoverint, aut eam non satis probari, aut » etiam probatam suffragari, utpote irrationabilem, de jure » non posse; executioni eorum, quæ in dicto Cæremoniali » constituta sunt, diligenter incumbant, nec ulla suspensiva » appellatio admittatur. » Item decreta S. R. C. (1) exigunt consuetudinem immemorabilem.

2° Ut consuetudo non aperte repugnet rubricis missalis, breviarii, cæremonialis Ep., aut ritualis Romani, vel etiam decretis generalibus appositis in missali et breviario.

Sic S. R. C. permittit et approbat solas consuetudines rubricis conformes (2); item eas, quæ licet plane non conveniant cum regulis contentis in missali, breviario, cæremoniali et rituali, iisdem tamen aperte non repugnant, sed potius circa modum quemdam versantur (3).

Si autem consuetudo, ut supra dicitur, rubricis aperte repugnet, unquam sustineri nequit : quod probatur 1° ex constitutionibus Apostolicis, quæ præmittuntur missali, breviario, et cæremoniali Ep., quæ reprobant quascumque contrarias consuetudines : nam constat ex dec. *S. R. C.* 12 *Dec.* 1832 (4) : « Cæremonialis Ep. legem, a summis Pon- » tificibus Clem. VIII, Inn. X, et Bened. XIV latam et con- » firmatam, hujusmodi indolis esse, ut a nulla contraria » consuetudine abrogari valeat, accedentibus præsertim non » paucis S. R. C. decretis. » Et cum constitutiones Apostolicæ pro breviario et missali easdem contineant dispositiones, idem procul dubio de iisdem dici debet. Aut enim consuetudo

(1) 7 Julii 1612, n. 299.
(2) 13 Mart. 1700, n. 2049, 11.
(3) 7 Julii 1612, n. 299; 23 Sept. 1820, n. 2609.
(4) N. 2697.

Digitized by Google

est ante constitutiones Apostolicas aut postea : si ante, jam per genericam abrogationem abrogata censenda est : si postea, jam eo ipso contra rubricarum statuta et leges est inducta, inobedientiam Ecclesiæ legibus redolet, novitatis notam meretur, propriæque commoditatis amorem præ se fert, ideoque reprobanda est ac rejicienda, utpote rubricarum legibus adversa (1). Probatur 2° ex decretis S. R. C., quæ constanter reprobant consuetudinem, etiam immemorabilem, rubricis aperte repugnantem.

Et sic quoad missale S. R. Congregatio per decretum initio missalis positum « renovando decreta alias facta, mandat in » omnibus et per omnia servari Rubricas Missalis Romani, » non obstante quocumque prætextu, et contraria consuetu- » dine, quam abusum esse declarat. » Et juxta dec. 16 *Mart.* 1591 (2) « consuetudines, quæ sunt contra Missale Romanum » sublatæ sunt per Bullam Pii V, in principio ipsius Missalis » impressam, et dicendæ sunt potius corruptulæ quam con- » suetudines. » Similiter decernit in decretis infra citatis quoad breviarium (3), quoad ceremoniale Ep. (4) quoad rituale Romanum (5) et quoad decreta initio missalis et breviarii apposita (6). Ex his aliisque plurimis decretis manifestum fit, voluntatem legislatoris quoad observantiam rubricarum constanter perseverare, et contrariam consuetudinem, ut in pluribus decretis declaratur, esse abusum. Consuetudo autem, quæ semel declarata est abusus et corruptela, non potest amplius induci, nulliusque est roboris, quamvis sit centenaria et immemorabilis (7).

3° Ut consuetudo sit laudabilis, quæ scilicet non cedit in

(1) Gardellini in not. ad dec. 12 Nov. 1831, n. 2684, 1.

(2) N. 9, 11; item 27 Nov. 1632, n. 595; 18 Jun. 1689, n. 1812; 17 Maii 1692, n. 1877.

(3) S. R. C. 17 Sept. 1822, n. 2621.

(4) 12 Apr. 1823, n. 2627; 12 Dec. 1832, n. 2697.

(5) 1 Dec. 1742, n. 2370; 20 Sept. 1806, n. 2564; 12 Nov. 1831, n. 2684, 22.

(6) 20 Nov. 1677, n. 1603, 3; 17 Sept. 1822, n. 2621; 30 Maii 1824, n. 2631.

(7) Lucius Ferr. *coma* n. 2 et Cavalieri t. 1, dec. 31, n. 6.

Digitized by Google

deformitatem cultus, sed eumdem potius auget vel saltem non minuit. Illæ enim dumtaxat reservantur consuetudines, *ait Gardellini* (1), quæ vere laudabiles et rationabiles sunt. Et ita S. R. Congregatio sæpius declaravit cæremoniale Ep. non tollere laudabiles et rationabiles ecclesiarum consuetudines (2); si autem non sint laudabiles, easdem tolli injungit (3).

Ex his patet plurimas consuetudines esse illegitimas, ideoque tollendas et emendandas (4) : quod eo magis fieri debet, si solos respiciant clericos, ita ut, populo vix attendente vel non multum curante, emendari valeant; si autem prævideatur ex immutatione facienda admirationem et scandalum in populo oriri, prudenter admodum procedendum est, et satius quandoque est aliquid tolerare, quam movere turbas, quæ non sine magno religionis detrimento quandoque etiam ex bona causa excitantur. Consuetudines autem vere legitimæ et laudabiles mutari non debent, et si mutatio cederet in alicujus gravamen, aut in admirationem et scandalum populi, nullatenus mutari possunt.

MISSA, DIVISIO, OBLIGATIO ET CONFORMITAS, AC DISTINCTIO RITUS.

Rubricæ generales missalis. *Missa quotidie dicitur secundum ordinem officii : de festo duplici, vel semiduplici, vel simplici : de Dominica, vel feria, vel vigilia, vel octava : et extra ordinem officii, votiva vel pro defunctis.*

Tria in hac rubrica continentur : scilicet quotidiana missæ

(1) In Decr. n. 2627.
(2) S. R. C. N. 132, 154, 184, 218.
(3) S. R. C. 14 Nov. 1654, n. 971.
(4) S. R. C. 31 Aug. 1872, n. 3264, V; 22 Junii 1874, n. 3333.

Digitized by Google

celebratio, missæ conformitas cum officio, et distinctio officii et missæ.

12. Quare sacrificium novæ legis dicitur missa?

R. Ita dicitur a *mittere*, vel quia oblatio olim fiebat ex donis a populo missis; vel quia Christus nobis est hostia missa; vel quia preces populi per sacerdotem ad Deum mittuntur; vel verisimilius, quia olim catechumeni post evangelium dimittebantur, et hodie adhuc populus per *Ite missa est*. Hoc autem obscuro nomine usi sunt veteres christiani latini, ut sacratissimum religionis mysterium infidelibus occultarent (1).

13. Quomodo missa quoad materiam hic tractandam dividitur?

R. 1° In solemnem, privatam et cantatam seu mediam. Solemnis est quæ omnem solemnitatem habet cantus, thuris, ministrorum sacrorum, earumque cæremoniarum, quas præscribunt rubricæ agentes de missa solemni. Privata, quæ sine cantu et cum uno dumtaxat ministro celebratur. Cantata seu media, quæ cantatur sine ministris sacris (2).

2° In conventualem et non conventualem. Conventualis est, quæ quotidie in ecclesiis cathedralibus, collegiatis et conventualibus celebratur secundum ordinem officii.

3° In conformem officio et non conformem, ut dum celebratur votiva vel de *Requiem*.

4° In realem, in qua habetur consecratio et communio; et præsanctificatorum, in qua sola habetur communio, quæque in sola feria sexta parasceves celebratur.

14. An et in quibus ecclesiis datur obligatio quotidie celebrandi?

R. Affirmative, scilicet in ecclesiis cathedralibus et collegiatis : quidam hanc obligationem etiam extendunt ad ecclesias regularium, easque nomine collegiatarum venire contendunt; imo hac obligatione putant obstringi ecclesias

(1) Vid. Inn. III, l. 6, c. 12; Bened. XIV, de sac. m. s. I, § 68 et seq.; Merati t. 1, observ. prælim. n. 9 et 10; Bona rer. lit. l. 1, c. 1.

(2) Merati t. 1, p. 1, obs. præl. n. 33, 36, 53; Cavalieri t. 3, c. 6 et 9.

Digitized by Google

monialium, ita ut earum superiores curare debeant, ut per capellanos quotidie ibidem celebretur (1). Alii existimant ecclesias monachorum et canonicorum regularium esse obligatas, non vero illas mendicantium. Alii autem censent, regularium ecclesias ad missam quotidianam seu conventualem non esse adstrictas ex jure communi, sed tantum ex propriis constitutionibus aut laudabili consuetudine (2). Regulares autem missam conventualem juxta rubricarum regulas celebrare posse, omnes admittunt. Licet in parochialibus aliisque ecclesiis talis obligatio juxta plures per se non habeatur (3), S. tamen R. C. 16 Mart. 1833, respondendum censuit, rectorem ecclesiæ ruralis, ubi SS. Sacramentum semper asservatur, teneri ad quotidianam missæ celebrationem vel per se vel per alium sacerdotem (4).

15. An missa quotidie officio conformis esse debet?

R. Affirmative quoad missam conventualem, nisi pro hac missa præscribatur aut permittatur votiva juxta rub. gen. tit. IV, vel de *Requiem* juxta tit. V, aut nisi vigilia vel feria major, quæ propriam missam habet, occurrat in festo aut infra octavam.

Missa autem non conventualis etiam conformis officio esse debet, dum est duplex aut æquivalens; non autem dum est semiduplex et æquivalens, neque dum vigilia aut feria major, quæ propriam missam habet, infra octavam occurrit, neque dum quis alienæ ecclesiæ se conformare debet, *de quo vid. n.* 96 et seq.

Rationes hujus conformitatis sunt : 1° quia ab Ecclesia destinantur singuli dies vel in cultum et honorem alicujus sancti vel in memoriam alicujus mysterii et operis divini, et sic consequenter Ecclesia ordinat in eumdem finem omnes cujuslibet diei sacras actiones, quarum præcipuæ sunt officium canonicum, et missa, ut integrum et non dimidiatum

(1) Vid. Quarti in supradictam rub. d. 1.
(2) Cavalieri t. 3, dec. 50. Vid. Praxis Pontific. tom. 1, n. 261.
(3) Quarti loco cit. d. 2; Cavalieri loco cit.
(4) N. 2700.

Digitized by Google

cultum exhibeat illis, quæ colere intendit; 2° quia officium est preparatio et dispositio ad missam; dispositio autem proportionata esse debet ultimæ et sublimiori formæ ad quam disponit.

16. Cuinam ordini divini officii missa debet esse conformis, et quomodo ille ordo distinguitur?

R. Ille ordo assignatur in kalendario missalis et breviarii, atque in directoriis diœcesanis.

Distinguitur ex parte ritus in Duplex, semiduplex, et simplex, ita ut quodcumque officium habeat ritum vel duplicem, vel semiduplicem, vel simplicem juxta rubricas gen. breviarii in initio; et ex parte objecti, de quo fit officium, in festum, dominicam, octavam, feriam et vigiliam.

Officium duplex insuper distinguitur in duplex 1 classis, 2 classis, duplex majus et minus. Duplicia 1 et 2 classis, in rubricis breviarii tit. X, n. 2, dicuntur majora per respectum ad duplex majus et minus.

Rationes hujus distinctionis sunt : 1° gradus, qualitas et dignitas mysterii aut sancti, de quo fit officium : nam quo dignius est mysterium, eo digniorem cultum exigit. Item sancti in Ecclesia variis ordinibus rituum honorantur; prout in cœlo, sicut stella a stella differt in claritate, secundum diversitatem meritorum suorum disponuntur. 2° Sunt diversa beneficia vel saltem respectus, quos mysterium, opus divinum, aut sanctus habent relative ad Ecclesiam. Ita dedicatio et patronus solemni ritu 1 classis celebrantur.

Titulis I.

—

DE DUPLICI.

Rub. *Missa dicitur de duplici illis diebus, quibus in kalendario ponitur hœc nota,* duplex, *et in festis mobilibus, quandocumque officium est duplex. In duplicibus dicitur una tantum oratio, nisi aliqua commemoratio fieri debeat.*

Digitized by Google

Alia omnia dicuntur, ut in propriis Missis assignatum est. Quando dici debeat, Gloria in excelsis *et* Credo, *inferius ponitur in propriis Rubricis.*

---

17. Officium dicitur duplex ad indicandam digniorem officii qualitatem secundum dictum Apost. 1ª ad Tim. V, 17 : *Duplici honore digni habeantur.* Origo autem hujus nominationis varie explicatur; verisimilius tamen ex eo orta est, quod antiphonæ matutini, laudum et vesperarum in hoc officio duplicentur.

Titulus II.

DE SEMIDUPLICI ET SIMPLICI. ITEM DE DOMINICA ET OCTAVA.

Rub. *Missa de Semiduplici dicitur, quando in kalendario ponitur, hæc vox,* semiduplex. *Præterea in Dominicis et diebus infra octavas. In semiduplicibus tam Festis quam Dominicis, et infra Octavas dicuntur plures orationes, ut infra dicetur in Rubrica de orationibus. Infra Octavam dicitur Missa, sicut in die Festi, nisi propriam Missam habuerit : in Dominicis vero, sicut in propriis locis assignatur. De simplici dicitur Missa, sicut de semiduplici, ut suis locis ponitur.*

---

18. Quare semiduplex et simplex ita dicuntur?

R. Semiduplex, quia quasi mediat inter duplex et simplex, et antiphonæ in hoc officio mediate tantum duplicantur; simplex autem, quia simplici seu minus solemni ritu celebratur. Not. duplex et semiduplex etiam vocari officium novem lectionum, et simplex trium lectionum.

19. Quomodo differunt duplex, semiduplex et simplex?

R. In duplici duplicantur antiphonæ in matutino, laudibus

Digitized by Google

et vesperis, non dicuntur preces et suffragia, non permittuntur missæ privatæ votivæ et de *Requiem*, in missa una tantum dicitur oratio, etc.; in semiduplici autem antiphonæ mediate tantum duplicantur, extra octavas dicuntur preces et suffragia, regulariter permittuntur missæ privatæ votivæ et de *Requiem*, tres dicuntur orationes, etc.; duplex vero et semiduplex differunt a simplici, quod habeant primas et secundas vesperas integras, et simplex tantum primas a capitulo; habeant novem lectiones et tria nocturna, simplex autem tres lectiones et unum nocturnum feriale; quod duplicia majora et etiam duplicia minora sanctorum ecclesiæ Doctorum transferantur, si alio festo aut officio impediantur, non autem semiduplicia nec simplicia; item in simplici tres dici debeant orationes et dici possint quinque et etiam septem, antiphonæ mediate duplicentur, semper dicantur preces et suffragia, et permittantur missæ privitæ votivæ et de *Requiem*, etc.

20. Quomodo dominicæ distinguuntur?

R. 1° In majores et minores. Illæ sunt, in quibus præcipua creationis et redemptionis nostræ mysteria recoluntur; et sunt omnes dominicæ adventus, item quæ occurrunt a dominica septuagesimæ usque ad dominicam in albis, dominica Pentecostes et ss. Trinitatis; reliquæ sunt minores, etiam dicuntur per annum, et festo duplici cedunt.

Dominicæ majores subdividuntur in dominicas 1 classis, quæ nulli festo cedunt, et sunt prima adventus et quadragesimæ, passionis, palmarum, Paschæ, in albis, Pentecostes et ss. Trinitatis; et 2 classis, quales sunt omnes reliquæ majores, quæ non cedunt nisi festo duplici 1 classis.

Dominicæ etiam minores subdividuntur in illas, in quibus officium fit sicut infra octavam, quales sunt dominicæ infra octavas Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis et Corporis Christi; et in illas, in quibus officium fit sicut in psalterio, sive occurrant infra aliquam octavam sive non, quales sunt omnes reliquæ minores præter quatuor prædictas.

2° In vacantes et non vacantes. Vacantes sunt, de quibus nihil fit in officio et missa; et sunt illæ, quæ incidunt in festis

Digitized by Google

diebusque octavis Nativitatis Domini, s. Stephani, s. Joannis, ss. Innocentium, Epiphaniæ, ejusque vigilia. Reliquæ omnes sunt non vacantes, et habent per se in ipsa die dominica vel officium, vel saltem commemorationem in utrisque vesperis, laudibus et missa, cum nona lectione homiliæ.

3° In fixas et mobiles. Hæ sunt, quæ vel anticipari vel transferri possunt, et sunt dominica infra octavam Nativitatis Domini, 1ª, 2ª, 3ª, 4ª, 5ª et 6ª post Epiphaniam, atque 23ª post Pentecosten : reliquæ fixæ sunt, et sua die habent officium vel saltem commemorationem.

4° In dominicas quæ ritu duplici celebrantur, quæ sunt dominicæ Paschæ, Pentecostes, ss. Trinitatis et in albis; et in illas, quæ ritu semiduplici celebrantur, et tales sunt præter quatuor dictas omnes reliquæ, sive minores, sive majores 1 et 2 cl., quæ ita tantum dicuntur quoad exclusionem aliorum festorum.

21. Quid est octava? Quæ ejus origo et quomodo dividitur?

R. Est ejusdem festi prorogatio per octo dies continuos. Originem suam ducit a Judæorum Ecclesia, cujus octavas festi Scenopegiæ et Encæniorum Christus Dominus sua præsentia probavit : unde par est credere a Spiritu Sancto doctos Apostolos et Apostolicos viros octavas ad nos transmisisse, et pro diversorum festorum ratione minus magisque celebres instituisse octavas, 1° ad majorem festi solemnitatem; 2° ad majorem fidelium in præcipuis festis devotionem, seu, ut ait Radulphus Tungrensis, ut ardentius, quod debemus, recolamus, quæque uno die minus possumus, reliquis diebus compensemus; 3° propter varias rationes mysticas, ut quod in arca Noe octo tantum animæ salvæ factæ sint, quod Christus Dominus in Evangelio octo tradat beatitudines, etc. (1).

Dividitur præcipue in octavas privilegiatas et non privilegiatas. Privilegiatæ sunt octavæ Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes et Corporis Christi, inter quas tamen una est magis privilegiata quam alia.

(1) Gavantus in præfat. ad octav. rom. Gardellini in dec. 2688.

Digitized by Google

Titulus III.

DE FERIA ET VIGILIA.

Rub. 1. *Missa de Feria dicitur, quando non occurrit Festum, vel Octava, vel Sabbatum, in quo fiat Officium beatæ Mariæ. In Feriis tamen Quadragesimæ* (a), *Quatuor Temporum, Rogationum, et Vigiliarum* (b), *etiamsi Duplex* (c) *vel semiduplex Festum* (d), *vel octava* (e) *occurrat, in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis cantantur duæ Missæ* (f); *una de Festo post Tertiam, alia de Feria post Nonam. Missæ autem Feriarum majorum occurrentium celebrari possunt etiam in Festis semiduplicibus.*

2. *In Vigiliis autem, et Feriis Quatuor Temporum, vel Feria secunda Rogationum* (g), *quæ veniunt infra Octavam* (h), *Missa* (i) *dicitur de Vigilia vel Feriis supradictis, cum commemoratione Octavæ : præterquam infra Octavam Corporis Christi, in qua in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis cantantur duæ Missæ, una de Octava post Tertiam, alia de Vigilia post Nonam; in Missis autem privatis* (k) *dicitur Missa de Octava cum commemoratione Vigiliæ. Si autem in die Vigiliæ, vel prædictis Feriis fiat officium de aliquo Festo, tunc dicitur Missa* (l) *de Festo cum commemoratione Octavæ, et Vigiliæ, vel Feriarum prædictarum. Quod si Vigilia occurrat in die alicujus Festi ex majoribus primæ classis, in Missa non fit commemoratio de ea, sicut nec in Officio.*

3. *Si Festum habens Vigiliam, celebretur Feria secunda, Missa Vigiliæ dicitur in Sabbato, sicut etiam de ea fit Officium : excepta Vigilia Nativitatis Domini et Epiphaniæ.*

4. *Missa Vigiliæ in Adventu occurrentis, dicitur cum commemoratione Feriæ Adventus, licet de ea non sit factum officium* (m); *Vigilia Nativitatis excepta.*

5. *Si in Quadragesima et Quatuor Temporibus occurrat Vigilia, dicatur Missa de Feria cum commemoratione Vigiliæ.*

Digitized by Google

6. *Tempore Paschali non dicitur Missa de Vigilia nisi in Vigilia Ascensionis, quæ tamen non jejunatur, sicut nec Vigilia Epiphaniæ.*

---

22. Annotationes. *a.* Non in feriis adventus, in quibus, quia missam propriam non habent, unica missa de festo celebratur. Neque duæ missæ celebrandæ sunt in dominicis, etiam adventus et quadragesimæ, sed unica tantum de festo occurrente (1).

b. Et Vigiliarum etiam in adventu occurrentium : rubrica enim loquitur generaliter.

c. Duplex etiam 1. classis. De vigilia autem, excepta vigilia Epiphaniæ, in festo duplici 1. classis nihil fit in officio et missa; neque de ea in duplici 1. classis alia missa celebratur in ecclesiis cathedralibus et collegiatis.

d. Festum occurrens aut translatum.

e. Octava id est dies octava.

f. Et in vigilia Ascensionis tres juxta propriam rubricam. Has duas missas in ecclesiis cathedralibus et collegiatis in casibus per rubricam expressis dicendas esse, constat ex Decretis S. R. C., etiam in casu celebrandi missam votivam, anniversarium, etc. (2).

Duæ vel plures missæ eadem die in eadem ecclesia de eodem officio, sive per eumdem sive per alium clerum cantari non possunt (3). Unde Episcopo pontificaliter celebrante in festis, altera missa non est cantanda per capitulum, sed legenda (4). Sed plures missæ de eodem Sancto vel Mysterio in eadem ecclesia prohibitæ, illæ sunt quæ, præter Conventualem nunquam in Collegialibus Ecclesiis omittendam, in officiatura chorali concinuntur, vel aliquam cum eadem relationem dicunt. Quapropter præfatæ missæ sive ad petitionem viventium, sive ex fundatione, dummodo ante vel

(1) S. R. C. 5 Jul. 1698, n. 2002, 9; 22 Dec. 1753, n. 2427, 9.
(2) Vid. *Praxis Pont.* tom. I, n. 254.
(3) S. R. C. 3 Jul. 1869, n. 3209, 1.
(4) S. R. C. 12 Nov. 1831, n. 2682, 20.

Digitized by Google

post absolutum chorale officium, ac sine ulla cum eo relatione concinantur, non sunt vetitæ (1).

g. In rubricis nihil dicitur de feriis quadragesimæ, quia octavæ toto tempore quadragesimali prohibentur, et ubi ex privilegio permittuntur, sequendum est indultum (2). Neque etiam aliquid statuitur de feriis adventus, quia cum missam propriam non habeant, missa extra vigilias et quatuor tempora dicitur de octava cum commemoratione feriæ adventus.

h. Infra octavam de qua fit officium.

i. Missa scilicet tam conventualis quam quæcumque alia, non exclusis tamen votivis et de *Requiem :* ita ut, si missa diei celebranda sit, dicenda sit non de octava, de qua fit officium, sed de vigilia vel feriis supradictis cum commemoratione octavæ. Ratio est, quia missa octavæ sæpius repetitur, ideoque convenit, ut cedat missæ propriæ vigiliæ aut feriæ; et ut populus qui sæpius ad missam convenire solet quam ad officium, moneatur de jejunio per missam vigiliæ, quæ in colore violaceo celebratur. Excipitur in rubricis octava Corporis Christi propter magnam istius octavæ solemnitatem et populi devotionem erga missam ss. Sacramenti.

k. In missis privatis, id est non conventualibus infra octavam Corporis Christi, sive privatim sive solemniter celebrentur (3).

l. Tunc missa non conventualis infra quamcumque octavam dicitur de festo cum commemoratione octavæ, feriæ vel vigiliæ; et si sit missa conventualis sive infra octavam Corporis Christi sive infra quamcumque aliam octavam, dicitur de festo cum commemoratione octavæ, sed alia missa dicenda est de vigilia vel feriis prædictis juxta Rub. n. 1.

m. Missa vigiliæ in adventu dicitur cum commemoratione feriæ, quia vigilia missam propriam habet, non autem feria adventus. Si occurrat festum novem lectionum, in missa fit

(1) S. R. C. 30 Jun. 1896, n. 3921.
(2) S. R. C. 5 Maii 1736, n. 2319, 26.
(3) Janssens p. I, tit. 13, n. 11.

Digitized by Google

commemoratio vigiliæ sed post commemorationem feriæ *(vid. n.* 71), et in missa ejusdem festi, si sit extra quatuor tempora, legitur evangelium vigiliæ in fine missæ *(vid. n. 94)*.

23. Feria dicitur a feriando, estque nomen sacrum, non a ritu gentilium sed ex s. Scriptura, in qua, *Lev. 23*, sæpius occurrit, desumptum. Cum enim fideles nollent dies nominare a diis gentium vel judaico more a sabbato, primam, secundam sabbati, etc.; idcirco ac si dominica prima dies seu feria diceretur, appellaverunt reliquos dies feriam secundam, tertiam, etc., retentis sabbato propter usum s. Scripturæ et memoriam creationis mundi, ac die dominica propter suam præ reliquis diebus excellentiam et auctoritatem s. Scripturæ, in qua *Apoc.* I, 10, ita vocatur. Usum hunc ut jam feriæ in Ecclesia vocari cœperant, s. Silvester confirmavit, ut legitur in breviario 31 Decembris. Ratio hujus nominationis est, qua nos omnes non quidem a necessariis vitæ operibus, sed tamen a vitiis feriari seu vacare debemus; et 2° ut significetur, clericos quotidie, abjecta cæterarum rerum cura, uni Deo prorsus vacare debere.

Feriæ dividuntur in majores et minores. Majores sunt, de quibus semper fit officium vel saltem commemoratio; quales sunt feriæ adventus, quadragesimæ, quatuor temporum et secunda rogationum : reliquæ omnes sunt minores, de quibus occurente festo etiam simplice aut vigilia, nequidem fit commemoratio, exceptis feriis rogationum, de quibus in missa fit commemoratio.

Feriæ majores subdividuntur in privilegiatas et non privilegiatas. Privilegiatæ sunt feria 4ª cinerum et omnes feriæ majoris hebdomadæ, quæ nulli officio aut festo cedunt; quibus adduntur dies infra octavas Paschæ et Pentecostes, qui in rubricis breviarii tit. V nomine feriæ appellantur. Reliquæ omnes sunt non privilegiatæ, quæ cedunt officio 9 lectionum, sed non simplici neque vigiliæ.

24. Vigilia, uti hodie observatur, definiri potest : solemnis festi præventio, ut fideles per jejunium et saltem officium diei disponantur ad dignam festi celebrationem. Sic dicitur a vigilando, quia fideles in his diebus per totam noctem olim

Digitized by Google

vigilare solebant : hæ autem nocturnæ vigiliæ vel propter abusus interdictæ sunt (1), vel pietate frigescente in desuetudinem abierunt (2). Hinc factum est, ut solemnitates, quæ deinde institutæ sunt, vigilias non habeant, ut festum Corporis Christi, festa B. M. V. Assumptione et Immaculata Conceptione exceptis, s. Joseph, etc.

Dividitur 1° in vigiliam, quæ jejunatur, et quæ non jejunatur. Omnes vigiliæ in Ecclesia universali jejunantur præter vigilias Epiphaniæ et Ascensionis Domini, nisi auctoritate Sedis Apostolicæ obligatio in quibusdam locis sublata sit, ut per Clem. XIV, 22 Junii 1771 in ditione Austriaca (3) et per Indultum pro reductione festorum 9 Ap. 1802 in toto territorio reipublicæ Gallicanæ omnia vigiliarum jejunia suppressa sunt præter hæc quinque : 1° ante Nativitatem Domini, 2° ante Pentecosten, 3° ante solemnitatem ss. Petri et Pauli, 4° ante Assumptionem B. M. V. et 5° ante festum omnium Sanctorum. Vid. tom. II, n. 239.

Dividitur 2° in privilegiatam et non privilegiatam. Privilegiatæ sunt tantum hæ tres : scilicet Nativitatis Domini, Epiphaniæ et Pentecostes, quarum hæ duæ, Epiphaniæ et Pentecostes ritu semiduplici celebrantur, et illa Nativitatis Domini ritu duplici a laudibus. Vigiliæ Nativitatis Domini et Pentecostes etiam nulli festo cedunt. Reliquæ omnes non sunt privilegiatæ, et ritu tantum simplici seu feriali celebrantur.

Titulus IV.

DE MISSIS VOTIVIS SANCTÆ MARIÆ ET ALIIS.

Rub. 1. *In Sabbatis non impeditis Festo Duplici, vel Semiduplici, Octava, Vigilia, Feria Quadragesimæ vel*

(1) Ita Durandus l. 6, c. 7, n. 8; Grancolas comm. hist. l. 1, c. 20 et 45; Quarti p. 1, t. 3.

(2) Ita Duranti de rit. eccl. l. 3, c. 4; Guyetus l. 1, c. 17, q. 1; Merati in rub. brev. de vig.

(3) Syn. Belg. tom. 2, fol. 507.

Digitized by Google

Quatuor Temporum, vel Officio alicujus Dominicæ, quæ supersit, in præcedens Sabbatum translato, dicitur Missa de Sancta Maria secundum varietatem temporum, ut in fine Missalis ponitur.

2. *In Adventu autem, licet Officium non fiat de Sancta Maria in Sabbato, dicitur tamen Missa principalis de ea cum commemoratione de Adventu, nisi fuerint Quatuor Tempora, vel Vigilia, ut supra.*

3. *Aliis diebus infra hebdomadam, quando Officium fit de Feria, et non est resumenda Missa Dominicæ præcedentis, quæ fuerit impedita (exceptis Feriis Adventus, Quadragesimæ, Quatuor Temporum, Rogationum, et Vigiliarium) dici potest aliqua ex Missis votivis, etiam in principali Missa, quæ vocatur Conventualis, secundum ordinem dierum in fine Missalis assignatum, cum commemoratione Feriæ, de qua factum est officium. Quæ tamen Missæ, et omnes aliæ Votivæ, in Missis privatis dici possunt pro arbitrio Sacerdotum, quocumque die Officium non est duplex, aut Dominica, cum commemoratione ejus, de quo factum est Officium, et commemoratione item Festi simplicis, si de aliquo occurrat eo die fieri commemorationem in Officio. Id vero passim non fiat, nisi rationabili de causa. Et quoad fieri potest, Missa cum Officio conveniat.*

---

25. Missa conventualis, ut dictum est n. 15, semper debet esse conformis officio, et nunquam potest esse votiva, exceptis his casibus, quæ hic enumerantur in Rub. n. 2, quando debet esse votiva de s. Maria, et n. 3, quando potest, sed non debet esse votiva, ut patet ex verbis rubricarum.

Quod dicitur n. 3 de resumenda missa dominicæ præcedentis, intelligitur de casu, quo aliqua dominica impedita fuit festo duplici in ea occurrente, ita ut missa dominicæ dici non potuerit : quo casu prima die, qua infra hebdomadam fit officium feriale, missa conventualis dici non potest votiva secundum ordinem dierum in fine missalis assignatum, sed dici debet de dominica præcedente. Idem dicendum est de feria, in qua officium dominicæ anticipatur.

Digitized by Google

Rubricæ præcedentes agunt de missa conventuali usque ad verba n. 3 *quæ tamen Missæ, et omnes etc.*, quæ spectant ad missas privatas seu non conventuales, sive privatim sive solemniter celebrentur, et de his solis in sequentibus agetur.

26. Quid est missa votiva et quomodo dividitur?

R. Est ea quæ celebratur extra ordinem officii, juxta initiales rubricas generales missalis, supra allatas n. 12; ita ut quæcumque sit missa, et quacumque die dicatur extra ordinem officii, celebranda sit juxta rubricas generales hujus tituli IV aliasque quæ de missis votivis agunt. Sic dicta est a voto seu desiderio celebrantis aut petentis.

Dividitur in votivam late sumptam et stricte sumptam. Illa est, quæ a rubricis præscribitur dicenda tali die ex voto seu devotione ipsius Ecclesiæ, ut missa principalis de s. Maria in sabbatis adventus; ad hanc reduci possunt missæ, quæ de feriis vel vigiliis infra octavam celebrantur, et quæ in cathedralibus et collegiatis præter missam festi occurrentis dicuntur juxta rub. tit. 3.

Votiva stricte sumpta est, quæ celebratur extra ordinem officii, quin a rubricis præscribatur; et dividitur in privatam et solemnem. Hæc est, quæ cantatur pro re gravi vel publica Ecclesiæ causa, et ex præscripto ordinarii; privata autem, quæ celebratur pro arbitrio celebrantis, vel ex præscripto quidem ordinarii, sed non pro re gravi, sive solemniter cantetur, sive privatim legatur.

27. Quid requiritur, ut quis celebret missam votivam?

R. 1° Ut ista missa pro votiva legi permittatur; 2° ut dies eam permittat; 3° ut habeatur causa rationabilis, et pro votiva solemni res quidem gravis vel publica Ecclesiæ causa (1); 4° ut pro votiva solemni adsit indictio vel saltem licentia ordinarii (2).

Quæ est causa rationabilis, quæ requiritur ad celebrandam missam votivam privatam?

(1) Rub. gen. hoc. tit. n. 3, tit. VIII, n. 4, et tit. XI in fine.
(2) S. R. C. 28 Sept. 1675, n. 1549.

Digitized by Google

R. Talis non est celerior missæ expeditio vel quid simile, sed requiritur et sufficit, ut ab offerente stipendium postuletur votiva, vel habeatur aliquod virtutis motivum aut specialis devotio erga aliquod mysterium aut sanctum (1). Ratio est, quia officium est præparatio et dispositio ad missam, et Ecclesia officium et missam ordinat ad eumdem finem, ad idem nempe mysterium aut sanctum colendum : quoad igitur fieri potest, missa cum officio convenire debet, et sine causa saltem rationabili ab eo discordare non potest. Insuper sacrificium Deo est tanto acceptabilius et hominibus salutarius, quanto Ecclesiæ ritibus est conformius.

Quæ est causa gravis et publica, quæ requiritur ad cantandam votivam solemnem?

R. Talis est spiritualis vel temporalis necessitas, quæ communitatem vel saltem majorem ejus partem afficit : v. g. pro obtinenda pace, serenitate aeris, etc., pro acquirendo gravi et publico beneficio vel avertendo malo, pro recuperanda sanitate Pontificis, Episcopi, Regis, etc., si gratiæ pro magno accepto beneficio sint agendæ, etc. (2).

Id autem intelligendum est tantum pro illa vice, qua necessitas occurrit : ita ut Episcopus per modum regulæ seu pro quadam necessitate quotannis occurrente non possit indicere missam votivam solemnem. Et sic S. R. Congregatio (3) rescripsit adorationem perpetuam non esse rationem sufficientem, ad indicendam votivam solemnem ss. Sacramenti : quod tamen indulto Apostolico pro diœcesi Brugensi concessum est (4). Item quamvis exertitium missionis civitatis aut pagi causa gravis esse possit, ad unica vice initio exercitii cantandam votivam solemnem v. g. de Spiritu Sancto, si licentia ordinarii accedat; ista tamen singulis diebus temporis missionis, aut sine speciali ordinarii licentia nullo modo celebrari permittitur.

(1) S. Alph. de Ligorio l. 6, n. 419; Quarti p. I, t. 4, d. 2.
(2) Merati p. 1, t. IV, n. 52; Gardellini in instr. Clem. § 12, n. 26.
(3) S. R. C. 12 Sept. 1840, n. 2814, 3.
(4) 30 Mart. 1846.

Digitized by Google

Præterea pro causa gravi et sufficienti ad cantandam votivam solemnem, non habentur electio abbatissæ (1); neque vestitio et professio religiosa, etiamsi ea sit loci consuetudo (2); neque processio, sive instituatur ratione ss. Sacramenti, eo quod in ejus die festo vel per octavam commode haberi non possit (3), sive in dominicis ratione alicujus confraternitatis (4); neque novena, etiam solemniter celebrata (5); neque primitiæ neosacerdotum, nec jubilæum etiam 50 annorum juxta communem opinionem. Adeoque in his et similibus casibus, si votiva privata non permittatur, missa diei cantanda est, qua multo efficacius obtinebitur effectus, quam si votiva contra rubricas celebraretur. Pariter missa diei cantanda est feriis quintis, ubi cantatur missa in honorem ss. Sacramenti, si dies votivam privatam non permittat (6).

QUIBUS DIEBUS MISSA VOTIVA PRIVATA ET SOLEMNIS PERMITTITUR ET PROHIBETUR.

28. Quibus diebus votiva privata permittitur et prohibetur?

R. I. Permittitur in semiduplicibus, simplicibus et feriis, exceptis infra dicendis, in quibus prohibetur.

II. Prohibetur, 1° in omnibus duplicibus et dominicis; infra octavas Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, Corporis Christi, et Nativitatis Domini; feria quarta cinerum, et tota hebdomada sancta; in vigiliis Epiphaniæ, Pentecostes et Nativitatis Domini (7) atque in commemoratione fidelium defunctorum. Id intelligendum est de omni missa votiva privata, sive cantetur sive legatur; sive solemniter celebretur sive non;

(1) S. R. C. 28 Apr. 1708, n. 2184, 5.
(2) 24 Jul. 1683, n. 1714, 5; 26 Aug. 1702, n. 2101.
(3) 8 Mart. 1749, n. 2402; 10 Sept. 1796, n. 2552, 4.
(4) 6 Dec. 1653, n. 954.
(5) 2 Sept. 1690, n. 1843, 5 et 6.
(6) 24 Jul. 1683, n. 1714, 6.
(7) Rub. hujus tit. 4, n. 3; S. R. C. 28 Sept. 1675, n. 1549; 29 Sept. 1714, n. 2228.

Digitized by Google

sive fiat pro re levi, sive pro re gravi, modo non habeatur indictio vel specialis ordinarii licentia; sive missa sit fundata et quotannis celebranda sive non (1).

Prohibetur 2° missa votiva de mysterio aut sancto ea die, qua de eodem fit officium ratione festi aut octavæ : ita ut eo casu missa diei celebranda sit cum commemorationibus, *Gloria* et *Credo*, prout missa diei exigit, uti S. R. C. declaravit quoad missam votivam B. M. V., quod, quia eadem omnium est ratio, ad alios casus est extendendum (2).

Si tamen dicenda sit missa in honorem mysterii aut sancti infra octavam ejusdem, in die, quo fit officium de alio semiduplice; sumenda quidem est missa de octava, more autem votivo (3), sine *Credo* et semper cum evangelio s. Joannis in fine missæ, sed tamen cum *Gloria,* uti S. R. C. declaravit (4) quoad votivam B. M. V infra octavam ejusdem B. M. V.; quod ad alios sanctos quoad *Gloria* propter festivitatem extendendum videtur (5). Idem fieri debet, si celebretur in honorem mysterii aut sancti infra ejusdem octavam, in die, qua de eadem octava fit officium, sed in vigilia, feriis 4 temporum aut feria secunda rogationum; ita ut juxta rubricas gen. tit. III, n. 2, pro missa diei dicenda sit missa vigiliæ vel feriæ : quo casu celebranda quidem est missa de octava, more autem votivo, cum *Gloria* ob festivitatem, sed sine *Credo* et sine evangelio vigiliæ aut feriæ in fine missæ, ut supra dictum est : quia licet hæc missa concordet cum officio, non est tamen præscripta a rubricis, nec propria illius diei,

(1) S. R. C. 28 Sept. 1675, n. 1549; 24 Jul. 1683, n. 1714, 6; 22 Dec. 1753, n. 2427, 3.

(2) S. R. C. 26 Jan. 1793, n. 2542, 2; 12 Nov. 1831, n. 2683, 1 et 2.

(3) Dec. cit. 26 Jan. 1793.

(4) S. R. C. 22 Aug. 1744, n. 2578, 7. Hic non obstat dec. 25 Feb. 1859, n. 2788, 1, quia agit de sacerdote dispensato ad legendam votivam ob defectum visus, qui infra octavam B. M. V. extra sabbatum omittit *Gloria,* quia celebrat votivam a Pentecoste usque ad adventum, quæ cum octava nihil habet commune; alius autem sacerdos infra octavam celebrat pro votiva missam de octava, adeoque dicere debet *Gloria* ratione octavæ seu festivitatis.

(5) S. R. C. 13 Jun. 1671, n. 1421, 2.

Digitized by Google

sed dicitur pro libitu sacerdotis, adeoque celebranda est in gradu missæ votivæ (1).

Si dicenda sit missa in honorem sancti, qui in officio diei solam habet commemorationem, ut de s. Thecla in festo s. Lini 23 Sept.; missa de eodem, si dies permittat, integra celebrari potest cum commemoratione ejus, de quo fit officium, et cum *Gloria* in gratiam festivitatis, in reliquis vero more votivo (2).

Not. per dies dominicos, in quibus prohibentur votivæ privatæ, intelligi ipsos dies, non autem dies feriales, in quibus officium dominicale quandoque anticipatur; et 2° per octavam Corporis Christi intelligi illam solam, quæ incipitur feria quinta post dominicam ss. Trinitatis.

29. Quibus diebus permittitur missa votiva solemnis, quæ celebratur ex indictione vel cum licentia ordinarii pro re gravi vel publica Ecclesiæ causa?

R. Omnibus diebus et festis, exceptis 1° duplicibus 1. cl., dominicis 1. cl., feriis cinerum et majoris hebdomadæ, vigiliis Pentecostes et Nativitatis Domini : 2° exceptis iis diebus, in quibus de eo, de quo missa votiva est cantanda, fit officium ratione festi aut octavæ : quia tunc celebranda est missa festivitatis aut de infra octavam tanquam non votiva, si de eadem octava recitetur officium; si vero recitetur officium alterius festi, pariter celebranda est missa de infra octavam, more autem votivo (3). Notandum autem est, ut missa prædictis diebus cantari possit, requiri, ut solemniter et cum ministris sacris celebretur, vel saltem, si paramenta aut ministri sacri desint, cum aliqua solemnitate, quæ eam a simplici et privata distinguat, in cantu celebretur.

Si diebus exceptis votiva solemnis præscribatur, celebranda est missa diei, cujus orationi principali sub una conclusione abdenda est oratio missæ votivæ (4). Hæc missa certe est

(1) Merati p. 1, tit. 3, n. 4.
(2) Dec. cit. 13 Jun. 1671.
(3) S. R. C. 26 Jan. 1793, n. 2542, 2; 12 Nov. 1831, n. 2683, 1 et 2.
(4) S. R. C. 27 Mart. 1753, n. 2494, 4.

Digitized by Google

celebranda cum *Gloria* et *Credo*, vel sine illis, prout ejus ritus et qualitas exigunt. Plures censent orationes communes in ea omittendas esse, quia in locum votivæ solemnis subrogatur, et ejus naturam induit; potius autem dicendum est, hanc missam celebrandam esse cum omnibus orationibus, quæ in missa diei fieri debent, quia missa diei celebratur, quæ vel omnes illas orationes, sicut *Gloria* et *Credo*, exigit, vel non admittit; et decreta S. R. C. nihil aliud immutandum, abdendum aut omittendum statuunt (1).

30. Quando permittatur missa anniversaria electionis et consecrationis Episcopi vid. in mea Praxi Pontificali tom. 3, n. 258-260.

Notandum quoad alias missas in præfata die anniversaria celebrandas : 1° clerum non teneri missas anniversariæ electionis et consecrationis Episcopi celebrare in tota diœcesi (2) : quinimo hanc missam, quum votivis non sit accensenda, non posse ad libitum celebrari (3). 2° Ex consuetudine tamen probata et confirmata per plura S. R. C. decreta, accedente mandato Episcopi, per universam diœcesim in omnibus missis, quæ non sunt de *Requiem*, faciendam esse commemorationem tam electionis seu confirmationis, quam consecrationis Episcopi, ab omnibus sacerdotibus sæcularibus et regularibus (4), præterquam in missa conventuali, ubi post nonam cantatur missa ejusdem anniversarii (5), et præterquam in dominica palmarum, triduo sacro majoris hebdomadæ, atque vigiliis Nativitatis et Pentecostes, quæ unicam tantum orationem admittunt, et in omnibus duplicibus 1. cl., in quibus hæc commemoratio est omittenda (6). Pariter exclusa remanet commemoratio Anniversarii diebus non festivis sed duplicia excludentibus, si in missa excluditur quæcumque collecta (7).

(1) Janssens p. 1, tit. 9, n. 68 et seq. Vid. Gardellini instr. Clem. § 12, n. 8, 9 et 10; Bouvry p. 3, s. 2, app. ad tit. 9.
(2) S. R. C. 24 Ap. 1706, n. 2168.
(3) S. R. C. 12 Sept. 1840, n. 2823, 2.
(4) S. R. C. 14 Aug. 1858, n. 3078, 4.
(5) S. R. C. 17 Sept. 1785, n. 2528, 3.
(6) Dec. cit. 12 Sept. 1840, 3.
(7) S. R. C. 18 Maji 1883, n. 3575, 7.

Digitized by Google

In duplicibus 2. cl. hæc commemoratio juxta idem decretum cit. unitur principali orationi missæ sub una conclusione, nisi alia commemoratio sub distincta conclusione sit facienda, cui tunc adjungitur; in diebus autem inferioris ritus semper dicitur sub distincta conclusione, et post alias orationes de præcepto, sed ante orationes votivas (1). *Vid. n. 74.* 3° In missa, in qua fit commemoratio dicti anniversarii, non ideo dicendum esse *Credo* (2).

31. Quibus diebus permittuntur missæ votivæ in precibus 40 horarum?

R. Omnibus diebus, exceptis duplicibus 1. et 2. cl., dominicis 1. et 2. cl., feria quarta cinerum, hebdomada sancta, diebus infra octavas Epiphaniæ, Paschatis et Pentecostes, atque vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes (3).

Prima et tertia die cantatur missa de ss. Sacramento, et die intermedia de pace vel alia necessitate, arbitrio Episcopi (4). In missa votiva ss. Sacramenti pro solemni ejusdem expositione et repositione omittenda est quælibet commemoratio et collecta. Infra octavam ss. Corporis Christi, missa erit de eadem octava, cum sequentia et unica oratione, absque commemorationibus et collectis.

Diebus supra exceptis canenda est missa diei currentis cum oratione ss. Sacramenti sub unica conclusione, omissis collectis et commemorationibus. Quod si festum aliquod primæ vel secundæ classis occurrat in dominica, tunc secundo loco, sub distincta conclusione, fit commemoratio dominicæ, et dicitur ejus evangelium in fine. Missæ *pro pace* adjungitur oratio ss. Sacramenti sub unica conclusione; in diebus tamen exceptis, missa canenda erit diei currentis cum oratione *pro pace* sub unica conclusione.

Feria quarta cinerum in una ex diebus expositionis occurrente, tonus ferialis in cantu orationum, præfationis, et *Pater*

(1) Dec. cit. 17 Sept. 2528, 3.
(2) Dec. cit. 12 Sept. 1840, 1.
(3) Gardellini instr. Clem. § 12, n. 8, 18, 22, § 15, n. 1.
(4) S. R. C. 23 Maji 1835, n. 2725.

Digitized by Google

noster est abhibendus; et non omittitur *oratio super populum* (1).

In his missis votivis ss. Sacramenti dicitur *Gloria* et *Credo;* sed die intermedio, si celebretur de pace vel alia necessitate in colore violaceo, fit sine *Gloria* et extra dominicam etiam sine *Credo*. Si diebus exceptis cantanda est missa diei, hæc missa celebratur cum *Gloria* et *Credo*, vel sine illis, prout ritus vel qualitas missæ diei exigunt, ut dictum est supra n. 29.

Not. ut hæc et reliqua privilegia, quæ precibus 40 horarum concessa sunt, subsistant, requiri, ut servetur forma in instructione Clem. XI. 1 Sept. 1730 præscripta. Hæc instructio Romæ tantum vim legis habet. Penes Episcopum tamen est eam ex toto aut ex parte sequi, prout Summi Pontifices eamdem pro Urbe Roma disposuerunt (2); et laudandi sunt, qui se illi conformare student, nisi aliud ab ordinariis locorum statutum sit (3).

Privilegia ad preces, quæ adinstar orationis 40 horarum instituuntur per tres dies continuos, ita tamen, ut de nocte ss. Sacramentum recondatur, et oratio interrumpatur, extendi nequeunt (4). Unde sequitur :

1° Quod in tali expositione missæ votivæ supradictæ in duplicibus et æquivalentibus non sint celebrandæ, sed tantum celebrari permittantur diebus, quibus votivæ privatæ permittuntur, et solummodo more votivæ privatæ, nisi, ut notat Gardellini (5), « pro publico Ecclesiæ bono, gravique causa, » vel ad implorandum divinum auxilium in urgente aliqua » necessitate id fiat; ita ut eadem concurrat ratio, quæ obtinet » in oratione 40 horarum. Quamobrem non dubitarem, posse » missam solemnem de Sacramento celebrari, servatis tamen » forma, exceptionibus et limitationibus Clementinæ instruc- » tionis. »

2° Quod indulgentiam de juris rigore haud consequi pos-

(1) S. R. C. 18 Maji 1883, Marianopolitana, n. 3574, 5.
(2) Martinucci, lib. 2, cap. XXXVIII, n. 1.
(3) S. R. C. 12 Jul. 1749, n. 2403.
(4) Gardellini instr. Clem. § 33, n. 4.
(5) Instr. Clem. § 12, n. 2

Digitized by Google

sint fideles, nisi servata forma instructionis. Idcirco S. C. Episc. et Reg. 5 Ap. 1657, declaravit : « Si expositio ss. Sa- » cramenti continua non sit diu noctuque, admoneri debet » populus, non lucrifieri indulgentias, pro oratione 40 hora- » rum concessas. » Ne tamen populus spirituali illo bono privetur, Benedictus XIV Episcopo Warmiensi rescripsit : « Equidem veteris disciplinæ severitate remissa, nunc eas- » dem indulgentias concedi intelligitur, etiamsi Sacramentum » Eucharistiæ per horas quadraginta continuas gravissimis » de causis minime prostet, modo tamen horis diurnis semper » expositum publice relinquatur » (1).

Cum in pluribus ecclesiis pia invaluerit consuetudo, ss. Sacramentum publice exponendi adinstar orationis 40 horarum per tres dies continuos infra hebdomadam septuagesimæ, sexagesimæ, vel quinquagesimæ, aut etiam in sola feria quinta infra hebdomadam sexagesimæ, juvabit hac occasione referre decretum plenariæ indulgentiæ, huic expositioni concessæ, datum per Cong. Indulg. 23 Jul. 1765 (2). « Cum alias » Benedictus XIV, ad frequentes Episcoporum Pontificiæ » Ditionis querelas gravioribus abusibus, qui bacchanalium » tempore irrepserant, opportuno remedio, occurrere con- » cupiverit, perspexeritque in aliquibus Ecclesiis salutari » consilio institutam esse ss. Eucharistiæ Sacramenti expo- » sitionem per tres dies, sive in hebdomada septuagesimæ, » sive in altera sexagesimæ aut quinguagesimæ ante diem » cinerum, ad hoc præcipue, ne fideles tempore tentationis a » via Domini recederent, et in prædictis Ecclesiis pie orantes » divina impetrarent auxilia, universis utriusque sexus Christi » fidelibus confessis, et sacra Communione refectis, qui eas- » dem Ecclesias, in quibus venerabilis expositio sive in uno, » sive in singulis prædictis triduis fieret, devote visitarent, » indulgentiam plenariam misericorditer concessit et indulsit. » Hinc Sanctissimus Dominus Noster Clemens Papa XIII

(1) 16 Ap. 1746. Constit. *Accipimus* n. V; Gardellini instr. Clem. § 33, n. 5, 6, 7; S. C. Indulg. 28 Nov. 1724, apud Prinzivalli n. 54.

(2) Apud Prinzivalli n. 277.

Digitized by Google

» sedulo recogitans præfatam augustissimi Sacramenti expo-
» sitionem plurimum hisce diebus profuisse, ac deinceps fore
» profuturam, eamdem plenariam indulgentiam ad quascum-
» que catholici Orbis Ecclesias ubicumque locorum existentes,
» ubi venerabilis expositio sive in hebdomada septuagesimæ,
» sive sexagesimæ, aut quinquagesimæ, sive in singulis præ-
» dictis hebdomadis per tres dies, atque etiam si tantummodo
» in feria V infra hebdomadam sexagesimæ peragatur, ex
» uberi Pontificiæ charitatis fonte benignissime extendit. »
Notandum 1° ad hanc indulgentiam requiri ut exposito fiat in diebus seu hebdomadis nominatis, et per tres dies, nisi sit in feria quinta sexagesimæ, non autem ut per 40 horas, neque ut diu noctuque ss. Sacramentum exponatur, ut patet ex Const. Bened. XIV *Inter cætera* 1 *Jan.* 1748, quæ præscribit, ut quotidie populus ad vesperam cum ss. Sacramento benedicatur, et proinde ss. Sacramentum reponatur; 2° requiri Confessionem, Communionem, et devotam ecclesiæ visitationem, ibidem orando juxta mentem Ecclesiæ : hæc visitatio non quidem protrahenda ad integram horam, sed verosimiliter instituenda est in singulis tribus diebus juxta cit. Const. Bened. XIV, nisi expositio fiat in sola feria quinta sexagesimæ; 3° hanc indulgentiam non esse applicabilem fidelibus defunctis, partiales indulgentias visitantibus ecclesiam non esse concessas, nec altaria esse privilegiata, quia hæc tantum precibus 40 horarum, a Clem. XI. institutis, concessa sunt (1).

Notandum diem perpetuæ adorationis, sine speciali indulto, non habere privilegium cantandi missam votivam ss. Sacramenti; ita ut in duplici et æquivalente missa diei cantanda sit : et si, quia votiva privata illa die permittitur, votiva cantetur, eamdem celebrandam esse sine *Gloria* et *Credo*, et cum tribus saltem orationibus (2).

Speciale indultum pro Archidiœcesi Mechliniensi concessum est 11 Decembris 1862, vi cujus in die adorationis perpetuæ missa solemnis expositionis cani possit votiva ss. Sacramenti

(1) Vid. Gardellini instr. Clem. § 33.
(2) S. R. C. 12 Sept. 1840, n. 2814, 3.

Digitized by Google

ut in precibus 40 horarum. *Vid. directorium diœcesanum 1864 fol. 90, et notanda pro adoratione perpetua tom. II, n. 25 ad XII.*

32. Aliquando missa votiva in duplice et æquivalente solemniter cantatur ex speciali indulto aut ex consuetudine. Si id fiat ex indulto, attendendus est tenor indulti tam quoad dies in quibus permittitur, quam quoad ritum quo est celebranda, an scilicet cum unica vel cum tribus orationibus, an cum *Gloria* et *Credo* vel sine illis (1); et si ex sola consuetudine, considerandum est, an legitima sit et quousque se extendat. Sic ex speciali privilegio permittitur missa votiva B. M. V. cum *Gloria* et *Credo* in novem diebus ante nativitatem Domini, etiam in dominicis et festo s. Thomæ (2); toto tempore Adventus, exceptis solemnioribus festivitatibus, dummodo canatur sine *Gloria* (præter quam in sabbatis et infra octavam ejusdem B. M.) et sine *Credo* (3). Quum autem hæc indulta data sint ex speciali gratia aut ob immemorabilem consuetudinem; regulam generalem non faciunt, et ad alias ecclesias non extenduntur.

Speciale quoque privilegium concessum est celeberrimæ ecclesiæ B. M. V. in Aspricolle intra fines archidiœcesis Mechliniensis sitæ, ad quam ultra centum processiones et quidem centum millia peregrinorum annue accedunt, ad venerandam B. M. V. in pervetusta imagine, quæ ibi antiquo cultu innumerisque clara miraculis religiosissime asservatur : scilicet ejusdem ecclesiæ « rector Sanctitatem Suam » rogavit enixe, ut de benignitate Apostolica consuetudinem » confirmare dignaretur, vel de novo concedere, 1° ut in » ecclesia ipsa quæ sanctuarii nomen obtinet, missa votiva » decantetur, quotiescumque pia processio ad B. V. vene- » randam ex aliis locis accedit, etiam si occurrant feriæ » secunda et tertia pentecostes; 2° ut singuli sacerdotes, » qui piæ peregrinationis causa ad sanctuarium ipsum acce-

(1) Vid. decr. S. R. C. 7 Aug. 1875, n. 3365, 4 et 6.
(2) 9 Dec. 1713, n. 2223; 12 Sept. 1716, n. 2238.
(3) 22 Aug. 1744, n. 2378, 7.

Digitized by Google

„ dunt, celebrare valeant missam itidem B. M. V. votivam
„ de tempore. Et eadem Sanctitas Sua referente S. R. C.
„ secretario benigne quoad utrumque annuit ex speciali
„ gratia, sed quoad missas lectas bis tantum in qualibet
„ hebdomada, feria nimirum quarta et sabbato, exceptis in
„ utroque festis de præcepto servandis, duplicibus 1ae et
„ 2ae classis, octavis privilegiatis, cæterisque festis Deiparæ,
„ nec non quatuor temporibus, aliisque feriis et vigiliis pri-
„ vilegiatis, dummodo rubricæ in omnibus serventur. Con-
„ trariis non obstantibus quibuscumque. Die 16 Martii 1854. „
Ex originali. Hæc missa votiva lecta celebranda est prout alia votiva B. M. V. et semper cum tribus ad minus orationibus, etiamsi officium fiat de duplici. Missa, quæ cantatur occasione processionis, cum *Gloria* et *Credo* adinstar votivæ solemnis celebrari solet : hoc tamen ex indulto non sequitur, quia missæ lectæ et cantatæ ibidem confunduntur, et dum agitur de missa cantata, neque mentio fit missæ solemnis neque alicujus solemnitatis; cum autem hæ missæ cum extraordinario ex dissitis locis populi concursu cantentur, huic consuetudini favere dicenda sunt decreta S. R. C. citanda n. 90 ad 11. In indulto excipiuntur : 1° *festa de præcepto servanda,* qualia sunt omnes dominicæ et omnia festa, in quibus parochus missam pro populo applicare debet, ut dicetur n. 56 in notis post resp. II. 2° *Duplicia 1ae et 2ae classis,* adeoque etiam feriæ secunda et tertia Paschatis ac Pentecostes. 3° *Festa Deiparæ :* et proinde in festis B. M. V. missa festiva et more festivo est legenda et cantanda. Sub festis comprehenduntur octavæ; adeoque in die octava et diebus infra octavam festivitatum B. M. V., in quibus officium fit de octava, missa de octava est celebranda. Si infra octavam fiat de semiduplici aut duplici minori et majori, votiva missa quidem permittitur, sed pro ea sumenda est missa de octava, eaque more votivo celebranda. 4° *Quatuor tempora,* scilicet si occurrat officium duplex : quod si non occurrat, missa votiva ibidem sicut ubique permittitur. 5° *Feriæ et vigiliæ privilegiatæ,* scilicet feria quarta cinerum, tota hebdomada sancta, omnes dies infra octavas Paschatis et Pentecostes qui

Digitized by Google

in rubricis feriæ vocantur, vigiliæ Epiphaniæ, Pentecostes et Nativitatis Domini.

Privilegium etiam speciale concessum est ecclesiis pertinentibus ad Missionarios, ab Immaculata B. M. V. Conceptione nuncupatos, in oppido Lourdes intra fines Tarbien. Diœceseos degentes. Tenor indulti. « Tarbien. Ad cultum et » pietatem erga beatissimam Virginem Deiparam magis » magisque fovendam in oppido vulgo *Lourdes* intra fines » Tarbien. Diœceseos, quo Christifideles tum ipsius loci » sanctitate tum fama beneficiorum permoti ex cunctis Orbis » catholici regionibus piæ peregrinationis causa confluere » solent; hodiernus Moderator Generalis Missionariorum qui » ab Immaculata B. M. V. Conceptione nuncupantur, com- » munibus votis ac præsertim suorum Alumnorum satisfac- » turus, Sanctissimum Dominum Nostrum Leonem Papam XIII » enixis precibus rogavit ut concessis favoribus insequentia » privilegia benigne addere dignaretur, nimirum facultatem » cuilibet Sacerdoti, quamdiu in præfato Oppido moram » faciat, Missam votivam Apparitionis B. M. V. Immaculatæ » celebrandi in Ecclesiis ad eosdem Missionarios pertinen- » tibus : Sanctitas porro Sua, has preces infrascripta die » peramanter excipiens, benigne indulgere dignata est : Ut » Sacerdotibus peregrinis aliquot dies in oppido *Lourdes* » degentibus, et ad præfatas Ecclesias in qnovis Altari Sacrum » facturis, Missam votivam de memorata Apparitione sin- » gulis diebus liceat celebrare; exceptis tamen duplicibus » primæ et secundæ classis, quocumque Deiparæ festo, fes- » tisque de præcepto servandis, nec non feriis, Vigiliis Octa- » visque privilegiatis, ac servatis Rubricis. Contrariis non » obstantibus quibuscumque. Die 13 Januarii 1894. »

Quoad missam auream, quæ in his locis cantatur feria quarta quatuor temporum adventus, expressum decretum in Collectione authentica non invenitur. Cum tamen hæc missa cantetur ex immemorabili consuetudine, et cum maximo populi concursu, æque ac missa in novem diebus ante Nativitatem, de qua supra, in duplice 2 cl. celebrari potest. Pro hac missa sumitur votiva B. M. V. in adventu *Rorate*, cum

Digitized by Google

Gloria et *Credo;* dicitur una tantum oratio, si alia conventualis cantetur; quæ si non cantetur, tunc fieri debent commemorationes, ut dicetur n. 45. Si occurrat in die septima aut octava Conceptionis B. M. V. aut in alio ejusdem festo, ut expectationis partus, non votiva, sed de octava aut festo cantari debet, cum commemorationibus præscriptis, ut dictum est supra n. 28 et 29.

Juxta decretum S. R. C. 28 Junii 1889, in iis Ecclesiis et Oratoriis, ubi feriâ VI, quæ prima unoquoque in mense occurrit, peculiaria exercitia pietatis in honorem Divini Cordis, approbante loci Ordinario, mane peragentur; Leo XIII indulsit, ut hisce exercitiis addi valeat. Missa votiva de Sacro Corde Jesu; dummodo in illam diem non incidat aliquod Festum Domini, aut Duplex primæ classis, vel Feria, Vigilia, Octava ex privilegiatis; de cetero servatis rubricis.

S. R. C. die 20 Maii 1890 rescripsit ejusmodi Missam celebrandam esse ritu, quo Missæ votivæ solemniter cum *Gloria* et *Credo* atque unica oratione celebrantur; quæ, juxta rescriptum Ejusdem Congregationis 20 Maii 1892, intelligi queunt etiam de Missa lecta, seu sine cantu.

33. An missæ votivæ solemnes permittuntur iisdem diebus in ecclesiis, in quibus unica missa cantatur, sicut in illis, in quibus duæ cantantur?

R. Affirmative, quia decreta non distinguunt, cum tamen expresse requirant, ut non omittatur missa conventualis, ubi hæc obligat, idque patet ex decretis citandis n. 69 ad 4.

34. An et quantum peccat, qui celebrat missam votivam vel de *Requiem* in diebus vetitis?

R. Plures putant has rubricas tantum esse directivas, adeoque per se nullum committi peccatum, quia juxta illos Bulla s. Pii V ejusque præceptum videntur tantum intelligenda de illis, quæ pertinent ad missæ integritatem, et non ad qualitatem missæ. Contra quidam censent esse mortale, quia S. R. Congregatio in decreto (1) quod habetur initio missalis, districte præcipit : « Missæ pro defunctis sive de Requiem in

(1) 29 Sept. 1714, n. 2228.

Digitized by Google

» festis duplicibus contra præscriptum rubricarum missalis » romani nullatenus celebrari debent ». Sententia tamen probabilior, ait Quarti (1), docet has rubricas esse præceptivas, et obligare saltem sub veniali, quia s. Pius V præcipit simpliciter et absolute servari ritus in missali præscriptos circa missæ recitationem : sive ergo ritus pertineant ad missæ integritatem, sive ad qualitatem, omnes cadunt sub præcepto; non tamen sub præcepto gravi, quia, ut ait s. Alph. de Ligorio, non videtur in hoc adesse notabilis perversio ritus. Dictum est *saltem sub veniali*, quia potest fieri mortale ratione scandali et contemptus, ut si quis in die Paschatis celebret missam de *Requiem;* et idem tenet s. Alph. de Ligorio de missa publica in festis solemnibus (2).

DE QUIBUS DICI POTEST MISSA VOTIVA.

35. Missæ votivæ in missali assignantur, 1° in ejus fine pro singulis hebdomadæ feriis, si pro missa conventuali celebrentur juxta rubricas ante has missas, scilicet feria 2 de ss. Trinitate, feria 3 de Angelis, feria 4 de Apostolis, feria 5 de Spiritu Sancto, vel de ss. Sacramento, feria 6 de Cruce vel Passione, et sabbato de s. Maria. Pro missa non conventuali quocumque die libero celebrari possunt.

2° Post prædictas in fine missalis habentur : 1° pro eligendo summo Pontifice, 2° in anniversario electionis seu consecrationis Episcopi, 3° ad tollendum schisma, 4° pro quacumque necessitate, 5° pro remissione peccatorum, 6° ad postulandam gratiam bene moriendi, 7° contra paganos, 8° tempore belli, 9° pro pace, 10° pro vitanda mortalitate vel tempore pestilentiæ, 11° pro infirmis, 12° pro peregrinantibus vel iter agentibus, 13° pro sponso et sponsa, 14° quatuor pro defunctis.

3° In pluribus Missis in proprio sanctorum, ut ss. Nominis

(1) Quæst. procem. sect. 2, p. VII.

(2) Vid. dec. S. R. C. 24 Jul. 1683, n. 1714, 2,; s. Alph. de Ligorio l. 6, n. 420; Quarti loco cit., item ibid. s. 6, p. III et p. 1, tit. 4, d. 3; Lohner p. 4, tit. 2, § 1, n. 6 et 8.

Digitized by Google

Jesu, septem dolorum B. M. V., etc. assignatur, quomodo missa festiva pro votiva legenda sit.

36. An omnes aliæ missæ, quæ in missali habentur de tempore, mysteriis aut sanctis, votivæ celebrari possunt?

R. 1° Missæ de tempore, scilicet de dominicis, vel de feriis vel de mysteriis pro votiva celebrari nequeunt, quia id nullibi permittitur, et ritus et veritas verborum extra proprios dies servari nequeunt. Excipiuntur tamen missæ de ss. Trinitate, Spiritu Sancto, ss. Sacramento, Sancta Cruce et Passione D. N. J. C., quorum votivæ in fine Missalis assignantur; et insuper Sanctissimi Nominis Jesu, Sanctissimi Cordis et Pretiosissimi Sanguinis assignatæ in Proprio Sanctorum.

2° Missæ propriæ sanctorum, in quibus, dum extra diem festum leguntur, servatur veritas in verbis, vel in quibus pauca omittendo vel mutando veritas servari potest, ut votivæ celebrari possunt; desumptis, si in missa propria non habeantur, tractu post septuagesimam, versibus tempore paschali, et graduali extra tempus paschale ex missa de communi, prout tempori, quo celebratur, convenit; et omissis iis quæ non conveniunt, v. g. *annua, hodie;* item mutatis *natalitia, solemnitas, festivitas* in *commemoratio, memoria* (1). Pariter loco introitus *Gaudeamus*, qui in quibusdam missis legitur, et extra diem festum non convenit, sumitur introitus de communi. Si autem veritas nequaquam aut difficulter servari possit, legenda est missa de communi sanctorum.

3° Missæ in communi sanctorum ut votivæ celebrari possunt, in orationibus *annua* omittendo, et *natalitia*, *solemnitas* aut *festivitas* mutando in *memoria* aut *commemoratio*. Si illi sancto, cujus votiva legenda est, in proprio sanctorum missa de communi assignetur, eadem sumenda est pro votiva. Si ille sanctus ritu simplici cum altiori officio occurrente celebretur, et sola oratio assignetur de communi, illa missa legenda est, ex qua oratio, secreta aut postcommunio assignantur (2). Si autem orationes non sint de communi, vel in proprio sanctorum de sancto, cujus votiva legenda

(1) S. R. C. 22 Dec. 1755, n. 2427, 2.
(2) S. R. C. 11 Sept. 1841, n. 2859, 6.

Digitized by Google

est, nihil habeatur, sumi potest missa de communi ex 1°, vel 2° loco, prout placuerit, et devotio suggesserit (1). Si celebranda sit votiva de martyre, sumenda est missa de communi tempore paschali vel non paschali, prout ratio temporis exigit. An et quænam ex missa festiva retinenda sint vid. tom. 3, n. 70.

37. An de omnibus sanctis potest celebrari missa votiva?

R. Affirmative, scilicet per missam propriam, si concessa sit, et veritas servari queat, et alias per missam de communi, modo de canonizatione constet ex martyrologio vel alias, ut liquet ex bullis canonizationis et ex communi sententia (2). Hic tamen advertendum, juxta Merati et s. Alph. de Ligorio, horum sanctorum nomine non venire sanctos toleratos tantum, de quorum canonizatione nec ex martyrologio nec aliunde constat, qui sciente et non contradicente Ecclesia sancti appellantur, et coluntur, sed non publico et universali cultu ab Ecclesia concesso : ita ut de talibus missam votivam celebrare non liceat (3), nisi forte in ipsorum die missæ festivæ a sede Apostolica sint concessæ, vel ab immemorabili fuerint recitatæ; quo casu, cum permittantur missæ festivæ, quæ solemniores sunt, etiam votivæ per annum permissæ censendæ sunt, cum aliunde non prohibeantur (4).

38. An missam votivam de beato celebrare licet?

R. Negative, nequidem de illis beatis, de quibus annue in ipsorum die officium et missam dicere est indultum, nisi expresse permittatur : non enim licet limites verbales indultorum Sedis Apostolicæ super beatificationibus excedere, et expressa concessio super his præcedere debet (5).

(1) Merati p. 1, tit. 4, n. 19.

(2) Quarti p. 1, tit. 4, d. 7; Merati p. 1, tit. 4, n. 15; s. Alph. de Ligorio 1, 6, n. 423, adv. III.

(3) S. R. C. 19 Oct. 1691, n. 1853.

(4) Brassine de vot. c. V, n. 17.

(5) S. R. C. 5 Oct. 1652, a Pontifice approb. 16 Dec. n. 942; 27 Sept. 1659, approb. ab Alexandro VII, n. 1150; 3 Jun. 1676, n. 1568, quo ultimo negatur missa votiva et festiva concedi tur; Quarti p. 1, tit. 4, d. 6; Guyetus l. 2, c. 19, q. XI, in fine; Merati p. 1, tit. 4, n. 16.

Digitized by Google

DE PLURIBUS MISSIS VOTIVIS.

39. Quænam missa pro votiva B. M. V. celebranda est?

R. Illa, ex quinque votivis B. M. V. in fine missalis positis, quæ juxta distributionem temporis occurrit, nisi celebretur octava B. M. V. de qua in eo casu missa dicenda est, ut dictum est n. 28 ad 3. Si petatur missa de Assumptione, Purificatione, aut aliis festis B. M. V. sumi nequit propria festivitatis extra ejusdem octavam, sed fiet satis celebrando unam ex quinque votivis juxta temporis occurrentiam, cum intentione ad honorem Assumptionis, Purificationis, etc. (1). Excipiuntur missæ septem dolorum, et I. Conceptionis, de quibus in missali assignatur, quomodo ut votivæ sint celebrandæ; non vero missæ s. Mariæ de monte Carmelo, nec s. Rosarii, Boni Consilii, Auxilii Christianorum, Puritatis, etc. (2).

40. Quæ missa est sumenda, si petatur votiva in honorem plurium sanctorum?

R. Si illi sancti sint ejusdem qualitatis, scilicet martyres, pontifices, confessores, virgines vel non virgines; missa de communi dicenda est vel de pluribus martyribus vel virginibus; et si omnes sint confessores pontifices vel non pontifices aut non virgines, orationes dicendæ sunt in plurali, nec quidquam aliud in tota missa mutatur, ut præscribitur in rubricis breviarii *in comm. conf. pontif. et non pontif.* Si vero non sint ejusdem qualitatis, v. g. unus martyr et alter confessor; tunc sumitur missa de digniori, et in casu de communi martyrum, in orationibus tacendo qualitates martyris, pontificis, virginis etc. et nullam exprimendo, nisi, quæ conveniat omnibus, ut fit in festo ss. Nazarii etc. MM. et Innocentii P. et C. (3).

Si petatur missa in honorem unius vel plurium sanctorum

(1) S. R. C. 29 Jan. 1752, n. 2417, 6; 22 Dec. 1753, n. 2427, 2.

(2) S. R. C. 23 Febr. 1884, in Neapolitana, n. 3605, 5; 3 Julii 1896, n. 3924, 2.

(3) Merati p. 1, tit. 4, n. 19 et 20; Guyetus l. 3, c. 11, q. 1, et l. 4, c. 21, q. 3.

Digitized by Google

et simul in remissionem peccatorum, refrigerium defunctorum, etc., dicenda est missa de sanctis, quia petens censetur per intercessionem sanctorum velle obtinere, quod intendit : addi autem potest oratio pro remissione peccatorum, pro defunctis, etc. post orationes præceptas.

41. Quæ missa celebranda est, si petatur in honorem unius, plurium vel omnium apostolorum ?

R. 1° Si petatur in honorem ss. apostolorum Petri et Pauli, legenda est missa votiva, quæ in fine missalis assignatur ; et tempore paschali missa *Protexisti*, ut in festo s. Marci, cum orationibus, epistola et evangelio ex propria missa votiva, ut missale præscribit in fine ejusdem missæ votivæ. Si autem petatur in honorem solius s. Petri vel Pauli, eadem votiva in fine missalis legi potest, cum speciali intentione honorandi illum, in cujus honorem petitur, neque tunc alterius commemoratio fieri debet, quia oratio est communis utrique (1) : in hoc tamen casu etiam sumi potest missa propria s. Petri ut in ejus cathedra vel missa 29 Junii cum orationibus ex festo commemorationis s. Pauli ; et vicissim missa propria s. Pauli ut in ejus commemoratione 30 Junii vel de ejus conversione ; sed tunc sub distincta conclusione fieri debet commemoratio alterius ante omnes alias commemorationes.

2° Si petatur votiva in honorem unius aliorum apostolorum, sumitur missa propria, desumendo, si opus sit, graduale aut tractum ex votiva ss. apost. Petri et Pauli ; et si propriæ orationes verificari nequeant, cum orationibus ex missa de vigilia apostolorum, mutando *solemnitas* in *commemoratio*, et omittendo *quam prævenimus, cujus natalitia prævenimus*. Si missa propria minus conveniat, ut est illa ss. Philippi et Jacobi, si de his seorsim votiva celebretur, sumi potest votiva ss. apost. *Mihi autem*, quæ per decretum 5 Julii 1883 concessa est pro feria tertia cum orationibus propriis vel de vigilia ut dictum est.

3° Si petatur in honorem plurium vel omnium apostolorum, si sint duo, qui simul coluntur, sumitur missa propria,

(1) Merati ibid. n. 25.

Digitized by Google

si conveniat; secus missa votiva ss. apost. supra indicata, cum orationibus ex missa ss. apostolorum Simonis et Judæ 28 Octobris, omittendo hæc nomina, ut fit pro commemoratione omnium apostolorum in festo ss. Petri et Pauli.

Si tempore paschali petatur votiva in honorem unius aut plurium apostolorum, qui extra tempus paschale coluntur; sumenda est missa *Protexisti* ut in festo s. Marci, cum epistola et evangelio ex missa propria, item cum orationibus propriis, vel de vigilia, vel ut in festo ss. Simonis et Judæ, ut supra dictum est. Votiva autem s. Joannis apostoli tempore paschali dicitur ut in ejus festo *ante portam latinam.*

42. Quæ missa est celebranda, si petatur 1° de corona spinea, lancea, flagellatione, quinque vulneribus, etc. 2° de ss. Corde Jesu, 3° de s. Corde B. M. V., 4° in honorem omnium Sanctorum, 5° in honorem s. Joannis Bapt., 6° in gratiarum actionem, vel pro gravi aliqua et urgente speciali necessitate.

R. 1° Legenda est missa propria, sumendo graduale aut versus tempore paschali, si in missa propria desint, ex missa votiva de cruce vel passione Domini; si autem missa propria non habeatur, legi potest missa votiva de cruce vel passione Domini, cum speciali intentione illa passionis instrumenta honorandi.

2° Celebranda est missa festiva ss. Cordis Jesu, in introitu omittendo utrumque *Alleluja* (1) atque cum graduali et tractu, si sit post septuagesimam, et si sit tempore paschali cum versibus ex altera missa *Egredimini* (2).

3° Dici potest una ex quinque votivis B. M. V. tunc temporis occurens.

4° Legenda est missa festiva omnium sanctorum, cum introitu *Timete Dominum* ex missa s. Cyriaci 8 Aug. vel. *Sapientiam* de communi plur. mart.; desumpto tractu post septuagesimam ex eadem missa, et cum orationibus *Concede,* quæ primæ ponuntur inter orationes diversas ab libitum

(1) S. R. C. 16 Sept. 1865, n. 3137, 5.
(2) S. R. C. 1 Sept. 1838, n. 2784, III.

Digitized by Google

in fine missalis; tempore autem paschali aptior erit missa *Sancti tui* de communi martyrum cum iisdem orationibus *Concede* (1). Difficultas habetur quoad tertiam orationem, si occurrat dicenda *A cunctis;* in casu autem optime videtur sumenda de Spiritu Sancto prout infra octavam omnium sanctorum.

5° Dici potest missa ut in festo nativitatis ejusdem, cum orationibus ex ejus vigilia vel potius forte cum orationibus propriis, mutatis vocibus *nativitate, nativitatem* et *generatione* in *commemoratione, commemorationem* et *commemoratione* (2), desumptis versibus tempore paschali et tractu post septuagesimam ex communi conf. non pont. De ejusdem sancti decollatione legi potest votiva ut in ipso festo decollationis, et tempore paschali missa *Protexisti*, ut in festo s. Marci, retentis orationibus, epistola et evangelio ex missa propria.

6° In gratiarum actionem dicitur missa de ss. Trinitate, vel de Spiritu Sancto, vel de B. Maria, additis orationibus, sub una conclusione, quæ habentur in missali post missam votivam ss. Trinitatis (3). Si celebrandum est pro speciali necessitate, pro qua nulla missa specialis in missali notatur, ex. gr. ad petendam pluviam, ad postulandam serenitatem, dicenda est missa pro quacumque necessitate, addendo sub unica conclusione collectam particularis necessitatis (4). Hæc unitas conclusionis juxta Quarti (5) intelligenda est tam de votivis privatis quam solemnibus pro re gravi; attamen alii (6) censent, præfatam unionem orationum tantum locum habere in votivis solemnibus, et in privatis orationem in gratiarum actionem dicendam esse sub distincta conclusione; ita ut in

(1) Merati p. 1, tit. 4, n. 21.
(2) S. R. C. 23 Junii 1893.
(3) Missale post missam votivam ss. Trinitatis.
(4) S. R. C. 23 Febr. 1884, in Neapolitana, n. 3605, 4.
(5) P. 1, tit. 7, d. 4.
(6) Idem Quarti p. 1, tit. 4, in fine 1 d., Gavantus p. 1, t. 7, n. 7, l. n.; Merati p. 1, t. 4, n. 24; Lohner p. 2, t. 11, n. 5; Vinitor p. 1, t. 7, n. 9; Guyetus l. 4, c. 21, q. 12; s. Alph. de Ligorio l. 6, n. 423.

Digitized by Google

his de more secunda oratio sit officii, et tertia seu ultima post alias commemorationes speciales, sed ante orationes imperatas et votivas, illa in gratiarum actionem. Optime faciet, ait Lohner, qui consuetudini loci se accommodat : quæ si non habeatur, cum utraque sententia bene fundata sit, utramque sequi licet.

DE GLORIA, ORATIONIBUS, CREDO, PRÆFATIONE, COLORE ALIISQUE IN MISSIS VOTIVIS SERVANDIS.

43. An et quandonam dicitur *Gloria* in missis votivis?

R. Semper dicitur in votivis solemnibus, quæ celebrantur pro re gravi vel publica Ecclesiæ causa, pro precibus 40 horarum et in similibus de quibus dictum est n. 29-31; item in illis, quæ cantantur ratione tituli vel concursus, de quibus agetur n. 69, nisi celebrentur in colore violaceo : numquam autem dicitur in votivis privatis, quantumvis solemniter celebratis (1); nisi in missa 1° B. M. V. si celebretur in sabbato, etiamsi non fiat officium de B. M. V. (2), non vero in aliis diebus per hebdomadam, nisi sit infra octavam B. M. V. ut dictum est n. 28; 2° Angelorum, qui sunt hujus hymni auctores, sive sit s. Michaelis aut Gabrielis, sive Angeli custodis omniumve Angelorum; 3° Sanctorum, dum celebrantur in ipsorum die festivo ob festivitatem (3) aut infra illorum octavam, ut dictum est n. 28.

44. Quot et quæ orationes dicendæ sunt in votivis privatis?

R. Semper tres dici debent, etiam tempore passionis, ut in semiduplicibus ejusdem temporis, et etiamsi missæ solemniter cantentur. Scilicet prima votivæ propria, secunda officii diei, et tertia, quæ secundo loco in missa officii diei dicenda esset. Ita ut, si missa officii de octava dicenda foret, tertia oratio dicatur prout infra octavam; si de vigilia, prout tit. IX,

(1) S. R. C. 2 Sept. 1690, n. 1843, 1.
(2) S. R. C. 30 Jul. 1689, n. 1814.
(3) S. R. C. 13 Jun. 1671, n. 1421, 2; Gavantus p. 1, tit. 8, b.

Digitized by Google

n. 9, in rub. gen. pro vigilia assignatur; si de semiduplici, simplici aut feria, quæ secundo loco de tempore dicenda præscribitur (1). Quod si in officio factæ fuerint commemorationes, eædem et eodem ordine faciendæ sunt in missa votiva : ita ut tunc tertia oratio in missa sit prima commemoratio facta in officio, et sic deinceps. Licet autem commemorationes in officio factæ vel non factæ fuerint, in missa tamen votiva semper dici possunt quinque aut etiam septem orationes ad libitum celebrantis, ut in simplicibus et feriis. *Vid. n. 76-80.*

Quod si ex speciali privilegio a S. R. C. concesso missæ votivæ privatæ in duplice permittantur, in his faciendæ sunt omnes commemorationes speciales occurrentes (2) et semper dicendæ tres orationes, ut in votivis, quæ in semiduplice celebrantur : quia duplex occurrens non immutat ritum missæ votivæ privatæ.

Excipitur 1° missa votiva B. M. V., in qua tertia oratio semper dicitur de Spiritu Sancto, si nulla in officio facta fuerit commemoratio; idem quoque servandum est in votiva septem dolorum B. M. V. 2° Votiva ss. apostolorum Petri aut Pauli, in qua alterius fit commemoratio ante omnes alias commemorationes, ita ut oratio officii tertio loco ponatur. Item si sit votiva ss. Petri et Pauli, et in missa diei ponatur oratio *A cunctis,* ejus loco dicitur oratio *Concede* de B. M. V., ne bis fiat mentio ss. Petri et Pauli. 3° Votiva s. Joseph, in qua si dicenda occurrat oratio *A cunctis,* in hac omittitur nomen s. Joseph (3). 4° Votiva in gratiarum actionem, ut dictum est supra n. 42. 5° Feria tertia rogationum, si officium fiat de ea, in quacumque votiva, quæ in hac feria celebratur, secunda oratio non est de dominica præcedente, licet hæc dicta sit in officio, sed de rogationibus, et tertia de Beata *Concede,* prout in missa rogationum ordinatur (4). Item dum præter missam conventualem cantatur votiva ex fundatione

(1) Guyetus lib. 4, c. 21, q. 12; Brassinne p. 1, c. 8, n. 2 et 5; De Carpo, Cærem. p. 2. n. 92.

(2) S. R. C. 7 Aug. 1875, n. 3365, IV.

(3) S. R. C. 1 Junii 1876, n. 3400, III.

(4) Janssens rub. gen. tit. 7. n. 27.

Digitized by Google

vel alio titulo, in hac Missa votiva non fit commemoratio officii diei, et aliorum quæ in officio facta sunt, sed secunda et tertia oratio dicitur de tempore (1).

45. Quot et quæ orationes dicendæ sunt in Missa votiva solemni?

R. Juxta diversa et contraria quæ in hac materia a S. R. C. data sunt decreta, distinguendum est, scilicet :

1° In Missa votiva solemni, quæ cantatur pro re gravi vel pro publica Ecclesiæ causa, una tantum dicitur oratio sine commemoratione officii, etsi cantetur in ecclesia, ubi non celebratur Missa conventualis (2). Ratio est, quia res gravis et publica Ecclesiæ causa talis et tanta est, ut tota attentio et sollicitudo in eam solam ferantur, prout ob similem rationem in quibusdam etiam diebus et festis nulla alia commemoratio admittitur.

Similiter in votiva, quæ juxta rubricas generales tit. VI cantatur in ecclesiis, ubi titulus est ecclesiæ vel concursus populi ad celebrandum festum, quod transferri debet, unica tantum dicitur oratio sine commemoratione officii, prout in votiva solemni pro re gravi, etsi alia Missa conventualis non cantetur (3).

2° In aliis votivis, quæ adinstar votivarum solemnium pro re gravi, ex speciali indulto vel ex consuetudine cantantur, quales sunt quæ cantantur in Dominicis in quas solemnitates Epiphaniæ Domini, ss. Corporis Christi, ss. Apostolorum Petri et Pauli et ss. Patronorum cujuslibet diœcesis et parœciæ juxta indultum pro reductione festorum 9 Ap. 1802, in universo Galliarum reipublicæ territorio transferuntur; quæ in quibusdam diœcesibus et locis, statutis Dominicis aut diebus quotannis cantantur; quæ occasione processionis et supplicationis ad quemdam locum solemniter celebrantur; item Missa

(1) S. R. C. 13 Jun. 1671, n. 1421, 2; 16 Febr. 1737, n. 2327, 3.

(2) Rub. gen. tit. IX, n. 14; S. R. C. 29 Jan. 1752, n. 2417, 7; 23 Apr. 1875, n. 3352, VI; 7 Aug. 1875, n. 3365, IV.

(3) S. R. C. 3 Sept. 1746, n. 2392, 1; 29 Januarii 1752, n. 2417, 7; 7 Aug. 1875, n. 3365, 4.

Digitized by Google

aurea, etc. nullibi dicendæ sunt orationes communes, seu quæ 2° et 3° loco in missa semiduplicis assignantur; sed quoad commemorationes officii aliorumque occurrentium distinguendum est.

Si præter votivam cantetur alia Missa conventualis, ut in ecclesiis cathedralibus, collegiatis, aliisque, in quibus officium publice agitur; unica tantum oratio in votiva dicenda est sine commemoratione officii. Idem dicendum est, si alia Missa conventualis non quidem cantetur, sed legatur ut in quibusdam ecclesiis regularium, quia, cum ibidem Missa lecta habenda sit tanquam conventualis, et gaudeat iisdem privilegiis juxta decreta S. R. C. (1), hæc etiam sufficit ad excludendam commemorationem officii diei in votiva solemni.

Si autem præter votivam alia Missa conventualis non celebretur, ut in ecclesiis parochialibus, oratoriis, aliisque, in quibus officium publice non agitur; tunc commemorationes in Missa votiva fieri debent, etsi plures aliæ Missæ in eadem ecclesia legantur (2).

Commemorationes in hac Missa votiva juxta decretum S. R. C. (3) faciendæ sunt de officio diei aliisque occurrentibus juxta rubricas, quod licet videatur intelligendum de omnibus commemorationibus specialibus, quæ fiunt in officio, etiam de die infra octavam communem, simplice et vigilia; juxta Guyetum tamen et Merati (4) tantum intelligendum est de illis commemorationibus, quæ fiunt in festo solemni, nempe de Dominica, octava privilegiata, feria majori, item de festo duplici et semiduplici, non autem de octava communi, simplice et vigilia (5).

46. In votivis solemnibus, quæ infra octavam Paschatis celebrantur, non est dicendum graduale, sed duo versus cum quatuor *Alleluja*, prout toto tempore Paschali (6). A septua-

(1) 14 Febr. 1705, n. 2148, 7; 27 Mart. 1779, n. 2514, 8.
(2) 22 Jul. 1848, n. 2974, 1; 7 Aug. 1875, n. 3365, IV et VI.
(3) 22 Jul. 1848, n. 2974, 1.
(4) Guyetus l. 4, c. 21, q. 12; Merati p. 1, tit. 4, n. 44.
(5) S. R. C. 29 Dec. 1884, in Lucionen, n. 3624, 1.
(6) Gavantus p. 4, tit. 17, n. 12 et Merati p. 1, tit. 4, n. 45.

Digitized by Google

gesima usque ad Pascha in Missis votivis, sicut in festivis, dicto graduali cum versu sequente, omittitur *Alleluja* cum suo versu, et dicitur tractus, qui, si in Missa propria non habeatur, sumitur de communi.

A septuagesima usque ad Pascha debet *Alleluja*, ubicumque reperitur, omitti, sicut etiam tempore paschali ut in Missis festivis addi, ubicumque non habetur; extra tempus autem paschale omitti, ubicumque in festivis ratione temporis paschalis adjungitur. 2° Si celebretur votiva solemnis aut privata ob defectum visus infra octavam paschatis, non est addendum duplex *Alleluja* ad *Ite missa est* aut *Benedicamus :* hoc enim tantum proprium est Missis de octava paschatis (1).

Sequentia in Missa votiva semper omittenda est (2).

47. Quandonam dicitur *Credo* in Missis votivis?

R. Dicitur in votivis solemnibus juxta rubricas gen. tit. XI in fine, etiam si dicantur in paramentis violaceis in Dominica, et licet sanctus, de quo Missa celebratur, in suo festo symbolo careat; si autem celebrentur in violaceis extra Dominicam, non dicitur (3).

Numquam autem dicitur in votivis privatis, quamtumvis solemniter celebratis (4), etiamsi sanctus, de quo Missa celebratur, in suo festo symbolum habeat.

48. Quænam in votivis dicenda est præfatio?

R. Si ipsa Missa votiva propriam præfationem habeat, eadem recitanda est, etiam infra octavam Nativitatis Domini, si votiva solemnis celebretur (5); si vero propriam non habeat, dicenda est de octava propriam præfationem habente, infra quam celebratur; et si plures octavæ simul occurrant, de digniori; si talis octava non occurrat, dicenda est de tempore, si propriam habeat; alioquin semper dicenda est præfatio communis; numquam vero de festo propriam præ-

(1) Gavantus loco cit.
(2) S. R. C. 16 Sept. 1673, n. 1419, 2.
(3) S. R. C. 13 Feb. 1666, n. 1555, 4; 30 Junii 1896, n. 3922, V.
(4) S. R. C. 2 Sept. 1690, n. 1843, 1 et 2; 30 Junii 1896, n. 3922, III.
(5) Decretum initio missalis 25 Sept. 1706.

Digitized by Google

fationem habente, in quo votiva celebratur, vel de quo in votiva fit commemoratio sive sub diversa, sive sub una conclusione (1). Si votiva, solemnis celebretur in Dominica, et ipsa votiva, aut octava, vel tempus propriam præfationem non habeat, dicitur præfatio ss. Trinitatis (2).

49. *Communicantes* et *Hanc igitur* octavæ propria leguntur in omni Missa votiva, quæ infra eamdem octavam celebratur, etiamsi præfatio Missæ votivæ propria dicatur (3).

2. *Ite missa est* dicitur in votiva, dum recitatur *Gloria*, et alias semper *Benedicamus Domino*, in quocumque colore celebretur.

3. Numquam legitur in fine Missæ votivæ aliud evangelium nisi s. Joannis quamvis celebretur in feria aut vigilia proprium evangelium habente.

4. In Missis votivis sanctorum et festivitatum idem adhibetur color, ac in die eorumdem festorum, excepta sola votiva ss. Innocentium, quæ in colore rubeo celebranda est (4).

In votivis quæ in fine missalis pro singulis hebdomadæ feriis assignantur, color est albus in votivis ss. Trinitatis, Angelorum, ss. Sacramenti et B. M. V.; rubeus in votivis de Apostolis, de Spiritu Sancto et de Cruce; violaceus in votiva de Passione Domini.

In reliquis votivis, quæ in fine missalis ponuntur, color est rubeus in Missa pro eligendo Summo Pontifice; albus in anniversario electionis seu consecrationis Episcopi et in Missa pro sponso et sponsa; et violaceus in reliquis omnibus a Missa ad tollendum schisma usque ad illam pro peregrinantibus vel iter agentibus inclusive.

5. Missæ votivæ solemnes in cantu solemni celebrandæ sunt (5); privatæ autem in tono feriali, nisi in quibusdam casibus indulgendum sit, ut quoad pompam extrinsecam solemnius celebrentur (6).

(1) S. R. C. 2 Dec. 1684, n. 1743, 6; Cavalieri t. 5, c. 14, n. 47.
(2) Dec. gen. 3 Jan. 1739, n. 2449.
(3) S. R. C. 16 Jun. 1663, n. 1265, 3.
(4) Merati p. 1, tit. 4, n. 36.
(5) Rub. gen. tit. XII, n. 4; S. R. C. 19 Maji 1607, n. 235, 12.
(6) S. R. C. 14 Maji 1644, n. 865.

Digitized by Google

Titulus V.

DE MISSIS DEFUNCTORUM.

Rub. 1. *Prima die* (a) *cujusque mensis (extra Adventum, Quadragesimam et tempus Paschale) non impedita Officio Duplici, vel Semiduplici, dicitur Missa principalis generaliter pro defunctis Sacerdotibus, Benefactoribus et aliis. Si vero in ea fuerit festum Simplex, vel Feria, quæ propriam habeat Missam* (b) *aut resumenda sit Missa Dominicæ præcedentis* (c) *quæ fuit impedita, et infra hebdomadam non occurrat alius dies, in quo resumi possit, in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis dicantur duæ Missæ, una pro defunctis, alia de Festo Simplici, vel Feria prædicta. Sed in Ecclesiis non Cathedralibus, nec Collegiatis dicatur Missa de die cum commemoratione generaliter pro defunctis.*

2. *Præterea Feria secunda cujusque hebdomadæ* (d), *in qua Officium fit de Feria, Missa principalis dici potest pro defunctis* (e). *Si autem fuerit propria Missa de Feria, vel de Festo Simplici, vel resumenda sit Missa Dominicæ præcedentis, ut supra, in Missa de die fiat commemoratio (ut dictum est) pro defunctis, Excipitur tamen Quadragesima, et totum tempus Paschale, et quando per annum Officium est Duplex, vel Semiduplex : quibus temporibus non dicitur Missa conventualis pro defunctis (nisi in die depositionis defuncti, et in Anniversario pro defunctis)* (f), *neque pro eis fit commemoratio. Missæ autem privatæ pro defunctis quocumque die dici possunt, præterquam in Festis Duplicibus et Dominicis diebus. Missæ privatæ pro Defunctis ut in die obitus seu depositionis etiam in Duplicibus celebrari possunt præsente, insepulto, vel etiam sepulto non ultra biduum cadavere; exceptis Duplicibus primæ classis, diebus Duplicia primæ classis excludentibus, et Festis de præcepto.*

3. *Una tantum oratio dicenda est in Missis omnibus, quæ*

Digitized by Google

celebrantur in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum, die et pro die Obitus seu Depositionis, atque etiam in Missis cantatis vel lectis, permittente ritu, diebus Tertio, Septimo, Trigesimo et die Anniversario alicujus Defuncti necnon quandocumque pro Defunctis Missa solemniter celebratur, nempe sub ritu qui duplici respondet, uti in Officio quod recitatur post acceptum nuntium de alicujus obitu, et in Anniversariis late sumptis.

4. *In Missis quotidianis quibuscumque sive lectis, sive cum cantu plures sunt dicendæ Orationes, quarum prima pro Defuncto vel Defunctis certo designatis, pro quibus Sacrificium offertur, ex iis quæ infra in Missali habentur, secunda ad libitum, ultima pro omnibus defunctis. Si vero pro Defunctis in genere Missa celebretur, Orationes sunt dicendæ, quæ pro Missis quotidianis in hoc Missali prostant eodemque ordine, quo sunt inscriptæ. Quod si in iisdem quotidianis Missis plures Orationes Celebranti placuerit recitare, ut de Feriis et Simplicibus dicetur infra in Rubrica de Orationibus, id fieri potest tantum in Missis lectis, impari cum aliis præscriptis servato numero, et Orationi pro Omnibus Defunctis postremo loco assignato.*

5. *Sequentia pro Defunctis dicitur in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum, et Depositionis Defuncti, in quibusvis cantatis Missis, uti etiam in lectis, quæ diebus ut supra privilegiatis fiunt : in reliquis autem Missis vel recitari vel omitti potest ad libitum Celebrantis.*

---

50. Annotatur. *a.* Hæc missa est præceptiva (1).

Prima die mensis impedita officio duplici aut semiduplici, extra adventum, quadragesimam et tempus paschale (2) Missa differenda est ad aliam primam diem similiter non impeditam infra eumdem mensem (3).

(1) S. R. C. 27 Feb. 1847, n. 2928, 1.
(2) Dec. cit. ad 4.
(3) S. R. C. 27 Martii 1745, n. 2380.

Digitized by Google

Si prima die mensis ss. Sacramentum ob publicam causam exponatur, Missa conventualis de *Requiem* in hac die non dicitur, sed amandari debet in aliam diem non impeditam post Sacramenti repositionem (1). Ideo tamen non omittitur commemoratio generalis pro defunctis (2).

Si prima dies mensis et feria secunda occurrant, servanda est rubrica principalior, quæ habetur hoc n. 1 (3).

b. Nomine feriæ, quæ habet Missam propriam, comprehenditur vigilia.

c. Quando resumenda sit Missa dominicæ præcedentis, vid. n. 25.

Si prima die mensis officium fiat de feria et infra eamdem hebdomadam denuo officium feriale recurrat; eo casu prima illa mensis die celebranda est unica Missa conventualis generaliter pro defunctis, ac tum in alia feria resumenda est Missa dominicæ præcedentis (4).

d. Feria secunda etiam infra adventum (5).

e. Dici potest, adeoque non debet, sed etiam dici potest Missa dominicæ præcedentis, aut votiva ss. Trinitatis cum commemoratione pro defunctis.

f. Nisi in die depositionis etc. significatur, non quod in die depositionis et anniversario Missa de *Requiem* cantari queat loco Missæ conventualis; nam hæc omitti non potest, ut cantetur Missa de *Requiem*, uti S. R. C. sæpius declaravit: sed denotatur tantum, quod in duplice et semiduplice Missa de *Requiem* pro depositione et anniversario defuncti præter Missam conventualem, ubi hæc ligat, permittatur.

51. An et quandonam in Missa diei fieri potest aut debet commemoratio pro defunctis?

R. 1° In Missa conventuali collectæ pro defunctis non admittuntur, nisi in Missis festorum simplicium et ferialibus, ut supra in rub. n. 1 et 2, dicitur (6).

(1) Gardellini instr. Clem. § 17, n. 5, 6 et 7.
(2) Cavalieri t. 4, dec. 150, n. 5.
(3) Janssens hoc loco n. 19.
(4) Halden p. 1, tit. 5.
(5) Gavantus p. 1, tit. 5, litt. 1, et Cavalieri t. 3, dec. 44, n. 15.
(6) S. R. C. 31 Jul. 1665, n. 1322, 8.

Digitized by Google

2° Licet duo textus rub. supra n. 1 et 2 de Missa conventuali proprie sint accipiendi, ad Missas tamen non conventuales eosdem aptari non tantum convenit, sed S. R. C. censuit, quod « quoties quis privatim celebrat de simplici, vel » reassumit Missam Dominicæ præcedentis in Feria 2ª vel » 1ª die mensis non impedita, teneatur dicere secundam » Orationem *Fidelium* tam in Missa Conventuali, quam in » cæteris privatis » (1). Ex quo decreto consequitur, eamdem Orationem *Fidelium* dicendam esse in casibus expressis in rubricis, quotiescumque celebratur non tantum de simplice, sed etiam de feria, vigilia, aut votiva.

52. Quo loco facienda est commemoratio defunctorum?

R. *Si facienda sit commemoratio pro defunctis, semper ponitur penultimo loco* (2), videlicet diebus a rubrica præscriptis, id est, prima die mensis et feria secunda hebdomadæ, penultimo loco inter collectas a rubrica præscriptas; et post easdem dicendæ sunt orationes imperatæ. His igitur diebus dicitur ante ultimam orationem præscriptam; ita ut, si una commemoratio specialis occurrat, dicatur secundo loco; si duæ occurrant, tertio loco; et si nulla commemoratio specialis detur, semper recitetur secundo loco, secunda oratio pro tempore assignata dicatur tertio loco, et dicenda tertio loco, omittatur.

DE QUATUOR MISSIS DEFUNCTORUM.

53. Quatuor Missæ pro defunctis in fine missalis assignantur, quæ tamen non differunt nisi in oratione, epistola et evangelio, et circa quas notanda est rubrica, posita in fine Missæ quotidianæ : « epistolæ et evangelia superius posita » in una Missa pro defunctis, dici possunt etiam in alia » Missa similiter pro defunctis. » Ita ut celebranti liberum sit, eligere epistolam aut evangelium, vel etiam utrumque

(1) S. R. C. 13 Aug. 1701, n. 2077; Guyetus, l. 4, c. 23, q. 25.
(2) Rub. gen. tit. VII, n. 6.

Digitized by Google

simul ex alia Missa pro defunctis, quam ex ea, quam jam de facto celebrat : convenit tamen in unaquaque Missa servare suam epistolam et evangelium, quia non nisi ob quamdam congruitatem unicuique Missæ assignata suut (1). Unde quæritur.

54. Quando unaquæque ex quatuor Missis pro defunctis dicitur?

R. Prima dicitur, 1° in die Commemorationis Fidelium Defunctorum, nisi corpore præsente Missa depositionis sit celebranda, quo casu unica Missa ut in die obitus cantanda est (2); 2° in die Obitus seu Depositionis, Tertio, Septimo, Trigesimo et Anniversario summi Pontificis, Cardinalium et Episcoporum, cum orationibus, quæ post missam quotidianam assignantur cuique propriæ, ob dignitatem pontificalem; 3° in die Obitus seu Depositionis, Tertio, Septimo, Trigesimo et Anniversario defuncti Sacerdotis dici potest prima vel altera Missa, sed semper cum oratione : *Deus qui inter Apostolicos Sacerdötes* etc. (3); 4° quidam primam Missam etiam assignant regibus, principibus et magnatibus, cum orationibus Missæ Depositionis vel Anniversarii, item commemorationi omnium defunctorum ordinis (4). Notandum autem, extra diem Depositionis, Tertium, Septimum, Trigesimum et Anniversarium pro defuncto Pontifice, Cardinali, Episcopo, Sacerdote aliisque dici missam quotidianam (5).

Secunda dici potest in die Obitus seu Depositionis Sacerdotis; dicitur autem pro clerico Sacerdote inferiori et laico; item in eorumdem die Tertio, Septimo et Trigesimo cum orationibus in fine hujus Missæ assignatis. Dici etiam potest, permittente ritu, die quæ prima occurrit post acceptum a locis dissitis nuntium de alicujus obitu (6).

Tertia dici potest in Anniversario Sacerdotis; dicitur autem

(1) S. R. C. 3 Oct. 1699, n. 2040; Cavalieri t. 3, c. 10, n. 16.
(2) S. R. C. 20 Sept. 1687, n. 1788.
(3) S. R. C. 29 Jan. 1752, n. 2417, 8.
(4) Guyetus l. 4, c. 23, q. 27; Janssens p. 1, app. ad tit. 5, § 4.
(5) Cavalieri t. 3, c. 10, n. 14.
(6) S. R. C. 2 Dec. 1891, n. 3755.

Digitized by Google

pro clerico Sacerdote inferiori et laico; item in Anniversario omnium benefactorum, fundatorum, fidelium in ecclesia sepultorum, etc. (1).

Quarta seu quotidiana dicitur prima die mensis et feria secunda hebdomadæ, dum Missa principalis dicitur pro defunctis; 2° dum celebratur pro defunctis extra diem Obitus aut Depositionis, Tertium, Septimum, Trigesimum et Anniversarium.

DE DIE OBITUS SEU DEPOSITIONIS ET MISSA EXEQUIALI.

55. Not. per diem Obitus seu Depositionis intelligi totum spatium ab instante mortis usque ad sepulturam, quod in favorem recens defuncti reputatur pro uno eodemque die, licet unus aut plures dies intercedant (2).

56. Quandonam permittitur et prohibetur Missa exequialis?

Resp. I. Præsente corpore celebrari potest omni die, *dum tamen missa conventualis*, ubi obligat, aut parochialis, si sit dies dominica aut festiva, *et officia divina non impediantur, magnaque diei celebritas non obstet* (3).

Ne officia divina impediantur in parochia, in qua præter parochum nullus est alius sacerdos, si in feria IV Cinerum, Vigilia Pentecostes, quando fieri debet Fontis benedictio, atque in diebus s. Marci et Rogationum, ubi habetur processio, occurrat sepultura, quæ anticipari vel differri non potest, non est omittenda functio horum dierum, neque Missa harum functionum pro sepultura celebrari potest, sed sepultura facienda sine Missa defunctorum (4).

Propter magnam diei celebritatem prohibetur : 1° in triduo sacro Majoris Hebdomadæ, etiam in sabbato post Missam solemnem de die (5).

(1) S. R. C. 5 Mart. 1870, n. 3213, V.
(2) Cavalieri t. 3, c. 3; Janssens app. ad tit. 5, § 2, n. 2.
(3) Rit. Rom. de exeq.; C. I, n. 5.
(4) S. R. C. 3 Jul. 1869, n. 3208.
(5) S. R. C. 23 Maji 1835, n. 2725, 7.

Digitized by Google

2° Prohibetur in Festis duplicibus 1 cl. quæ festiva sunt de præcepto, et solemniter, seu cum multo apparatu et pompa exteriori celebrantur. Qualia festa sunt Nativitas Domini, Epiphania, Dominicæ Paschatis et Pentecostis, Ascensio Domini, Festa Corporis Christi, Immaculatæ Conceptionis, Annuntiationis et Assumptionis B. M. V. Nativitas s. Joannis Baptistæ, Festa s. Joseph sponsi B. M. V. sanctorum Apostolorum Petri et Pauli et Omnium Sanctorum.

3° Prohibetur in Festis Patroni principalis loci et Titularis ecclesiæ, item in Anniversario Dedicationis propriæ ecclesiæ (1).

4° Prohibetur in die Dominica, in quam solemnitas Festi infra hebdomadam occurrentis alicubi ex indulto transfertur, modo celebretur a populo (2).

Nota. Juxta decretum S. R. C. 6 Martii 1896, n. 3890 prohibitio celebrandi Missam exequialem præsente corpore non subsistit die, qua celebratur Officium transferendæ vel translatæ solemnitatis. Ergo in toto reipublicæ gallicanæ territorio, in festis Epiphaniæ, Corporis Christi, Apostolorum Petri et Pauli et Patroni principalis loci permittitur Missa exequialis præsente corpore, non vero illis diebus dominicis, quibus horum festorum celebratur solemnitas.

5° Prohibetur tempore solemnis expositionis ss. Sacramenti, v. g. ratione Adorationis perpetuæ, orationis XL horarum (3).

Aliis diebus præter prædictos, in quibus prohibetur, Missa exequialis præsente corpore permittitur, etiam in Dominicis 1 classis in Dominica Palmarum, in Dominicis primis Adventus et Quadragesimæ, Passionis, in Albis et ss. Trinitatis. 2° Permittitur in feriis secundis et tertiis Paschatis et Pentecostes (4). 3° In feria secunda, tertia et quarta Majoris Hebdomadæ et consequenter in similibus ut feria quarta Cinerum,

(1) Decret. gener. S. R. C. 16 Martii 1882, n. 3541.
(2) Decret. gener. S. R. C. 2 Decembris 1891, n. 3755, I.
(3) Decret. gener. 2 Decembris 1891, n. 3755, I.
(4) Idem decretum.

Digitized by Google

et vigiliis Nativitatis Domini, Epiphaniæ et Pentecostes. 4° Exceptis festis 1 cl. supradictis, permittitur in illis festis 1 cl. quæ festiva non sunt de præcepto, licet cum multo apparatu et pompa exteriori celebrentur, et etiam in festivis 1 cl. quæ talem exteriorem solemnitatem non habent. 5° Permittitur in festis 2 cl., licet sint de præcepto, et simili solemnitate atque apparatu, ac festa 1 cl. celebrentur.

Resp. II. Corpore sepulto sine Missa in die, qua Missa exequialis præsente corpore interdicitur, prohibetur Missa exequialis in Dominicis atque in duplicibus 1 et 2 cl. ac festis de præcepto; permittitur autem omnibus aliis diebus, etiam in Hebdomata sancta, excepto triduo sacro, et consequenter, ut in præcedenti dictum est, etiam infra octavas privilegiatas, feria quarta Cinerum, et in vigiliis Nativitatis Domini, Epiphaniæ et Pentecostes, quia hi dies non magis sunt, privilegiati quam feriæ Hebdomadæ sanctæ.

Not. 1° Hanc Missam exequialem, ut privilegio gaudeat, tantum posse transferri in sequentem diem, seu in primam post sepulturam diem non impeditam Dominica, festo dup. 1 aut 2 cl. vel festo de præcepto. 2° Dictam Missam celebrari eadem solemnitate, ut in die Obitus, sine variatione in collectis. 3° Festum de præcepto esse, cui a legitimo superiore annexum est præceptum audiendi sacrum et abstinendi ab operibus servilibus. Talia festa censentur omnia, quæ per constitutionem Urbani VIII 1642, ex præcepto colenda sunt: quia licet præceptum audiendi sacrum et abstinendi ab operibus servilibus in aliquibus locis abrogatum sit, Summi tamen Pontifices Clemens XIV ac Pius VII expresse declararunt in consueto divinorum officiorum sacrarumque cæremoniarum ordine ac ritu nihil esse innovandum, sed omnia eadem prorsus ratione peragenda, ac si festa adhuc forent de præcepto.

Juxta decretum S. R. C. 13 Februarii 1892 ad dub. 27 in Calagur. et Calceat. Cadaver absens ob civile vetitum vel morbum contagiosum, non solum insepultum, sed et humatum, dummodo non ultra biduum ab obitu, censeri potest ac si foret physice præsens, ita ut Missa exequialis in casu cantari licite valeat quoties præsente cadavere permittitur.

Digitized by Google

Resp. III. Si corpore sepulto, Missa exequialis ad aliquod tempus differatur, ut præsentibus amicis circa castrum doloris, ac si corpus adesset, solemniter cum precibus consuetis cantetur; certum est hanc Missam sine speciali indulto cantari non posse in duplice et æquivalente, si corpus cum Missa sepultum fuerit (1); privilegium enim cantandi Missam exequialem in duplice, intelligitur tantum de unica Missa, ut dicetur quæst. seq. Si corpus ob aliquam causam sine Missa sepultum fuerit, tunc Missa exequialis, ut gaudeat privilegio cantandi in duplice, differri non potest ad tempus benevisum, sed tantum ad sequentem diem vel primum per rubricas non impeditum, ut dictum est in præcedente not. 1. Si itaque Missa exequialis ulterius protrahatur, nullum pro hac Missa agnoscitur privilegium. Unde in casu occurrente diem semiduplicem vel æquivalentem eligere opus est.

Not. pro Missa exequiali, quæ ultra primum diem non impeditum transfertur, celebrandam esse Missam quotidianam, cum tribus orationibus.

57. Quot Missæ in exequiis diebus, qulbus prohibentur Missæ privatæ de *Requiem*, in nigris celebrari possunt?

R. Unica tantum Missa. Illa scilicet quæ solemniter, aut saltem cum cantu celebratur, et post quam fit absolutio defuncti, ac dicuntur preces sepulturæ, censetur privilegiata.

Pro paupere defuncto cujus familia impar est solvendi expensas Missæ exequialis cum cantu, hæc Missa legi potest sub iisdem clausulis et conditionibus, quibus præfata Missa cum cantu conceditur, dummodo in Dominicis, aliisque Festis de præcepto non omittatur Missa officio diei currentis respondens (2).

In Ecclesia vel Oratorio tum publico tum privato et in Sacellis ad Seminaria, Collegia ac Religiosas vel pias utriusque sexus Communitates spectantibus, ea die qua ibi fit funus cum Missa solemni exequiali, toto tempore quo defuncti corpus physice aut moraliter præsens est, permittuntur Missæ

(1) S. R. C. 27 Feb. 1847, n. 2939, 1.
(2) S. R. C. 12 Junii 1899, n. 4024.

Digitized by Google

privatæ de *Requiem*, modo applicentur pro ipso defuncto; exceptis sequentibus diebus : 1° omnibus Dominicis; 2° omnibus Festis duplicibus 1 cl.; 3° Feriis privilegiatis IV Cinerum et II, III, IV Sanctæ Hebdomadæ; 4° Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes; 5° diebus octavis Nativitatis Domini et Epiphaniæ (1).

Nota 1° Cadaver esse *physice* præsens cum revera habeatur in ecclesia seu oratorio ubi fit funus; *moraliter* vero si ob justam causam, nempe ob civile vetitum vel morbum contagiosum absens est, vel jam sepultum non tamen ultra biduum.

2° Missas istas privatas de *Requiem* dicendas esse ut in die Obitus cum unica oratione.

58. Quid statuunt Rubricæ quoad Missam de *Requiem* post acceptum nuntium de alicujus obitu?

R. Olim per varia decreta S. R. C. quibusdam Religiosis Familiis concessum erat privilegium, ut post acceptum nuntium de morte in loco dissito confratris ejusdem Ordinis seu Congregationis sub certis conditionibus, possent cantare Missam solemnem de *Requiem* in refrigerium animæ defuncti. Nunc autem dictum privilegium extensum est non solum ad omnes Religiosos Ordines, Congregationes, Societates et Familias, sed etiam ad particulares personas (2).

Hæc Missa privilegiata est ad instar aliorum dierum, nempe *Tertio*, *Septimo*, *Trigesimo* et *Anniversarii*, et consequenter iisdem regulis ac Missæ præfatorum dierum subjacet (3).

Prohibetur : 1° Dominicis omnibus; 2° Festis duplicibus 1 et 2 cl. et Festis quæ de jure de præcepto sunt; 3° infra Octavas privilegiatas Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes et Corperis Christi; 4° Feriis privilegiatis nempe IV Cinerum et totius Majoris Hebdomadæ; 5° Vigiliis privilegiatis Nativitatis Domini et Pentecostes; 6° publice exposito SS. Sacramento.

(1) S. R. C. 19 Maji 1896, n. 3905; 12 Jan. 1897, n. 3944.
(2) S. R. C. 2 Dec. 1891, n. 3755, III.
(3) S. R. C. 30 Junii 1896, n. 3920, I.

Digitized by Google

Missa de *Requiem* debet celebrari solemnis, aut saltem cum cantu, nisi ritus occurrens Missam lectam de *Requiem* permittat. Missa in casu, sive cantata sive lecta est ritus duplicis; sumitur Missa secunda ex quatuor pro defunctis cum unica oratione et sequentia *Dies iræ*.

DE ANNIVERSARIIS DEFUNCTORUM.

59. Quid intelligitur per Anniversarium defunctorum?

R. Generaliter loquendo Anniversarium defunctorum est dies determinatus, quo per Sacrosanctæ Missæ celebrationem annua memoria alicujus vel plurium defunctorum celebratur. Distinguitur duplex : Anniversarium *stricte sumptum* et Anniversarium *late sumptum*.

Anniversarium *stricte sumptum* est Missa de *Requiem* solemnis aut saltem cum cantu pro defunctis, sive fundata a testatoribus pro die Obitus aut alio determinato die, sive celebrata ad petitionem viventium absque fundatione, dummodo pro die Obitus vel Depositionis (1).

Dicitur : 1° Missa de *Requiem*, quia, Obitus seu Depositionis die impedito, non potest cantari Missa de occurrenti festo vel feria privilegiata, applicando fructus Sacrificii defunctorum animabus; sed in casu Missa anniversaria de *Requiem* in die præcedente vel sequente non impedito, ut infra dicetur, cantanda est.

2° *Solemnis* aut saltem *cum cantu;* quia ut Anniversarium gaudeat privilegiis celebrari debet, si non cum ministris sacris, saltem in cantu.

3° Sive *fundata a testatoribus* etc. Ex duplici titulo Anniversarium *stricte sumptum* celebrari potest : 1° ex titulo fundationis in ipso die recurrente Obitus vel Depositionis, aut in alio die determinato a testatore; 2° ex titulo petitionis viventium, modo fit recurrente die Obitus vel Depositionis.

(1) S. R. C. 2 Dec. 1891, n. 3755, I.

Digitized by Google

Anniversarium fundatum potest statui alio ab Obitus seu Depositionis die; Anniversarium non fundatum, sed privatum scilicet quod petitur a parentibus, consanguineis, hæredibus aut amicis, non nisi in die Obitus seu Depositionis.

Quibus diebus prohibentur Anniversaria *stricte sumpta?*

R. 1° Dominicis omnibus; 2° omnibus Festis de præcepto in populo, etiamsi præceptum sit suppressum; 3° omnibus Festis duplicibus 1 et 2 cl.; 4° infra Octavas privilegiatas Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschæ, Pentecostes et Corporis Christi; 5° Vigiliis majoribus Nativitatis Domini et Pentecostes; 6° Feriis privilegiatis IV cinerum et totius Hebdomadæ Sanctæ; 7° die solemnis expositionis ss. Sacramenti (1).

Si Anniversaria diebus exceptis et impeditis occurrant, Missa celebrari non potest conformis officio cum applicatione fructus Sacrificii defunctorum animabus (2); sed eadem Anniversaria vel in sequentem diem liberum transferri possunt, vel in proximiori antecedenti die similiter libero anticipari; dies autem liberi ii sunt qui in superius recensitis non comprehenduntur (3). Melius est anticipare quam differre, ut citius defunctis consulatur.

Nota : 1° pro Anniversario in hoc casu translato, etiam ad plures dies ob Octavam privilegiatam, cantari Missam ut in Anniversario, sine variatione in collectis. 2° Anticipationem vel translationem fieri posse et debere, sive Anniversaria accidentaliter sive perpetuo sint impedita. 3° Nisi ratione prædicti vel alterius rationabilis impedimenti, Anniversaria tuta conscientia non posse transferri a die obitus vel a die assignato (4). 4° Si ultra primum diem non impeditum anticipentur vel transferantur ea nullo privilegio gaudere, et in hoc casu orationes dicendas esse non ut in Missa anniversaria, sed ut in Missa quotidiana.

Anniversaria *late sumpta* sunt illa, quæ, quamvis a die

(1) S. R. C. Decr. supra citatum, I.
(2) S. R. C. 22 Dec. 1753, n. 2427, 1.
(3) Decr. cit. 2.
(4) S. R. C. 17 Nov. 1657, n. 1040.

Digitized by Google

obitus non sint, a Religiosis Communitatibus, a Canonicorum Collegiis, a Confraternitatibus aut ab aliis quibuscumque piis Sodalitatibus, pro Confratribus defunctis semel in anno fieri solent (1). Dicta Anniversaria celebrari possunt in duplicibus minoribus. Prohibentur ergo non tantum omnibus diebus quibus prohibentur Anniversaria *stricte sumpta*, sed insuper in omni duplici majori; sed ut licite celebrentur in Festis duplicibus minoribus requiritur ut fiant cum solemnitate extrinseca, aut saltem in cantu. Pro Anniversariis *late sumptis* sumi potest Missa quæ in Missali inscribitur *In Anniversario Defunctorum*, cum unica oratione, quæ sumitur congruenter ex diversis orationibus pro pluribus defunctis.

Juxta citatum decretum his Anniversariis æquiparantur Missæ, quæ pro fidelium pietate infra Octavam Omnium Fidelium Defunctorum locum habent, quæ Missæ, cum hanc ob causam sint privilegiatæ et ritus duplicis, non nisi unicam orationem convenientem admittunt.

60. Quibus diebus permittuntur Missæ cantatæ defunctorum fundatæ, sed non ut in die obitus, aut in alio fixo seu determinato die celebrentur?

R. Cum tales Missæ fundatæ sint, non pro die obitus neque fixo aut determinato die, sed ut singulis annis pro determinatis defunctis, sed non determinato die, celebrentur, vera Anniversaria neque *stricte* neque *late sumpta* dici possunt; quapropter nullo gaudent privilegio, et permittuntur tantum iis diebus, quibus celebrari possunt Missæ privatæ de *Requiem*.

DE DIEBUS TERTIO, SEPTIMO ET TRIGESIMO DEFUNCTORUM.

61. Præter diem Obitus seu Depositionis et Anniversarium, dies Tertius, Septimus et Trigesimus institutione antiquissima in defunctorum memoriam præ ceteris ab Ecclesia solemnes habiti sunt, non quia Missa iis diebus magis proficit

(1) S. R. C. 2 Dec. 1891, n. 3753, V.

Digitized by Google

defunctis, id enim esset superstitiosum, sed quia hi dies præ aliis plurimas mysticas rationes habent (1).

In diebus Tertio, Septimo et Trigesimo Missa canitur ut in die Obitus, cum orationibus in fine ejusdem Missæ assignatis. Aliis autem diebus intermediis, si pro eodem defuncto celebretur, dicitur Missa quotidiana; et alius dies præter Tertium, Septimum, et Trigesimum in orationibus numquam nominari potest (2).

Una Missa de *Requiem* in diebus 3°, 7° et 30° cantari potest iisdem diebus ac anniversaria *stricte sumpta;* et si diebus vetitis occurrat, similiter anticipari vel differri potest cum eadem solemnitate et absque mutatione in collectis (3). Ut hæc Missa his privilegiis gaudeat, non requiritur, ut defunctus sic ordinaverit, sed sufficit voluntas consanguineorum, amicorum vel testamenti executorum, modo Missa cantetur (4) : ila ut Missa lecta de *Requiem* in minoribus ecclesiis, in quibus Missæ cantari non solent, prohibeatur in diebus, in quibus prohibentur Missæ privatæ de *Requiem,* et his diebus Missa de officio currente legi debeat (5).

Missæ pro diebus 3°, 7° et 30° non uno eodemque die, nec etiam successivis, sed suis respectivis diebus, in quibus occurrunt, celebrandæ sunt. Hi dies possunt numerari a die Obitus vel a die sepulturæ, secundum diversam ecclesiæ consuetudinem, potius autem a die sepulturæ, si cadavera juxta patriæ morem vel alia de causa inhumata serventur, quia aliter dies Tertius quandoque supprimeretur per diem sepulturæ vel post eum continuatim foret agendus (6).

62. Hac occasione notanda sunt sequentia quoad Missas triginta, quæ pro recenter defuncto celebrari solent.

1° In decreto initio missalis prohibentur Missæ non approbatæ, nuncupatæ s. Gregorii pro vivis et defunctis, etc.; hæc

(1) Gavantus p. 1, tit. 5, lit. b c d; Cavalieri t. 3, c. 4; Fornici p. 2, c. 34.
(2) S. R. C. 16 Jan. 1677, n. 1588, 3.
(3) S. R. C. 2 Dec. 1892, n. 3753, III.
(4) S. R. C. 22 Martii 1862, n. 3112, II.
(5) S. R. C. 23 Aug. 1766, n. 2482, 2.
(6) S. R. C. 23 Aug. 1766, n. cit.; Cavalieri t. 3, c. 4, ad 8.

Digitized by Google

autem prohibitio non intelligitur de Missis numero triginta, institutis a s. Gregorio lib. 4 Dialog. cap. 55 (1).

2° Ibidem tradit s. Gregorius, se, defuncto Justo monacho, Pretioso monacho hæc demandasse : « vade itaque, ab ho- » dierna die diebus triginta continuis offer pro eo Sacrificium; » stude ut nullus prætermittatur dies, quo pro absolutione » illius Hostia salutaris non offeratur. Absoluto Missarum » numero Justus monachus Copioso apparuit, cui se purga- » torii cruciatibus ereptum eo tempore nuntiavit : fratres » vero *(inquit s. Gregorius loco cit.)* sollicite computave- » runt dies, et ipse dies extiterat, quo pro eo trigesima oblatio » fuerat impleta. » Hinc ritus has triginta Missas celebrandi, cœpit esse in maxima veneratione, quia ex communi fidelium sensu creditur peculiarem vim habere ad liberandas fidelium animas, non quidem ex numero triginta, quod superstitiosum est, sed, ut placet Quarti (2), vel quia s. Gregorius hanc a Deo gratiam impetravit, vel quia ipse, si tunc esset summus pontifex, indulgentiam plenariam concessit, seu eam a suo prædecessore obtinuit sub injuncto opere sacrificii per triginta dies.

3° Ad has triginta Missas, institutas a s. Gregorio, requiritur, ut ex textu s. Patris patet, 1° ut Missæ diebus triginta continuis dicantur sine interruptione et nullo prætermisso die, nisi occurrat triduum sacrum majoris Hebdomadæ. Si autem alias discontinuentur, vel paucioribus diebus dicantur, valent tanquam triginta Missæ, sed non ut eæ, quas instituit s. Gregorius. Et 2° ut sacrificium defuncto applicetur. Non tamen requiritur, ut omnes Missæ de *Requiem* dicantur, licet conveniat in diebus permissis. An autem omnes triginta Missæ ab eodem sacerdote celebrari debeant, disputatur; quia licet in textu s. Gregorius eidem sacerdoti præcipiat, non addit tamen *per te*. Triginta Missæ s. Gregorii inceperunt a trigesimo die post mortem Justi elapso; incipi tamen possunt

(1) S. R. C. 28 Oct. 1628, n. 477 in fine.
(2) P. 1, tit. 5, d. 16.

Digitized by Google

ab alio die opportuno, et potius a die obitus seu depositionis, ut citius defunctis consulatur (1).

DE MISSIS PRIVATIS DEFUNCTORUM.

63. Quandonam prohibetur et permittitur Missa privata de *Requiem?*

R. Prohibetur : 1° omnibus diebus dominicis et duplicibus (2); 2° diebus infra octavas Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, ss. Corporis Christi, et Nativitatis Domini, feria 4ª Cinerum, tota Hebdomada sancta, vigiliis Epiphaniæ, Pentecostes et Nativitatis Domini (3); 3° tempore expositionis ss. Sacramenti ob causam privatam, ad altare expositionis tantum (4); quando autem exponitur ob causam publicam, ad omnia altaria ecclesiæ (5). Consuetudine tamen in his locis vigente non servatur, ut missæ de *Requiem* non celebrentur ad alia altaria, quandocumque ss. Sacramentum detectum seu publice exponitur, nisi expositum sit majori cum solemnitate, ut in precibus 40 horarum, perpetua adoratione et similibus, quibus Missæ de *Requiem* certo non conveniunt. 4° Diebus stationis ecclesiæ vel alterius solemnitatis, in quibus, licet stricte loquendo, si ritus semiduplex aut simplex permittat, rubricæ et decreta Missam de *Requiem* non prohibeant, eam tamen celebrare non convenit ob solemnitatem (6).

Omnibus reliquis diebus Missa privata de *Requiem* permittitur.

(1) Vid. Gavantus p. 1, tit. 5, litt. d.; Bened. XIV, de sac. missæ, sect. 2, n. 208 et 209, edit. Lov.; Quarti quæst. procem. sect. 5, p. 4 et p. 1, tit. 5, dub. 16; Cavalieri t. 3, c. 15; Lucius Ferr. missæ sac. art. 14, n. 24-31.

(2) Rub. gen. tit. V, n. 2; S. R. C. 5 Aug. 1662, n. 1238.

(3) Dec. initio missalis, item 28 Sept. 1675, n. 1549.

(4) S. R. C. 14 Junii 1873, n. 3302, II.

(5) S. R. C. 7 Maji 1746, n. 2390, 4, Gardellini instr. Clem. § 17, n. 2, 3 et 4.

(6) Vid. dec. S. C. Indulg. 11 Ap. 1864, in Actis S. Sedis vol. 1, fol. 42.

Digitized by Google

Not. 1° per Dominicos intelligi ipsos dies dominicos, non autem dies feriales, in quos officium dominicale anticipatur; per octavam ss. Corporis Christi intelligi illam, quæ in universali Ecclesia incipitur feria quinta post festum ss. Trinitatis.

Not. 2° si ex benefactorum (seu testatorum) institutione Missæ privatæ de *Requiem* celebrandæ, incidant in festum duplex (vel in alium diem ut supra impeditum), tunc ne dilatio animabus suffragia expectantibus detrimento sit, in alium diem non impeditum minime transferantur, sed dicantur de festo currenti cum applicatione sacrificii juxta mentem eorumdem benefactorum : atque ita Sanctitas Sua benefactorum mentem impleri voluit *die 5 Aug. 1662* (1).

Not. 3° iisdem diebus, extra dies privilegiatos, de quibus numeris præcedentibus actum est, etiam prohiberi Missas de *Requiem* cantatas, imo celebratas cum solemnitate extrinseca, ut cum ministris sacris, nisi speciale habeatur indultum (2).

64. Juxta Decretum S. R. Congregationis 19 Maii 1896 (3) in quolibet Sacello sepulcreti, rite erecto vel erigendo, Missæ, quæ inibi celebrari permittuntur, possunt esse de *Requiem*, diebus non impeditis a Festo duplici 1 vel 2 classis, a Dominicis, aliisque Festis de præcepto servandis, necnon a Feriis, Vigiliis Octavisque privilegiatis. Pro Missa de *Requiem* quæ inibi celebratur extra dies privilegiatos, sumitur Missa Quotidiana Defunctorum cum orationibus ut dicetur n. 65.

Per Decretum ejusdem Sacræ Congregationis 12 Januarii 1897 (4) dictum privilegium concessum Sacellis sepulcreti, favet etiam Ecclesiæ vel Oratorio publico ac principali ipsius sepulcreti; non autem favet aliis Ecclesiis vel Capellis extra cœmeterium constructis, supter quas, ad legitimam distantiam, nempe unius metri ab altari, alicujus defuncti cadaver

(1) N. 1238, ut habetur initio missalis, item 4 Aug. 1674, n. 1525.
(2) S. R. C. 28 Sept. 1675, n. 1549, 13 Jul. 1709. n. 2197
(3) N. 3903.
(4) N. 3944.

Digitized by Google

quiescit. Neque favet Ecclesiis parochialibus quæ circumjacens habent cœmeterium parochiale.

DE ORATIONIBUS IN MISSIS DEFUNCTORUM.

65. Quot Orationes dicuntur in Missis Defunctorum?

R. I. Una tantum Oratio dicenda est in Missis omnibus, quæ celebrantur in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum, die et pro die Obitus seu Depositionis, atque etiam in Missis cantatis, vel lectis, permittente ritu, diebus Tertio, Septimo, Trigesimo et die Anniversario, necnon quandocumque pro Defunctis Missa *solemniter* celebratur, nempe sub ritu qui duplici respondet, uti in Officio quod recitatur post acceptum nuntium de alicujus obitu, et in Anniversariis *late sumptis* (1).

Not. 1° Non tantum in omnibus Missis quæ celebrantur in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum unicam Orationem esse dicendam, sed hoc locum habere etiam in omnibus Missis de *Requiem*, sive solemnibus, sive cantatis, sive simpliciter lectis, quæ, permittente ritu, dicuntur in die Obitus seu Depositionis defuncti, et toto tempore intermedio, quo corpus manet insepultum, quod, ut dictum est n. 55 pro uno die reputatur. Item in Missis de *Requiem* quæ celebrantur pro die Obitus seu Depositionis defuncti, v. g. ratione exequiarum quæ fiunt infra biduum a sepultura, quæ facta jam est ob morbum contagiosum vel civile vetitum. In die Tertio, Septimo, Trigesimo ac Anniversario non tantum in Missis de *Requiem* cantatis, sed, si ritus permittat ut celebrentur Missæ de *Requiem* lectæ, in his etiam non nisi unica dicitur Oratio. Rubricæ enim non distinguunt quoad hos dies inter Missam solemnem et privatam et loquuntur eodem modo de die Obitus seu Depositionis et aliis, sicut de die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum, in quo in omnibus Missis dicitur una tantum Oratio.

(1) S. R. C. 30 Junii 1896, n. 3920, I.

Digitized by Google

Not. 2° Una dicitur Oratio quandocumque pro Defunctis Missa *solemniter* celebratur. Notandum hanc locutionem *solemniter* non intelligi de solemnitate extrinseca, qua cum Missa de *Requiem* celebratur, ut cum diacono et subdiacono, cum concursu et pompa exteriori; sed de solemnitate intrinseca ipsius Missæ, quæ Officio duplici Defunctorum respondet, quapropter ritus duplicis et privilegiata esse censetur; qualis est Missa de *Requiem* quæ cantatur post acceptum nuntium de alicujus obitu, de qua dictum est n. 58.

II. In Missis quotidianis Defunctorum, seu illis quæ extra dies privilegiatos, supra recensitos, celebrantur, plures dicuntur Orationes, sive legantur, sive cum cantu, ministris sacris aut magna solemnitate extrinseca celebrentur. Si sint solemnes aut cantatæ tres dici debent Orationes et plures non admittuntur; si tantum sint lectæ etiam tres dici debent, plures tamen dici possunt ad libitum Celebrantis, dummodo curetur ut sint numero impares et ultimo loco dicatur oratio *Fidelium* (1).

Quæ Orationes dicuntur in diversis Missis de *Requiem?*

R. I. 1° In Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum in omnibus Missis dicitur Oratio Missæ hujus diei propria, nempe *Fidelium,* nisi corpore præsente Missa exequialis sit celebranda.

2° In die Obitus seu Depositionis Defuncti, imo quando Missa celebratur pro die Obitus seu Depositionis Defuncti, sumitur Oratio *Deus, cui proprium est,* quæ est propria secundæ Missæ de *Requiem,* quæ in hoc casu dicitur.

3° In diebus Tertio, Septimo et Trigesimo, quibus diebus etiam dicitur secunda Missa de *Requiem,* dicitur Oratio *quæsumus Domine,* quæ in Missali describitur post Missam *In die Obitus seu Depositionis.*

4° In Anniversario ab Obitu seu Depositione, dicitur Oratio *Deus indulgentiarum,* quæ est propria Missæ *In Anniversario Defunctorum.*

5° In Anniversario, quod non est ab Obitu seu Deposi-

(1) Decr. supra cit. 11 et IV.

Digitized by Google

tione, necnon quando extra dies privilegiatos supra memoratos, Missa *solemniter* pro defuncto celebratur, uti post acceptum nuntium de alicujus obitu, in quo casu sumitur secunda vel quarta ex quatuor Missis Defunctorum, dicitur Oratio, quæ inter diversas Orationes post Missas de *Requiem* in Missali positas, magis convenit Defuncto pro quo celebratur.

Quod dictum est supra sub 2°, 3°, 4° et 5° intelligendum est de Oratione dicenda in Missa de *Requiem*, quæ celebratur pro clerico Sacerdote inferiori et pro laico. Si enim in dictis diebus Missa de *Requiem* celebratur pro Summo Pontifice, pro Cardinali, pro Episcopo aut pro Sacerdote, in quo casu sumitur Missa ut in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum, dicitur Oratio quæ respondet dignitati Defuncti.

II. In Missis quotidianis Defunctorum, si sint solemnes aut saltem cum cantu, in quibus tres Orationes dici debent et plures non admittuntur, prima erit pro defuncto vel defunctis certo designatis, pro quibus Sacrificium offertur, ex iis quæ inscribuntur in Missali; secunda ad libitum Celebrantis, ultima pro omnibus defunctis, nempe *Fidelium*.

Si vero pro defunctis in genere Missa cantetur Orationes sunt dicendæ, quæ pro Missis quotidianis in Missali prostant, eodemque ordine quo ibi sunt inscriptæ (1).

In Missis quotidianis Defunctorum simpliciter lectis, etiam tres illæ Orationes dicendæ sunt quæ supra pro Missis cantatis præscribuntur. Si vero ad libitum Celebrantis plures quam tres dicantur, tum prima et secunda erunt ut in Missis cantatis præscribitur; post secundam recitat Celebrans Orationes ad suum libitum ex diversis quæ pro Defunctis habentur in Missali, et ultimo loco Orationem *Fidelium*. Sed, ut supra dictum est, curetur ut Orationes sint numero impares.

In quibus Missis de *Requiem* dicenda est Sequentia *Dies iræ?*

Juxta Decretum S. R. Congregationis 30 Junii 1896 Sequentia *Dies iræ* de præcepto dicenda est in omnibus Missis

(1) Decr. cit. III.

Digitized by Google

de *Requiem* cantatis, etiam quando tres habentur Orationes, necnon in lectis quæ diebus pro Defunctis privilegiatis fiunt, seu quæ non nisi unicam admittunt Orationem; in reliquis vel recitari potest vel omitti ad libitum Celebrantis.

DE OBLIGATIONE CELEBRANDI MISSAS VOTIVAS ET DE REQUIEM.

66. An sacerdos ratione fundationis vel accepti stipendii obligatus ad Missas pro defunctis vel in honorem alicujus mysterii aut sancti celebrandas, tenetur celebrare Missas de *Requiem* seu votivas, vel an propriæ obligationi satisfacit, dicendo Missas diei currentis?

R. I. Si agatur de Missis privatis pro defunctis, satisfacit celebrando Missam diei : 1° in duplicibus aliisque diebus, quibus Missæ privatæ de *Requiem* prohibentur, sive testator aut dans stipendium rogaverit dici Missam de *Requiem*, sive non, juxta dec. gen. 5 Aug. 1662 (1). Consultum tamen est petentem instruere, ne scandalum patiatur. 2° Satisfacit etiam in diebus, quibus Missæ privatæ de *Requiem* permittuntur, nisi Missa celebranda sit in altari privilegiato, aut nisi testator aut dans stipendium expresse rogaverit dici Missam de *Requiem* (2). Si autem testator aut dans stipendium expresse

(1) N. 1238; 13 Junii 1899, n. 4031, 4.

(2) Ad privilegium altaris privilegiati sufficit, ut in diebus, in quibus Missæ de *Requiem* juxta rubricas prohibentur, celebretur Missa diei; aliis autem diebus, in quibus Missæ de *Requiem* permittuntur, necessario requiritur Missa de *Requiem*, ad lucrandam indulgentiam, sive privilegium sit perpetuum sive temporale, sive locale, sive personale, nisi expositio ss. Sacramenti aut alia solemnitas Missam de *Requiem* non permittat. *Ita Constitutiones Alexandri VII, 22 Jan. 1667, Clementis IX, 23 Sept. 1669, et Innocentii XI, 4 Maji 1688, apud Gardell. in indice* Altare; *S. R. C., 27 Aug. 1835. 2743, 5, et 22 Jul. 1848, n. 2962, item S. Cong. Indulg. 14 Ap. 1840, a qua petitum fuerat ad 2.* « *Utrum* » *qui privilegium habet personale pro quatuor Missis in hebdomadis* » *singulis, debeat cum paramentis colore nigro celebrare diebus non* » *impeditis, ut possit indulgentiam plenariam pro animabus defunctorum* » *lucrari? 3. Utrum qui celebrat in altari privilegiato pro singulis*

Digitized by Google

voluerit dici Missam de *Requiem*, tenetur celebrare de *Requiem* in diebus permissis (1); quia, ut dicitur in cit. dec. 3 Mart. 1761, expressa voluntas testatorum vel postulantium, dummodo sit rationabilis, debet adimpleri; sacerdos alias agit contra fidelitatem; et Pontifex non dispensavit super mentibus benefactorum, dum expresse rogaverunt dici Missam de *Requiem* in diebus permissis (2). Si tamen celebrans in casu Missam diei dicat, non videtur graviter peccare, ut infra dicetur ad IV.

Notandum, licet per Missam diei satisfiat obligationi Missæ pro defunctis, per se tamen loquendo et supposita æquali devotione, Missam de *Requiem* magis prodesse defunctis, quam de die, juxta illud s. Thomæ : « Ex parte sacrificii » Missa æqualiter prodest defuncto, de quocumque dicatur; » ex parte tamen orationum magis prodest illa, in qua sunt » orationes ad hoc determinatæ » (3).

II. Si agatur de anniversariis cantatis, fundatis in die obitus, sacerdos tenetur celebrare Missam de *Requiem* : quia summus Pontifex, Alexander VII (4) tantum voluit cum applicatione sacrificii satisfieri, et benefactorum mentem impleri quoad Missas privatas; nihil autem statuit nec concessit

» *diebus, debeat semper uti paramentis nigris diebus non impeditis, ut* » *indulgentiam privilegii consequatur! Eadem S. C. respondit ad 2.* » Affirmative; *ad 3,* ut in secundo. » *Apud Prinz. n. 500.* Dictum autem est, nisi expositio aut alia solemnitas Missam de *Requiem* non permittat juxta dec. S. R. C. 14 Aug. 1858, n. 5070 et S. Cong. Indulg. 20 Jul. 1751, apud. Prinz. n. 200, et 11 Ap. 1864, in quo petitur : *Utrum sacerdos celebrans in altari privilegiato legendo Missam de festo semiduplici, simplici, votivam, vel de feria non privilegiata, sive ratione expositionis ss. Sacramenti, sive stationis ecclesiæ, vel alterius solemnitatis, fruatur privilegio, ac si legeret Missam de* Requiem *per rubricas eo die permissam? Sacra itaque Congregatio... respondendum esse duxit :* **Affirmative,** *et facto verbo cum Sanctissimo... Sanctitas sua sententiam confirmavit, 11 Ap. 1864.* Acta quæ apud S. Sedem geruntur vol. 1, fol. 42.

(1) S. R. C. 3 Jun. 1662, n. 1235; 3 Mart. 1761, n. 2461, 7.

(2) Gavantus p. 3, tit. 12, n. 19.

(3) In 4 dist. 45, q. 1, art. 3, q. 1 ad 1; Cavalieri t. 3, dec. 70; Quarti p. 1, tit. 5, d. 7.

(4) In dec. gen. 5 Aug. 1662.

Digitized by Google

quoad anniversaria, sed contra in decretis (1) declaratum est : « Anniversaria et Missas cantatas de *Requie* relictas ex » dispositione testatorum, quotannis in die ipsorum obitus » etiam in duplici majori contingentes, posse celebrari, et » non comprehendi in decreto ipsius S. C. edito die 5 Au- » gusti 1662, et a SS. D. N. approbato de Missis Defunc- » torum privatis non celebrandis in festo duplici. » Quinimo » S. R. C. decrevit quod Obitus die impedito, non possit » cantari Missa de occurrenti Festo vel Feria privilegiata, » applicando fructus Sacrificii defunctorum animabus » (2). Ideoque decreta statuunt, ut pro anniversario Missa de *Requiem* cantetur in duplici etiam majori; et si dies impeditus occurrat, ut in primum diem non impeditum anticipetur vel differatur, ut ita pro anniversario non cantetur alia Missa nisi de *Requiem*.

Quoad anniversaria cantata, fundata non pro die obitus, sed pro aliis certis et determinatis diebus, idem dicendum est ac de anniversariis pro die obitus fundatis, quia etiam, ut dictum est n. 61, die assignata impedita, anticipanda vel differenda sunt in primam diem non impeditam, ne unquam celebrentur nisi de *Requiem*.

III. Si agatur de missis cantatis defunctorum, fundatis sine assignatione dierum etiam cantandæ sunt de *Requiem* (3), quia in dec. gen. 5 Aug. 1662, n. 1238, tantum dispensatur super mentibus benefactorum quoad Missas privatas. Missa diei celebrari potest, si testator vel dans stipendium consentiat; ut si missæ fundatæ sint pro singulis diebus vel statutis per hebdomadam diebus : cum enim fundator prævidere potuerit, missam de *Requiem* in singulis vel statutis diebus sæpius fore impediendam, censendus est consensisse, ut Missa diei in diebus impeditis celebraretur (4).

Idem dicendum est de numerosis Missis pro defunctis, quæ

(1) 22 Nov. 1664, n. 1307 et 1 Dec. 1666, n. 1343.
(2) 22 Dec. 1753, n. 2427, 1.
(3) S. R. C. 23 Aug. 1766, n. 2482, 1.
(4) S. R. C. 3 Jun. 1662, n. 1235.

Digitized by Google

quandoque post mortem alicujus fidelis, intra certum tempus, in eadem ecclesia cantandæ offeruntur.

IV. Sacerdos obligatus ad Missam in honorem alicujus Mysterii aut Sancti celebrandam, tenetur celebrare votivam, et non satisfacit propriæ obligationi per Missam de die occurrenti iis diebus, quibus dici possunt Missæ votivæ privatæ (1).

Excipitur : 1° Si habeatur indultum Apostolicum. 2° Si dans stipendium consentiat ut Missa diei celebretur, ut, v. g. si fidelis erogans eleemosynam, nesciens discrimen inter Missam votivam et Missam Officio diei conformem, arbitrio Sacerdotis sese committat. In hoc casu, si causa rationabilis adsit, potest accipiens stipendium loco Missæ votivæ celebrare Missam de die occurrenti.

Juxta decretum S. R. C. 13 Junii 1899 ad 4. Sacerdos, cui erogatur eleemosyna ad celebrandam Missam votivam in honorem alicujus Mysterii, B. M. V. vel Sancti, satisfacit obligationi suæ Missam faciendo officio conformem, cum aliunde petitam Missam ritus diei non permittat, dummodo applicet juxta intentionem dantis eleemosynam; sed consultius est, ut, quantum fieri possit, intentioni eleemosynam erogantis satisfiat per Missam votivam.

Tres Missæ, quas ordinati presbyteri post primam suam Missam celebrare tenentur, non possunt dici in duplicibus, sed in diebus a rubrica permissis (2).

Not. autem, sacerdotem, si loco Missæ votivæ celebret de die, non videri graviter peccare (3), quia idem est valor essentialis, valor autem accidentalis non tam grave infert præjudicium; tum quia virtus fidelitatis in casu non tam graviter obligare videtur : in dec. *3 Mart. 1761* sacerdos quidem dicitur propriæ obligationi non satisfacere dicendo Missam de die; sed responderi potest, id esse intelligendum quoad valorem accidentalem, cujus defectus non videtur tam grave inferre præjudicium et peccatum.

(1) 19 Maji 1614, n. 321; 3 Mart, 1761, n. 2461, 7.

(2) S. R. C. 11 Ap. 1840, n. 2802, 4.

(3) Quarti p. 1, tit. 4, d. 11, et Busembaum l. 6, tract. 3, c. 3, d. 1, n. 8; Hausherr Nro II, § 1, n. 1.

Digitized by Google

67. Occasione hujus materiæ sequentes casus proponi possunt : sacerdotes obligati ad celebrandum pro vivis, seu ad intentionem dantis, legunt Missam de *Requiem;* item alii celebrant Missam votivam pro Missa diei aut de *Requiem,* an rite faciunt?

R. 1° Si qualitas Missæ a dante eleemosynam præscripta fuerit, hanc sacerdotes servare tenentur, ne fidelitatem violent. 2° Licet autem qualitas Missæ demandata non fuerit, hæc tamen per se non conveniunt, nisi sufficiens causa excuset, v. g. si sola paramenta nigra in sacristia offerantur; si adsit consuetudo cantandi feriis quintis votivam ss. Sacramenti, aut sabbatis votivam B. M. V. in casu quo votiva privata permittitur. 3° Si tamen qualitas Missæ præscripta non fuerit, certum est juxta Cavalieri, illos sacerdotes ad restitutionem minime teneri, quia fructus principalis æqualis est in omnibus Missis (1).

DE CÆCUTIENTE DISPENSATO AD LEGENDAM MISSAM VOTIVAM B. M. V. ET DE REQUIEM.

68. Dispensatio, qua sacerdoti cæcutienti vel gravi ætate presso permittitur celebrare singulis diebus Missam votivam B. M. V. et de *Requiem,* pertinet ad Summum Pontificem seu s. Congregationem Concilii, nisi Episcopus apostolica facultate fuerit munitus. Concedi solet in sequente tenore, prout data est *21 Sept. 1829*, quando « SS^us^ Dominus, audita » relatione Secretarii S. C. C., benigne commisit Ordinario » loci, ut veris existentibus narratis, et dummodo orator » non sit omnino cæcus, memoriter non recitet, celebret in » oratorio privato, aut etiam in publica ecclesia, hora tamen » a populo minus frequentata, et cum alio assistente sacer- » dote, quatenus eo indigere videatur; petitam licentiam

(1) Vid. dec. S. R. C. 29 Nov. 1856, quod refertur *Revue cath.* 1857, fol. 500; Cavalieri t. 3, c. 10. n. 21

Digitized by Google

» celebrandi diebus festis et duplicibus Missam votivam » B. M. V., diebus vero ferialibus Missam defunctorum, per » triennium proximum tantum, si tam diu enuntiatus defectus » perduraverit, pro suo arbitrio et conscientia oratori gratis » impertiatur, cum facultate hujusmodi licentiam prorogandi » toties, quoties opus fuerit, si facto experimento cognoverit » oratorem in eadem visivæ potentiæ debilitate perdurare, » viceque versa præfatam licentiam denegandi, si orator in » sacro peragendo defecerit, aut omnino cæcus evaserit, » super quibus ipsius Ordinarii et oratoris conscientia one- » rata remaneat. »

« Conditiones appositæ in hujusmodi privilegiis non sunt » meræ ritualitatis et styli, sed obligatoriæ in conscien- » tia » (1). Unde I, cum dicatur : *dummodo orator non sit omnino cæcus*, si quis cæcutiens dispensationem obtinuerit, et interea omnino cæcus fiat, vi illius clausulæ absque novo indulto in celebratione licite perseverare non potest, agitur enim tantum de cæcutiente seu visus debilitate laborante, non autem de totaliter cæco (2).

II. Dicitur : *cum alio assistente sacerdote*, quatenus cæcutiens eo indiget, vel hæc obligatio in indulto apposita fuit; si autem agatur de sacerdote cæco, hic sub gravi tenetur uti assistentia alterius sacerdotis, quamvis etiam hæc obligatio in indulto apposita non fuerit.

Assistens, superpelliceo indutus, in hac Missa omnia facere potest, quæ alias in Missa solemni per assistentes fieri solent; item pedem calicis tenere ad crucisignationes et similia, initia orationum dicere, et præcipue diligenter attendere, ne reliquiæ s. Hostiæ in corporali et patena relinquantur.

III. Dicitur : *diebus festis et duplicibus Missa votiva B. M. V. diebus vero ferialibus Missa defunctorum.* Circa quæ notandum 1° quod per dies festos et duplicia intelligantur Dominicæ etiam privilegiatæ, et duplicia etiam 1 et 2 cl., ut Nativitas Domini, Pentecostes, Dominica palmarum, alii-

(1) S. R. C. 16 Mart. 1805, n. 2560, 4.
(2) Idem dec. ad 3.

Digitized by Google

que dies privilegiati : ita ut hæc Missa votiva B. M. V. semper permittatur, nulla die quamtumvis solemni excepta, etiam in festis B. M. V. (1). Quod per votivam intelligatur illa, quæ in missali assignatur a pentecoste ad adventum, vel, modo facile fieri possit, assignata secundum tempus. 3° Quod hæc Missa votiva semper sit celebranda in colore albo, et more votivo sine *Gloria* et *Credo* etiam in Dominicis, festis et infra octavas B. M. V. (2). In sabbatis tamen dicitur *Gloria*, sicut in aliis votivis B. M. V. in sabbato. 4° Quod non sit facienda commemoratio officii diei, neque addenda collecta imperata, sed secunda oratio dicenda sit de Spiritu Sancto, et tertia *Ecclesiæ* vel pro Papa. 5° Quod per dies feriales intelligantur omnes et soli illi, in quibus licet celebrare Missas privatas de *Requiem;* non vero octavæ privilegiatæ, feria quarta Cinerum, Hebdomada Sancta, vigiliæ Nativitatis, Epiphaniæ et Pentecostes, in quibus dicenda est Missa votiva B. M. V. 6° Quod, quamvis dicatur *diebus ferialibus Missa defunctorum,* his tamen diebus cæcutiens non teneatur celebrare de *Requiem*, sed semper ad arbitrium celebrare possit Missam votivam B. M. V.

Not., cum hæc omnia sint privilegia, et liberum sit privilegiis uti, cæcutientem, si commode possit, rubricas laudabiliter servare; omnia autem, ad quæ privilegia non extenduntur servare debere, etsi usui esse nequeant; et proinde celebrare teneri cum missali et omnibus aliis requisitis. Item in festo Nativitatis Domini non tres, sed unam tantum Missam votivam B. M. V. celebrare potest (3).

IV. In rescripto indulti facultatis dispensandi, datæ 21 Nov. 1872 Illmo Archiepiscopo Mechliniensi additur clausula : *Injuncto onere, si opus fuerit, ut alter sacerdos, superpelliceo indutus, iisdem celebrantibus assistat, et dummodo, si fuerint parochi, per alium sacerdotem Missam officio occurrenti respondentem celebrare faciant, quoties pro*

(1) S. R. C. 11 Sept. 1847, n. 2951, 7.
(2) S. R. C. 23 Feb. 1839, n. 2788, 1.
(3) S. R. C, 11 Ap. 1840, n. 2802, 3.

Digitized by Google

populo applicare tenentur. Vi hujus clausulæ parochi dispensati, si ipsimet Missam parochialem officio occurrenti correspondentem in Dominicis et Festis celebrare nequeant, curare tenentur, ut hæc per alium celebretur et applicetur. Si autem alium sacerdotem non habeant, et ipsimet Missam officio correspondentem celebrare non valeant, certo non excusantur a Missa pro populo applicanda; et cum non nisi votivam celebrare valeant, eam pro populo applicare tenentur, eo magis, quod applicatio Missæ officio correspondentis in rescripto injungatur, non ut conditio, a qua dispensationis valor dependet, sed ut onus injunctum, a quo gravis causa excusare potest.

Titulus VI.

DE TRANSLATIONE FESTORUM.

Rub. *In dicendis Missis servetur ordö Breviarii de Translatione Festorum Duplicium, quando majori aliquo Festo seu Dominica impediuntur. In Ecclesiis autem, ubi Titulus est Ecclesiæ, vel concursus populi ad celebrandum Festum quod transferri debet, possunt cantari duæ Missæ, una de die, alia de Festo : excepta Dominica prima Adventus, Feria quarta Cinerum, Dominica prima Quadragesimæ, Dominica Passionis, Dominica Palmarum cum tota Hebdomada majori, Dominica Resurrectionis cum sequenti biduo, Dominica in Albis, Dominica Pentecostes cum duabus sequentibus Feriis, Dominica Sanctissimæ Trinitatis, die Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis et Festo Corporis Christi.*

69. Not. 1° Dicitur *titulus vel concursus populi*, quæ verba intelligenda sunt disjunctive, ita ut sufficiat alterutrum, vel solus titulus, vel solus concursus v. g. ad lucran-

Digitized by Google

das indulgentias in festo concessas (1). Concursus autem debet esse extraordinarius (2).

2° Dicitur *quod transferri debet* : rubricæ hujus terminis insistendo, sequitur Missam votivam tantum posse cantari, de iis festis duplicibus, quæ transferuntur, et non de aliis duplicibus, nec semiduplicibus vel simplicibus aliisque sanctis, qui in officio non habentur : attamen S. R. Congregatio statuit (3) de festo simplici ratione concursus posse cantari Missam votivam solemnem; quod, quia eadem est ratio, ad alios sanctos, ad quos populus concurrit, et quorum neque commemoratio in officio habetur, extendi posse videtur, modo fiat in die festivitatis horum sanctorum.

3° *Possunt cantari duæ Missæ*, adeoque non debent, sed potest cantari sola Missa diei, quæ tamen in casu celebrari debet prout officium exigit, sine commemoratione festi translati aut alterius sancti ad quem fit concursus; quia rubricæ missalis, prout nunc sunt, hanc commemorationem non admittunt (4).

4° *Duæ Missæ* scilicet in ecclesiis, in quibus est obligatio Missam cantandi quotidie; in aliis autem sola votiva de festo cantari potest (5). Missæ privatæ in diebus, quibus prohibentur votivæ privatæ, celebrandæ sunt conformes officio, et in iis nequit fieri commemoratio festi, de quo votiva cantatur, nisi in officio facta fuerit.

5° Missa votiva solemnis ratione tituli vel concursus cantatur cum *Gloria*, *Credo*, unica oratione (ut dictum est num. 45) atque cum evangelio s. Joannis in fine, etiamsi festum illa omnia non exigat, quia est votiva solemnis, quæ ita celebrari debet (6).

(1) S. R. C. 13 Jun. 1671, n. 1421, 2 et 4; 3 Sept. 1746, n. 2492, 1.
(2) S. R. C. 23 Sept. 1837, n. 2769, VIII, q. 4.
(3) 13 Jun. 1671, n. cit.
(4) S. R. C. 16 Ap. 1853, n. 3009, 2; Quarti p. 1, tit. 6, d. 2.
(5) S. R. C. 17 Aug. 1709, n. 2198, 1; 3 Sept. 1746, n. 2392, 1.
(6) S. R. C. 1 Ap. 1662, n. 1228; 13 Jun. 1671, n. 1421, 2 et 4; 3 Sept. 1746, n. 2392, 1; 29 Jan. 1752, n. 2417, 7.

Digitized by Google

Titulus VII.

—

DE COMMEMORATIONIBUS.

Rub. 1. *Commemorationes in Missis fiunt sicut in officio. De Festo duplici aut semiduplici, cujus facta est commemoratio per modum simplicis in Officio, etiam in missa fit commemoratio, non excepta missa solemni in festis duplicibus secundæ classis, sed excepta Dominica Palmarum ac Vigilia Pentecostes. De Festo simplici fit commemoratio in Missa, quando de eo in officio facta est commemoratio in primis Vesperis. Quando autem de eo fit commemoratio tantum ad Laudes, in Missa solemni non fit commemoratio de eo, sed in Missis tantum privatis. Excipitur pariter Dominica Palmarum, et Vigilia Pentecostes, in quibus nulla fit commemoratio etiam in Missis privatis de festo simplici occurrente, licet facta sit in officio. De Dominica fit commemoratio, quando in ea agitur de Festo Duplici. De Octava fit commemoratio, quando infra Octavam celebratur aliquod festum, nisi illud Festum fuerit de exceptuatis in Rubrica Breviarii de commemorationibus. Item quando infra Octavam fit de Dominica.*

2. *De feria fit commemoratio in Adventu, Quadragesima, Quatuor Temporibus, Rogationibus, et Vigiliis, quando Missa dicenda est de Festo illis temporibus occurrente. Sed in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis, ubi plures Sacerdotes quotidie celebrant, in Feriis, Rogationibus, et Vigiliis prædictis, quæ habent Missas proprias, dicuntur duæ Missæ, una de Festo, alia de Feria, Rogationibus et Vigilia, absque ulla utrorumque commemoratione; in Festis tamen majoribus primæ classis nihil fit de Vigilia occurrente, ut dictum est supra.*

3. *Quando infra hebdomadam dicuntur Missæ votivæ, post*

Digitized by Google

primam orationem semper dicatur Oratio ejus, de quo fit officium, ut supra explicatum est in propria Rubrica.

4. *Quando fit commemoratio de Feria Quatuor Temporum, pro Feriæ commemoratione dicitur prima Oratio, quæ concordat cum Officio.*

5. *In faciendis commemorationibus servetur Ordo, ut in Breviario. Primo loco illæ Commemorationes præponuntur quæ ad Officium cujuscumque ritus pertinent; exceptis illis, quæ ab Officio de quo agitur, nunquam separantur. Deinde :* 1. *de Dominica privilegiata,* 2. *de die Octava,* 3. *de Duplici majori,* 4. *de Duplici minori ad instar simplicium redacto,* 5. *de Dominica communi,* 6. *de die infra Octavam Corporis Christi,* 7. *de Semiduplici,* 8. *de die infra Octavam communem ad simplicem ritum pariter redacto,* 9. *de Feria majori, vel Vigilia,* 10. *de Simplici : de Festo simplici fiat Commemoratio ante Orationes quæ secundo, vel tertio loco dicendæ assignantur, et hæ dicantur ante Orationes votivas; in quibus votivis servetur deinde dignitas Orationum, ut de Sanctissima Trinitate, de Spiritu Sancto, de Sanctissimo Sacramento, de S. Cruce ante votivam de B. Maria, et de Angelis, de S. Joanne Baptista et S. Joseph ante Apostolos, et similiter in aliis.*

6. *Si facienda sit commemoratio pro defunctis, semper ponitur penultimo loco. In Missis autem defunctorum nulla fit commemoratio pro vivis, etiamsi Oratio esset communis pro vivis et defunctis.*

7. *Quando dicuntur plures Orationes, prima tantum, et ultima cum sua conclusione terminantur : et ante primam et secundam orationem tantum dicitur* Oremus : *ante primam dicitur etiam* Dominus vobiscum.

8. *Cum vero dicuntur plures Orationes, et una Oratio eadem sit cum alia ibidem dicenda, Oratio ejusmodi, illa scilicet, quæ eadem est, non aliæ, commutetur cum alia de communi vel proprio, quæ sit diversa. Idem servetur in Secretis, et Orationibus post Communionem.*

Digitized by Google

70. Commemorationes aliæ sunt speciales ratione officii currentis, de quibus hoc numero agitur; aliæ communes, quæ, dum ritus semiduplex vel simplex plures exigit orationes, deficientibus specialibus, secundo et tertio loco adduntur, de quibus agetur n. 76.

Annotatur : 1° dicitur : *de festo simplici fit commemoratio, quando de eo in officio facta est commemoratio in 1 vesp.* vel facta fuisset, nisi concurrisset cum duplici 1 cl. *Quando autem de eo fit commemoratio tantum ad laudes* in festis 2 cl., in Missa solemni, seu quocumque modo cantata, etiam sine diacono et subdiacono, etiamsi non sit Missa conventualis, non fit seu omitti debet commemoratio simplicis (1). In Missis tamen privatis seu lectis in festis 2 cl. commemoratio simplicis fieri debet, excepta Missa conventuali, in qua licet lecta omittenda est (2).

2° *De octava fit commemoratio, nisi festum fuerit* 1 vel 2 cl., exceptis octavis Nativitatis Domini, Epiphaniæ et ss. Corporis Christi, de quibus semper fit commemoratio, quocumque festo occurrente (3).

3° *De feria fit commemoratio* etc. scilicet de feriis adventus, quadragesimæ, quatuor temporum et secundæ rogationum semper fit commemoratio, etiam in festis 1 cl. Item de vigiliis in missa semper fit commemoratio etiam in adventu, quadragesima, et quatuor temporibus, licet de iis nihil fiat in officio, exceptis festis duplicibus 1 cl. in quibus, excepta vigilia Epiphaniæ, nihil fit de vigilia. De feria tertia et quarta rogationum vide tom. III, n. 76.

4° *In Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis... in feriis... dicuntur duæ Missæ... absque ulla utrorumque commemoratione.* In feria 4ª rogationum, si officium fiat de festo, cum tunc dicantur tres missæ, scilicet de festo, de vigilia et de rogationibus, omnes dicuntur sine aliorum commemoratione. Hic autem notandum est, commemorationem diei infra

(1) S. R. C. 7 Sept. 1816, n. 2572, 4.
(2) S. R. C. 27 Mart. 1779, n. 2514, 8.
(3) Rub. brev. tit. VII, n. 3 et tit. IX, n. 4 et 6.

Digitized by Google

octavam et simplicis, si occurrant, item vigiliæ aut feriæ fieri non in utraque missa, sed tantum in alterutra, cum qua majorem habent connexionem et affinitatem; scilicet in missa de festo fit commemoratio octavæ et simplicis, et in missa de feria commemoratio vigiliæ, sicut etiam in missa de vigilia in adventu commemoratio feriæ (1). Orationes secundo et tertio loco dicuntur de tempore. Idem servandum est, dum in choro præter missam conventualem cantatur votiva, ita ut in votiva non fiat commemoratio officii, de quo alia missa conventualis cantatur, et in missa conventuali non fiat commemoratio illius, de quo votiva celebratur (2). Hæc tamen omnia tantum intelligenda sunt de missis conventualibus; nam aliæ missæ dicuntur cum omnibus commemorationibus, quas officium exigit (3).

5° Ut dicitur n. 7, *quando dicuntur plures orationes, prima cum sua conclusione terminatur :* hinc liquet primam orationem generaliter concludendam esse, et proinde commemorationes speciales dominicæ, feriæ, octavæ, etc. dicendas esse sub altera conclusione. Aliquando tamen plures dicendæ sunt orationes sub prima conclusione, videlicet : 1° exposito ss. Sacramento, ejusdem commemoratio facienda est sub unica et prima conclusione in duplicibus primæ et secundæ classis ac similibus, nisi alia commemoratio facienda sit sub distincta conclusione, cui tunc adjungitur, ut dicetur n. 73 ad 4. 2° Si oratio imperata pro re gravissima, dicenda sit in duplicibus primæ classis, hæc facienda est sub unica conclusione, nisi alia commemoratio occurrat, ut dicetur n. 72 ad 4. 3° Diebus anniversariis creationis et coronationis Summi Pontificis, nec non electionis et consecrationis Episcopi in duplicibus secundæ classis adjungitur principali missæ orationi collecta *Deus, omnibus fidelium pastor,* modo alia commemoratio sub distincta conclusione facienda non sit, ut dicetur n. 74. 5° Si votiva solemnis celebranda foret in die

(1) Quarti p. 1, tit. 7, d. 2.
(2) S. R. C. 13 Jun. 1671, n. 1421, 2; 16 Feb. 1737, n. 2527, 3
(3) Dec. cit. 13 Jun. 1671.

Digitized by Google

prohibita, oratio missæ votivæ addenda est principali missæ orationi sub una conclusione, ut dictum est n. 29. Hoc obtinet non tantum in votiva solemni pro re gravi vel publica Ecclesiæ causa, sed etiam in votivis ratione orationis quadraginta horarum, ut dictum est n. 31. 5° In Missa ordinationis dicenda est oratio pro ordinandis sub una conclusione cum oratione Missæ. Idem servandum est in consecratione Episcopi, benedictione Abbatis, Regis, etc. ut in Pontificali præscribitur.

6° Dicitur n. 8 : *Cum dicuntur plures orationes, et una oratio eadem sit cum alia... commutetur* etc. Orationes censentur eædem, licet sit unius aut alterius vocis variatio, item quando utriusque postulatio iisdem verbis constat, licet in reliquis aliquid varium sit : si autem utriusque postulatio sit diversa, quamvis cætera eadem sint, uti in secunda pro martyre pontifice et in prima pro confessore non pontifice, aut licet eadem utriusque sit postulatio, si tamen reliqua totaliter differant, uti in orationibus *A cunctis* et *Ecclesiæ tuæ*, non eædem sed diversæ censendæ sunt (1). In casu si orationes sint de vario mysterio aut sancto, illa oratio varianda est, quæ pro commemoratione seu ordine posterior dicitur (2). Si in communi una tantum oratio habeatur, ut pro doctoribus, abbatibus, virginibus et non virginibus; adhiberi potest pro doctoribus et abbatibus alia de communi confessoris, et pro virginibus et non virginibus sive martyribus sive non martyribus *Indulgentiam* ex missa *Me expectaverunt* de communi virginis et martyris, item *Exaudi nos* ex missa *Vultum tuum* de communi virginis tantum, et similiter secreta et postcommunio; videlicet exprimendo vel tacendo *Virginem* vel *Martyrem* tantum, vel utrumque simul juxta officii qualitatem (3). Si casus accidat in dominica vel feria, sumitur oratio dominicæ vel feriæ sequentis. Item loco orationis *Deus refugium* inter votivas, dici potest oratio sequens *Ne despicias*. Mutatur illa tantum oratio, quæ

(1) S. R. C. 29 Mart. 1851, n. 2986, 2; Guyetus l. 3, c. 2, q. 7.
(2) S. R. C. 7 Sept. 1816, n. 2572, 17.
(3) S. R. C. 12 Sept. 1840, n. 2822, 1.

Digitized by Google

eadem est, non vero secreta et postcommunio, et vicissim. Si autem oratio eadem sit, aut licet non iisdem verbis concepta ad idem tamen mysterium aut eumdem sanctum principaliter dirigatur; tunc illa quæ tenet locum commemorationis aut ordine posterior dicitur, omitti debet, ne bis fiat de eodem (1). Casus occurrit, si imperata sit oratio de Spiritu Sancto, et eadem in missa secundo aut tertio loco dicenda sit; tunc imperata non est mutanda in illam ad postulandam gratiam Spiritus Sancti, sed omittenda (2), et suppletur per illam quæ secundo aut tertio loco recitatur.

Si orationes ad idem mysterium aut eumdem sanctum principaliter non dirigantur; tunc inter commemorationes speciales et orationes quæ secundo et tertio loco dicuntur, ordinarie etiam non admittitur oratio illius, de quo jam mentio facta est, ut patet ex rub. gen. tit. IX, n. 15; inter collectas autem seu orationes imperatas et votivas addi potest oratio ejus, de quo in præcedentibus facta est mentio, sive orationes immediate sequantur sive non, modo ad idem mysterium aut eumdem sanctum principaliter non dirigantur (3).

71. Quot, quæ, et quo ordine orationes dicuntur in missa?

R. 1° Commemorationes eædem, eodem numero, eodemque ordine in missa fiunt sicut in officio factæ sunt; exceptis simplicibus in festis 2 cl., dominica palmarum, et vigilia pentecostes, de quibus rubrica agit supra n. 1; item feria tertia et quarta rogationum, atque vigiliis in adventu, quadragesima et quatuor temporibus, de quibus in missa fit commemoratio, licet in officio non sit facta; nec non casu, quo dicuntur duæ missæ conventuales ut dictum est supra ann. 4.

2° Prius fit commemoratio de eo de quo, secluso impedimento, die illa celebraretur Missa.

3° Quot et quæ orationes dicantur in duplicibus, semiduplicibus et diebus inferioris ritus, dicetur n. 76. Orationes imperatæ semper recitantur post commemorationes speciales

(1) Vid. tom. II, n. 258 et 308.
(2) S. R. C. 5 Mart. 1870, n. 3213, dub. 1.
(3) Gavantus p. 4, tit. 17, n. 27; Guyetus l. 4, c. 21, q. 20.

Digitized by Google

et orationes communes secundo et tertio loco dicendas, sed ante illas, quas celebrans pro libitu adjungit. In orationibus votivis seu ad libitum dignior semper præcedit minus dignam. Hic ordo dignitatis supra in rubrica n. 5 assignatur. Pro aliis sanctis ordinem litaniarum, et pro orationibus votivis in fine missalis eumdem ordinem, quo in missali ponuntur, servare convenit.

DE ORATIONE IMPERATA, DE VENERABILI, ET DICENDA IN ANNIVERSARIO ELECTIONIS ET CONSECRATIONIS EPISCOPI.

Sub nomine orationis imperatæ comprehendi potest 1° oratio stricte dicta imperata, 2° oratio de venerabili dicenda exposito ss. Sacramento, et 3° oratio dicenda in diebus anniversariis electionis et consecrationis Episcopi, nec non creationis et coronationis Summi Pontificis, quia hæ omnes per decreta S. R. C. vel ex speciali causa a Summo Pontifice vel Episcopo præter generales rubricarum regulas imperantur.

72. Quis et ex qua causa potest orationem in missa dicendam imperare; ubi, quando et quo ordine est recitanda?

R. 1° Oratio imperari potest a solo Summo Pontifice et Episcopo loci, non autem a Prælatis regularibus sine licentia Episcopi, ut a subditis suis dicatur sive pro necessitatibus ordinis, sive pro necessitate communi (1). Multo minus in duplicibus, semiduplicibus et æquivalentibus oratio in missa addi potest pro libito aut devotione celebrantis, aut ad postulationem stipem offerentis, licet etiam pro re gravi : quia in missa nihil privata auctoritate addere licet (2).

Not. hymnum *Te Deum* aliasve preces publicas similiter a potestate sæculari imperari non posse (3).

2° Non tantum Summus Pontifex, sed etiam Episcopus

(1) S. R. C. 27 Mart. 1779, n. 2514, 6; Janssens p. 1, tit. 9, n. 112.

(2) S. R. C. 7 Sept. 1850, n. 2981, 3.

(3) Bened. XIV Constit. *quemadmodum preces* 23 Mart. 1743; Analecta juris Pont. 7 ser. fol. 1073.

Digitized by Google

eamdem imperare potest non solum pro re gravi, sed et pro re non gravi seu ex causa rationabili.

3° Si Episcopus eamdem imperet, dicenda est per modum præcepti et obligationis, non tantum in sæcularium, sed et in regularium ecclesiis etiam exemptis; ita quidem ut non liceat pro libito cessare ab eadem recitanda, antequam ordinarius id jusserit (1).

Sacerdos, celebrans in aliena diœcesi cum omnino se conformare debet ecclesiæ vel oratorio ubi celebret, in Missa recitari debet orationem præscriptam ab Episcopo loci ubi celebret (2), et negligere orationem imperatam ab ordinario suo.

4° Si oratio præcepta sit pro re gravissima et universali ac ita imperetur, uti pro Concilio Vaticano factum fuit 11 Aprilis 1869; dicitur etiam in duplici 1 et 2 cl.; in duplici 1 cl. sub unica conclusione, nisi aliæ commemorationes occurrant, et in duplici 2 cl. ac diebus inferioris ritus sub sua conclusione, vel cum reliquis commemorationibus, si sint faciendæ (3).

5° Si autem oratio sive a Summo Pontifice sive ab Episcopo loci imperetur dicenda in missis per aliquod tempus, uti fieri solet, omittenda est in omnibus missis in duplicibus 1 cl., dominica palmarum, vigiliis nativitatis Domini et pentecostes, feria quinta in cœna Domini et sabbato sancto, atque in votivis solemnibus, quia celebrantur sub ritu 1 cl. nec non in missis de *Requiem* juxta rub. gen. tit. VII, n. 6, nisi oratio imperata sit pro defuncto, ut infra dicetur; in duplicibus vero 2 cl. pro arbitrio celebrantis legi vel omitti potest in missis privatis, sed in solemnibus seu cantatis (ut dictum est n. 70, annot. 1, de comm. simplicis) et conventualibus licet lectis, etiam omittenda est (4). Aliis autem omnibus

(1) S. R. C. dec. gen. 31 Mart. 1821, n. 2613, 1 et 2; 16 Feb. 1856, n. 3036, 3.

(2) S. R. C. 5 mart. 1898, n. 3985.

(3) S. R. C. 3 Jul. 1869, n. 3211, VIII; 7 Aug. 1875, n. 3365. III; Acta apud s. Sedem tom. 4. fol. 669; Brassine de m. vot. c. 7, n. I.

(4) S. R. C. 3 Mart. 1761, n. 2461, 2; 15 Maji 1819, n. 2597, 2; 20 Ap. 1822, n. 2618, 2; 16 Ap. 1853, n. 3009, 3; Gardell. instr. Clem. § XVII, n. 24.

Digitized by Google

diebus dici debet, etiam in dominicis adventus et quadragesimæ, excepta dominica palmarum et quarta adventus in occursu vigiliæ nativitatis Domini (1).

Oratio imperata etiam omitti debet, si eadem sit cum alia prius dicenda (2) et de eodem objecto; si autem sit de diverso objecto, in aliam commutanda est, ut dictum est n. 70, annot. 5. Notandum autem, si imperata sit oratio *Ecclesiæ* vel pro Papa eo tempore, quo hæ orationes in missis dicuntur, semper dicendam esse utramque.

6° Hæc oratio imperata quotidie dicenda, semper recitanda est sub altera conclusione, et post omnes commemorationes speciales et etiam communes, quæ secundo et tertio loco addendæ præscribuntur, sed ante orationes votivas, quas celebrans in missis votivis et diebus simplicibus ac ferialibus adjungit. Si plures orationes imperentur, dicendæ sunt non ordine temporis, quo præscribuntur, sed ordine dignitatis, vel eo ordine quo in fine missalis ponuntur. Propter orationem imperatam nulla alia, neque tertia ad libitum omitti potest (3).

7° Si oratio imperetur pro defuncto vel pro defuncta, hæc in missis non de *Requiem* penultimo loco recitanda est omnibus diebus, quibus permittuntur missæ privatæ de *Requiem*, sive dicantur de officio currenti sive votivæ. Præterea dicenda etiam videtur in feria quarta cinerum, feriis 2, 3, et 4 hebdomadæ sanctæ, dominicis aliisque, in quibus duæ vel tres dicuntur orationes. Non tamen permissa videtur in duplicibus et votivis solemnibus, neque in vigiliis nativitatis Domini et pentecostes, dominica palmarum et triduo sacro propter rub. gen. tit. VII, n. 6, juxta quas oratio pro defunctis semper penultimo loco est ponenda : quod in duplicibus præfatisque diebus, in quibus aliqua commemoratio non occurrit, servari nequit, adeoque est omittenda; eo magis, quia ordinarii eam non præscribunt nisi salvis

(1) Dec. cit. 20 Ap. 1822.
(2) S. R. C. 5 Mart. 1870, n. 3213, 1.
(3) S. R. C. 17 Aug. 1709, n. 2198, 2.

Digitized by Google

rubricis, vel eam saltem aliter præscribere non valent. Alia decreta hic applicari non debent, quia agunt de oratione imperata pro aliis necessitatibus. Quoad missas de *Requiem*, in his imperata pro defuncto etiam recitanda est, si plures dicantur orationes : ex quibus tamen nulla propter orationem imperatam omitti potest; ita ut eo casu quatuor saltem dicantur orationes, et oratio imperata ponatur tertio loco ante orationem *Fidelium* (1), et etiam ante alias, quas celebrans forte pro libitu addit. In missis autem de *Requiem* in quibus juxta rub. gen. tit. V, n. 3, una tantum dicitur oratio, imperata omittenda est, tum ob has rubricas, quæ differunt ab aliis tit. IX, n. 1, in quibus additur : *nisi facienda sit aliqua commemoratio;* tum ex eo, quod, dum plures dicuntur orationes in missa de *Requiem*, ultimo loco semper dicenda sit illa *Fidelium*, quam tamen rubricæ citatæ tit. V, n. 3 excludunt (2).

Not. Episcopum non quidem posse imperare, ut aliæ preces in decursu missæ addantur (3), sed post missam finitam (4) aut in laudibus vespertinis, prout usus docet. Quibus diebus hæ preces dicendæ vel omittendæ sint, ex modo mandati, quo præscribuntur, determinandum est. Cum enim sint extra missam et officium, regulas pro his statutas imitari non debent. Si præscribantur pro diebus dominicis et festivis sine exceptione, dicendæ sunt omnibus festis etiam 1 cl. (5). Non tamen convenienter recitantur post missam de *Requiem*, quamdiu celebrans paramentis nigris adhuc est indutus, saltem si sequatur absolutio; quia hæc juxta rubricas immediate post missam est facienda, et sicut juxta rubricas generales tit. VII, n. 6, in missis defunctorum nulla fit commemoratio pro vivis, sic etiam preces pro vivis inter officium

(1) S. R. C. 12 Dec. 1879, in *Valentinen*, dub. II, Acta S. Sedis 1879, vol. XII, fol. 642.

(2) *Revue des sciences ecclésiastiques*, 1878, Juillet, fol. 74-86.

(3) S. R. C. 11 Jun. 1605, n. 182.

(4) S. R. C. 31 Aug. 1867, n. 3157, 8.

(5) S. R. C. 22 Aug. 1722, n. 2274, 10; Conferentiæ eccles. Diœc. Mechl. 1872 ex liturg. VI.

Digitized by Google

defunctorum recitare, convenire non videtur. Preces pro rege in archidiœcesi Mechliniensi omittuntur in dominicis in quibus occurrit dup. 1 aut 2 cl. (1). Juxta decretum S. R. C. 27 Februarii 1882, nº 3537, ad I, licitum est sacerdoti celebranti ante vel post expletum Missæ sacrificium publice recitare preces in lingua vernacula.

Preces, jussu Papæ Leonis XIII in omnibus tum Urbis tum catholici Orbis ecclesiis post privatæ Missæ celebrationem flexis genibus recitandæ, non omitti possunt post Missam lectam de *Requiem*, ut clare patet ex decreto 14 Decembris 1883, in quo Sanctitas sua mandat ut dictæ preces in fine *cujusque* Missæ sine cantu celebratæ flexis genibus recitentur.

73. Quando et quomodo oratio de ss. Sacramento exposito in missa fieri potest et debet?

R. Fieri potest et debet in omni missa solemni seu cantata sive cum, sive sine sacris ministris (2), celebrata in altari, in quo ss. Sacramentum exponitur. De missa solemni celebrata in alio altari idem dicendum est ac de missa privata ut in sequentibus.

2º In missis privatis, celebratis sive ad altare expositionis, sive ad alia, durante expositione, fieri potest, quando ss. Sacramentum publice seu detectum exponitur sive in ostensorio sive in pyxide, si dies permittat, ut mox dicetur; numquam autem fieri debet, nisi ss. Sacramentum sit expositum pro oratione 40 horarum, et instructio Clem. data pro hac oratione, sit recepta atque præscripta : in quocumque tamen casu omitti debet in duplicibus 1 et 2 cl., in dominica palmarum, atque in vigiliis nativitatis Domini et pentecostes, sive ss. Sacramentum exponatur pro oratione 40 horarum, sive ob aliam causam (3). Si vero ss. Sacramentum exponatur velatum seu ob causam privatam v. g. ob infirmitatem personæ privatæ, ejus commemoratio, etiam in altari expositionis, semper est omittenda (4).

(1) Declaratio 1 Aug. 1836. Collectio epist. Past. tom. 2, fol. 170.

(2) S. R. C. 3 Mart. 1761, n. 2461, 3; 22 Mart. 1862, n. 3112, 3.

(3) S. R. C. 2 Dec. 1684, n. 1743, 4; 7 Maji 1746, n. 2590, 7; Gardellini instr. Clem. § 17, n. 21, 24 et 33.

(4) S. R. C. 7 Maji 1746, n. cit. ad 3; Gardellini n. cit. 33.

Digitized by Google

3° Hæc commemoratio ss. Sacramenti fieri potest etiam in festis Domini Nostri, dummodo missa non versetur in eodem mysterio (1). Ideo in festo Pretiosissimi Sanguinis commemoratio ss. Sacramenti, in qua expressa Sanguinis D. N. fit mentio, est omittenda, item in festis Passionis, crucis, ss. Cordis Jesu (2).

4° Hæc commemoratio ss. Sacramenti semper facienda est post omnes commemorationes speciales et etiam communes, quæ secundo et tertio loco dicendæ præscribuntur; sed ante orationes imperatas, etiam de Spiritu Sancto, et ante votivas, licet digniores, quas celebrans pro libito in votivis, et diebus simplicibus ac ferialibus adjungit (3). Idcirco autem nulla alia oratio, nec tertia ad libitum omitti potest (4).

5° Semper fieri debet sub altera conclusione, exceptis duplicibus 1 et 2 cl., in quibus fit sub unica conclusione, nisi alia commemoratio sub distincta conclusione sit facienda, cui in hoc casu adjungitur (5). Item sub unica conclusione videtur esse dicenda in dominica palmarum, vigiliis nativitatis et pentecostes, atque in votivis solemnibus.

Not. commemorationem ss. Sacramenti pariter esse faciendam in missa, in qua consecratur Hostia mox publice in ostensorio exponenda (6).

74. Diebus anniversariis tam electionis seu confirmationis quam consecrationis Episcopi, accedente ejus mandato, pro eodem ab omnibus sacerdotibus sæcularibus et regularibus in universa diœcesi (7), ac diebus tam creationis quam coronationis Summi Pontificis pro eodem in universali Ecclesia in missis non de *Requiem* addi debet collecta *Deus omnium*

(1) S. R. C. 7 Julii 1877, n. 3426, 1.

(2) S. R. C. 18 Julii 1884, n. 3613, 1; 3 Julii 1896, n. 3924, 4.

(3) S. R. C. 22 Ap. 1871, n. 3245; 18 Mart. 1874, n. 3328, 2; 18 Sept. 1877, n. 3436, III.

(4) S. R. C. 23 Jun. 1736, n. 2323, 1; 16 Feb. 1737, n. 2327, 1; Gardellini instr. Clem. § 17, n. 26 et 28.

(5) S. R. C. 23 Jun. 1736 et 16 Feb. 1737, n. cit.

(6) S. R. C. 15 Maji 1819, n. 2598, 2.

(7) Decreta supra n. 30 citata.

Digitized by Google

fidelium Pastor (1). Hæc oratio pro Summo Pontifice et Episcopo in duplicibus 2 cl. in missis privatis et solemnibus adjungitur orationi principali missæ sub unica conclusione, nisi alia commemoratio sub distincta conclusione sit facienda, cui in casu adjungitur; sed in diebus inferioris ritus semper dicitur sub altera conclusione, et post orationes de præcepto, sed ante orationes votivas : in Dominica autem palmarum, triduo sacro majoris hebdomadæ, atque vigiliis nativitatis et pentecostes quæ unicam tantum orationem admittunt, et in omnibus duplicibus 1 cl. est omittenda (2). Vid. n. 30.

Si Episcopus fuerit translatus facienda est ejus commemoratio in ecclesia, cui fuit ultimo loco præpositus, recurrente die, quo Papa eum tali ecclesiæ præfecit; ac præterea in anniversario consecrationis ejusdem (3).

Occurrentibus eodem die anniversariis Summi Pontificis et Episcopi, in hoc casu de anniversario Episcopi agendum est sequenti die (4).

Oratio autem si imperata sit pro Papa, hæc in anniversario electionis et consecrationis Episcopi omittenda est (5).

Si orationes ss. Sacramenti, pro anniversario creationis et coronationis Summi Pontificis, pro anniversario electionis et consecrationis Episcopi et imperata in missa simul dicendæ occurrant, dicuntur hoc ordine : 1° oratio ss. Sacramenti, etiam ante imperatas digniores, 2° pro anniversario Papæ et Episcopi, 3° imperata. Hoc fit non ratione dignitatis, quæ inter orationes ejusdem ordinis tantum attenditur, sed quia prius fieri debet de eo, cujus oratio in diebus magis privilegiatis admittitur. Sicut igitur illa ss. Sacramenti in missa saltem cantata numquam omittitur, sic etiam primum post præscriptas a rubrica locum occupare debet (6). Præterea illæ

(1) S. R. C. 12 Mart. 1836, n. 2740, 10; 22 Maji 1841, n. 2837 in fine; 14 Aug. 1858, n. 3078, 7.
(2) Decreta supra et n. 30 citata.
(3) S. R. C. 14 Aug. 1858, n. 3078, 6.
(4) S. R. C. 20 Dec. 1864, n. 3132, a.
(5) S. R. C. 5 Mart. 1870, n. 3213, 1.
(6) Gardellini instr. Clem. § 17, n. 26 et 28. Vid. dissertatio tertia in fine edit. quintæ tom. 3, n. 309.

Digitized by Google

ss. Sacramenti et pro anniversario Papæ et Episcopi per rubricas et decreta S. R. C. præscribuntur, et imperata ab Episcopo tantum imponitur.

Si in præfatis casibus eædem simul orationes occurrant dicendæ, omittenda est illa quæ ordine posterior dicenda foret. Unde si oratio *Deus omnium fidelium pastor* pro Papa vel Episcopo imperata sit, et anniversarium Papæ vel Episcopi simul occurrat, eo casu imperata prætermittitur, quia eadem est, et alia non datur in quam mutari potest (1).

Titulus VIII.

DE INTROITU, KYRIE ELEISON ET GLORIA IN EXCELSIS.

Rub. 1. *Introitus semper eodem modo dicitur cum* Gloria Patri, *ut in Ordinario, præterquam tempore Passionis, et in Missis defunctorum, ut etiam ibi annotatum est.*

2. Kyrie eleison *dicitur novies post Introitum, alternatim cum ministro, id est, ter* Kyrie eleison, *ter* Christe eleison, *ter* Kyrie eleison.

3. Gloria in excelsis *dicitur, quandocumque in Matutino dictus est hymnus* Te Deum, *præterquam in Missa Feriæ quintæ in Cœna Domini, et Sabbati Sancti, in quibus* Gloria in excelsis *dicitur, quamvis in officio non sit dictum* Te Deum.

4. *In Missis votivis non dicitur, etiam tempore Paschali, vel infra Octavas, nisi in Missa B. Mariæ in Sabbato, et Angelorum : et nisi Missa votiva solemniter dicenda sit pro re gravi, vel pro publica Ecclesiæ causa, dummodo non dicatur Missa cum paramentis violaceis. Neque dicitur in Missis Defunctorum.*

(1) S. R. C. 22 Jan. 1876, Nuscana IX. Acta S. Sedis vol. 9, fol. 219.

Digitized by Google

75. Annotatur : 1° ps. *Judica* dicitur in omni missa, exceptis missis de dominicis et feriis tempore passionis usque ad cœnam Domini inclusive, et omnibus de *Requiem*, quia hic est psalmus lætitiæ, qui istis missis non convenit.

2° Introitus semper dicitur, excepta sola missa sabbati sancti, et illa vigiliæ pentecostes, cui præmittuntur prophetiæ. Dicitur semper eodem modo, ut in ordinario missalis ponitur, præterquam quod in missis de dominicis et feriis tempore passionis, ac in missis defunctorum omittatur *Gloria Patri*. Item toto tempore paschali in omnibus missis, quæ non sunt de *Requiem*, adduntur duo *Alleluja* ante versum, quæ si non habeantur, a celebrante addenda sunt.

Not. psalmum *Judica* et *Gloria Patri* ad introitum tantum omitti in missis de tempore passionis, non autem in festivis et votivis, licet etiam de passione Domini, quæ illo tempore celebrantur.

3° Ecclesia in Liturgia voces græcas *Kyrie eleison*, sicut et hebraicas *amen, alleluja, hosanna, sabaoth* retinuit 1° in honorem tituli Crucis; 2° ad ostendendam unam esse Ecclesiam, quæ ex Hebræis primum et Græcis, deinde ex Latinis quoque coadunata est; 3° quia accentum continent, qui versioni latinæ tribui nequit : quapropter præfatæ voces hebraicæ in versione vulgata s. Scripturæ leguntur, et transferri non debent propter sanctiorem auctoritatem (1).

Titulus IX.

DE ORATIONIBUS.

Rub. 1. *In Festis Duplicibus dicitur una tantum oratio, nisi facienda sit aliqua commemoratio, ut dictum est supra.*

2. *In Festis Semiduplicibus occurrentibus ab Octava*

(1) Durantus de rit. eccl. lib. 2, c. 20, n. 2.

Digitized by Google

Pentecostes usque ad Adventum, et a Purificatione usque ad Quadragesimam dicitur secunda Oratio A cunctis, *tertia ad libitum* (a).

3. *In Festis Semiduplicibus occurrentibus ab Octava Epiphaniæ usque ad Purificationem, dicitur secunda Oratio,* Deus qui salutis, *tertia* Ecclesiæ, *vel pro Papa,* Deus omnium fidelium (a).

4. *In Festis Semiduplicibus a Feria IV Cinerum usque ad Dominicam Passionis, secunda Oratio de Feria, tertia* A cunctis (b).

5. *In Semiduplicibus a Dominica Passionis usque ad Dominicam Palmarum, secunda Oratio de Feria, tertia* Ecclesiæ *vel pro Papa* (c).

6. *In Festis Semiduplicibus ab Octava Paschæ usque ad Ascensionem, secunda Oratio de Sancta Maria* Concede nos, *tertia* Ecclesiæ *vel pro Papa.*

7. *In Festis Semiduplicibus infra Octavas occurrentibus, secunda Oratio dicitur de Octava, tertia, quæ secundo loco infra Octavam ponitur.*

8. *Infra Octavas Paschæ et Pentecostes in Missa de Octava dicuntur duæ tantum Orationes, una de die, alia* Ecclesiæ *vel pro Papa* (d).

9. *Infra alias Octavas, et in Vigiliis, quæ jejunantur (excepta Vigilia Nativitatis Domini et Pentecostes), dicuntur tres Orationes, una de die, secunda de s. Maria, tertia* Ecclesiæ *vel pro Papa. Sed infra Octavas s. Mariæ, et in Vigilia, et infra Octavam Omnium Sanctorum, secunda Oratio dicitur de Spiritu sancto,* Deus, qui corda, *tertia* Ecclesiæ *vel pro Papa* (e).

10. *In Dominicis infra Octavas occurrentibus dicuntur duæ Orationes, una de Dominica, secunda de Octava : et in die Octava dicitur una tantum Oratio, nisi facienda sit aliqua commemoratio.*

11. *In Dominicis dicuntur tres, ut in Ordinario assignantur, quibusdam exceptis, ut suis etiam locis notatur.*

12. *In Festis simplicibus et Feriis per annum, nisi aliter in propriis locis notetur, dicuntur tres, ut in Semiduplicibus, aut quinque : possunt etiam dici septem ad libitum.*

Digitized by Google

13. *In Feriis Quatuor Temporum, et ubi plures leguntur Lectiones, hujusmodi plures Orationes dicuntur post ultimam Orationem ante Epistolam, ut suis locis in proprio Missarum de Tempore.*

14. *In Missis Votivis, quando solemniter dicuntur pro re gravi, vel pro publica Ecclesiæ causa, dicitur una tantum Oratio; sed in Missa pro gratiarum actione additur alia Oratio, ut in proprio loco notatur. In aliis autem dicuntur plures, ut in Festis Simplicibus.*

15. *In votivis B. Mariæ, secunda Oratio dicitur de Officio illius diei, et tertia de Spiritu sancto : sed in Sabbato, quando de ea factum est Officium, secunda Oratio erit de Spiritu sancto, tertia* Ecclesiæ *vel pro Papa. In votivis de Apostolis, quando ponitur Oratio* A cunctis, *ejus loco dicitur Oratio de sancta Maria* Concede nos famulos.

16. *Si cum plures dicuntur Orationes, occurrat fieri commemorationem alicujus Sancti, ea ponitur secundo loco et tertia Oratio dicitur, quæ alias secundo loco dicenda erat.*

17. *In conclusione Orationum hic modus servatur. Si Oratio dirigatur ad Patrem, concluditur :* Per Dominum nostrum etc. *Si ad Filium :* Qui vivis et regnas cum Deo Patre etc. *Si in principio Orationis fiat mentio Filii, concluditur :* Per eumdem Dominum nostrum etc. *Si in fine Orationis, ejus fiat mentio :* Qui tecum vivit etc. *Si facta sit mentio Spiritus sancti, in conclusione dicitur :* In unitate ejusdem Spiritus Sancti etc. *Alia quoque in dicendis Orationibus serventur, quæ superius in Rubrica de Commemorationibus dicta sunt.*

---

76. Annotatur 1° In semiduplicibus, dominicis, diebus infra octavam, aliisque, quæ ritu semiduplici coluntur, tres dici debent orationes, sed plures dici non possunt, nisi plures faciendæ sint commemorationes (1). Similiter in dominica

(1) Gavantus p. 1, tit. 9, n. 12; Merati ibid. n. 11; Quarti p. 1, tit. 9, n. 12.

Digitized by Google

passionis, infra octavas Paschæ et Pentecostes, et in dominicis infra octavas tantum duæ dici possunt, nisi plures commemorationes occurrant. In dominica palmarum, vigiliis nativitatis et pentecostes tantum una dicitur. In dominicis anticipatis plures ut in feriis dici possunt.

2° *a*. Circa num. 2 et 3 rub. notandum, quod casu, quo Purificatio B. M. V. transferatur in feriam secundam ob occurrentem dominicam 2 cl., in missa hujus dominicæ orationes dicantur ut ante purificationem (1); quia sicut mutatio antiphonæ B. M. V. tantum fit in fine completorii 2 Februarii, sic mutatio orationum tantum incipitur in 3 Februarii, sive festum purificationis transferatur sive non.

3° *b*. Ad num. 4. Eodem tempore in dominicis, feriis, et missa conventuali festorum semiduplicium, altera cantata de feria, 2ª oratio *A cunctis*, 3ª pro vivis et defunctis.

4° *c*. Ad num. 5. In dominica passionis, feriis, et missa conventuali festorum semiduplicium, altera cantata de feria, secunda oratio *Ecclesiæ* vel pro Papa, et tertia dici non decet. Occurrente autem commemoratione simplicis, oratio *Ecclesiæ* vel pro Papa omittenda est (2).

5° In festis semiduplicibus in adventu 2ª oratio dicitur de feria et 3ª de B. M. V. Et in dominicis, feriis, ac missa conventuali festorum semiduplicium in feriis quatuor temporum et vigiliis occurrentium, 2ª de B. M. V., 3ª *Ecclesiæ* vel pro Papa.

6° *d*. Ad num. 8. Infra octavas Paschæ et Pentecostes, occurrente commemoratione simplicis, non est dicenda tertia, sed oratio *Ecclesiæ* vel pro Papa omitti debet (3).

7° *e*. Ad num. 9. Dicitur *in vigiliis, quæ jejunantur*, id est, quæ de jure communi jejunari deberent (4).

In vigilia assumptionis B. M. V. occurrente duplice vel semiduplice in missa conventuali de vigilia dicitur secunda

(1) Rub. missalis in dom. septuag.
(2) S. R. C. 15 Sept. 1736, n. 2325.
(3) Dec. cit. 15 Sept. 1736.
(4) Vid. tom. II, n. 239.

Digitized by Google

oratio de Spiritu sancto et tertia *Ecclesiæ* vel pro Papa. Similiter in vigilia conceptionis ejusdem B. M. V. secunda oratio de feria et tertia de Spiritu sancto (1).

Not. 1° Orationem de B. M. V. assignatam in rubricis hujus tituli, intelligi secundum varietatem temporis, in quo missa celebratur. 2° Orationes *Ecclesiæ* vel pro Papa, licet vi rubricæ una alterave eligi possit pro libito, optime tamen alternatim dici, nisi sedes pontificia vacet, quo casu sola oratio *Ecclesiæ* usui esse potest.

77. Quot et quæ orationes dicuntur in festis simplicibus, feriis et vigiliis?

R. Tres dici debent, exceptis vigiliis nativitatis Domini et Pentecostes, in quibus una; et missa feriali tempore passionis, in qua duæ dicuntur. In festis simplicibus et feriis dicuntur eædem ac in dominicis et festis semiduplicibus ejusdem temporis; et in vigiliis, prout supra in rub. n. 9 assignantur. In vigiliis nativitatis Domini et Pentecostes tantum una dici potest; in vigilia epiphaniæ et feria 6ª post octavam ascensionis, quæ ritu semiduplici coluntur, non plures quam tres, ut supra dictum est in annot. 1ª; et in missa feriali tempore passionis non plures quam duæ, nisi oratio de Venerabili aut imperata addenda sit, quia decreta, cum statuant in occursu simplicis omittendam esse tertiam orationem, excludunt celebrantis libitum plures addendi. In festis autem simplicibus, aliisque feriis et vigiliis dici possunt quinque aut septem ad libitum celebrantis, qui ultra tres de præcepto duas aut quatuor addere potest, etiam in missa conventuali, quia rubricæ n. 12 generaliter loquuntur.

78. Quæ orationes in missa dicendæ sunt, dum plura officia occurrunt, quæ diversas exigunt orationes?

Casus habentur in occursu 1° festi semiduplicis et octavæ, 2° octavæ B. M. V. et patroni, 3° festi semiduplicis et vigiliæ, 4° feriæ majoris et octavæ.

R. 1° In missa festi semiduplicis infra octavam 3ª oratio dicitur prout infra octavam juxta rub. supra n. 7.

(1) Halden ad 14 Augusti.

Digitized by Google

2° In occursu duarum octavarum, orationes dicuntur de octava digniori. Ita in missa de octava patroni principalis infra octavam nativitatis B. M. V. 2ª oratio de octava B. M. V. et 3ª *Ecclesiæ* vel pro Papa.

3° Occurrente festo semiduplici cum vigilia, in missa festi orationes dicuntur de tempore, etiamsi fiat commemoratio vigiliæ (1). In missa tamen conventuali de vigilia, orationes dicuntur de vigilia ut supra in rub. n. 9.

4° Si feria major, quæ propriam habet missam, infra octavam occurrat; in missa de feria cum commemoratione octavæ, tertia oratio dicitur non de tempore, sed quæ secundo loco infra octavam assignatur (2).

79. Quæ orationes in missa dicuntur, dum duæ missæ conventuales juxta tit. III rub. gen. celebrantur?

R. In missa festi semiduplicis orationes dicuntur, quæ de tempore aut infra octavam, si occurrat, assignantur; in missa autem feriæ semper dicendæ sunt de tempore etiam infra octavam occurrentem, cujus nulla his habenda est ratio (3); et in missa vigiliæ dicendæ sunt, quæ pro missa vigiliæ in rub. n. 9 assignantur. Hæ missæ dicuntur absque ulla utrorumque commemoratione, ut dictum est n. 70, annot. 4.

80. Quomodo orationes sunt ordinandæ in semiduplicibus aliisque diebus, in quibus plures dicuntur, si una vel plures commemorationes speciales occurrant?

R. Omnes commemorationes speciales in missa faciendæ sunt : sed si una commemoratio specialis occurrat, oratio communis, quæ secundo loco dicenda erat, jam tertio loco dici debet, ut commemoratio specialis secundo loco ponatur; communis autem quæ tertio loco dicenda erat, omitti debet, si missa tantum tres orationes admittat, ut dictum est supra; et licet plures quam tres orationes admittat, semper tamen omitti potest, ut dicetur quæst. seq. Si duæ vel plures com-

(1) S. R. C. 15 Sept. 1736, n. 2326, 5.

(2) Rub. missalis infra octavam conceptionis B. M. V. et dec. 25 Jun. 1736, n. 2319, 26.

(3) Rub. missalis in die octava concept. B. M. V. et dec. cit. 25 Jun. 1736.

Digitized by Google

memorationes speciales occurrant, utraque oratio communis similiter omitti debet aut potest.

An, si una vel plures commemorationes speciales occurrant, et celebrans plures quam tres orationes in simplicibus, feriis et missis votivis recitare velit, tunc post commemorationes speciales ante alias recitandæ sunt orationes communes, quæ pro secundo et tertio loco assignatæ sunt?

R. Gavantus (1) censet orationes communes ante alias votivas dicendas esse : et certo illæ orationes, utpote ab Ecclesia illo tempore et pro hac missa assignatæ, optime conveniunt. Guyetus tamen (2) tenet, completo ternario numero per commemorationes speciales, nullam præterea aliam a rubricis assignari; adeoque liberum esse sacerdoti, quas voluerit addere, relictis illis, quæ alioquin secundo et tertio loco dici debuissent : quia sicut penitus omitti possunt, sic et possunt aliæ pro libito assumi.

81. An numerus orationum in simplicibus, feriis, votivis et de *Requiem* semper debet esse impar?

R. In simplicibus, feriis et votivis necessario impar esse non debet, si commemorationes speciales aut imperatæ exigant numerum æqualem; sed celebrans potest, non tamen tenetur superaddere aliquam, ut numerus impar fiat (3). Item, in missis quotidianis pro defunctis servandus est numerus orationum impar (4) : et similiter in simplicibus, feriis et votivis, si præter orationes præceptas, aliæ ad libitum superaddantur, curandum est, ut sint numero impares, quod patet ex rub. hoc. IX, n. 12, ubi numerus impar præscribitur.

82. Quare una, tres, quinque aut septem orationes præscribuntur?

R. Per numerum imparem , qui in æquas partes secari non potest, exprimitur unitas et conjunctio, quam Ecclesia

(1) P. 1, tit. 9, n. 12.
(2) Lib. 4, c. 21, q. 24.
(3) S. R. C. 12 Dec. 1579, *Valentinen,* II.
(4) S. R. C. 30 Junii 1896, n. 3920, 3.

Digitized by Google

vehementer desiderat (1). Una autem dicitur 1° ob sacramentum unitatis, 2° ob singulare mysterium aut sanctorum meritum, 3° ut fideles ad plura non distracti, majori attentione et devotione afficiantur erga mysterium aut sanctum, cujus festum agitur (2). Tres dicuntur in honorem ss. Trinitatis, in memoriam Christi, qui ter oravit in horto et tertia die resurrexit, ad imitationem Angelorum, qui Deum laudantes, ter repetunt *Sanctus*. Quinque dicuntur in venerationem quinque Christi vulnerum; et septem ob septiformem gratiam Spiritus Sancti, septem petitiones orationis Dominicæ, etc. (3). Ecclesia igitur illum numerum toties in sacra Scriptura consecratum sine ulla superstitionis suspicione rite assumpsit. Qua ratione orationes communes hoc vel illo tempore dicentur, vid. apud Quarti (4).

DE ORATIONIBUS AD LIBITUM ET A CUNCTIS, AC NOMINIBUS ET COGNOMINIBUS SANCTORUM.

83. Oratio ad libitum duplex est : 1° quæ tertio loco in missa dicenda præscribitur ab octava Pentecostes usque ad adventum, et a Purificatione usque ad quadragesimam : et dicitur ad libitum, non quia pro libito omitti potest, nam de præcepto tertio loco dicenda est; sed quatenus pro devotione sacerdotis una aut altera ex missali eligi potest. 2° Oratio seu orationes ad libitum sunt, quæ in simplicibus, feriis, missis votivis et de *Requiem* ultra tres de præcepto pro libito celebrantis addi vel omitti possunt.

Notanda sunt circa utramque simul, 1° quod semper e missali eligenda sit, nisi oratio a sancta Sede approbata, in missali nondum apposita sit; 2° quod eligi valeat non tantum ex orationibus, quæ in fine missalis ad libitum assignantur,

(1) Bened. XIV, de sac. missæ sect. 1, n. 110.
(2) Vid. Quarti p. 1, tit. 1, expl. lit. et myst.
(3) Micrologus cap. 4.
(4) P. 1, tit. 9, n. 2-9.

Digitized by Google

sed dici possit de omni necessitate, sancto aut mysterio, de quo licet legere missam votivam, non autem de eo, de quo votiva non permittitur, ut de dominicis, feriis, beatis, etc. (1); 3° quod dici nequeat de eodem mysterio aut sancto, cujus oratio jam est recitata, ut dictum est n. 70, annot. 5; 4° quod voces *annua, hodie* omitti, et *natalitia, festivitas, solemnitas* in *commemoratio* seu *memoria* mutari debeant; 5° quod valde conveniat oratio pro ipso sacerdote, non tamen in missa conventuali et principali aut coram prælato aut principe præ reverentia ipsis debita; quo casu magis decet oratio illis propria vel saltem communis habita ratione temporum et necessitatum.

2° Notanda insuper sunt circa orationem ad libitum tertio loco dicendam, 1° quod de præcepto semper dici et numquam omitti debeat, nisi commemoratio specialis occurrat; 2° quod pro illa substitui nequeat oratio imperata, aut de venerabili exposito ss. Sacramento, neque pro defunctis, nisi forte in hoc ultimo casu quarta oratio, v. g. imperata, addatur, ita ut illa pro defunctis penultimo loco ponatur.

3° Notanda etiam sunt circa orationes ad libitum, quæ in feriis, simplicibus, votivis et de *Requiem* ultra tres de præcepto adduntur, 1° quod ultimo loco post orationes de præcepto dicendæ sint; 2° quod curandum sit, ut numerus sit impar; 3° quod vitanda sit nimia prolixitas, quæ adstantibus tædium parit, quocirca numerum septenarium non excedant, ut Rubricæ hoc tit. IX, n. 12, indicare videntur; 4° quod in iis dignitas et ordo missalis servari debeant, ut dictum est n. 71.

84. Quænam notanda sunt circa orationem *A cunctis?*

R. 1° Ad litteram *N* exprimendum est nomen sancti titularis ecclesiæ, in qua celebratur; non autem patroni loci, qui simul non est titularis ecclesiæ, nisi in casu quarto infra afferendo, neque ecclesiæ celebrantis, neque patroni ordinis (2). Adeoque convenit, ut in omnibus sacristiis tabula

(1) S. R. C. 2 Sept. 1741, n. 2365, 2.
(2) S. R. C. 22 Jan. 1678, n. 1609, 8.

Digitized by Google

appendatur, in qua magno charactere nomen titularis sit inscriptum.

2° Si fuerint plures alicujus ecclesiæ titularis æque principales, omnes nominandi sunt, secus solus principalior.

3° Quod si de s. titulari celebrata sit missa, vel sit ex illis, qui in dicta oratione exprimuntur, omittenda est ejus nova nominatio; et vel nullus ad litteram *N* est exprimendus, vel loco orationis *A cunctis* legenda est oratio *ad poscenda suffragia,* quæ est prima inter orationes ad libitum, vel loco patroni ecclesiæ nominandus est patronus loci ut in sequenti casu (1).

4° Si celebretur in ecclesia dedicata alicui mysterio vel in oratorio, quod titularem non habet, patronus civitatis vel loci nominandus est (2), si consuetudo adsit faciendi ejus commemorationem in officio; et secus omittenda sunt verba *ac Beato.*

5° Nomen s. Joseph in oratione *A cunctis,* ubique locorum adjiciendum semper est post invocationem B. M. V. et ante quoscumque alios patronos aut titulares, exceptis angelis et s. Joanne Baptista, per verba *cum beato Joseph* (3). Si missa votiva celebretur de s. Joseph, et oratio *A cunctis* dicenda occurrat, in hoc casu nomen s. Joseph in oratione *A cunctis* omittitur (4).

Similiter in missa pro sponso et sponsa celebretur in festo sive officio B. M. V. tempore, quo dicitur oratio *A cunctis;* in hac omittenda est mentio B. M. V. et oratio recitanda : *intercedente Beato Joseph cum.*

6° In oratione *A cunctis* idem servari debet ordo, ac in litaniis majoribus. Adeoque nomina ss. Angelorum et s. Joannis Bapt. præponenda sunt s. Joseph et apostolis; et oratio recitanda est hoc modo : *Intercedente B..... Maria, cum beatis angelis,* vel *cum B. Michaele, Gabriele, etc.,*

(1) S. R. C. 15 Maji 1819, n. 2598, 3.
(2) S. R. C. 12 Sept. 1840, n. 2814, 1.
(3) Litt. Apost. 7 Jul. 1871, n. 3252; ff2 Ap. 1871, n. 3249, III.
(4) S. R. C. 1 Junii 1876, n. 3400, III.

Digitized by Google

cum B. Joanne Baptista, beato Joseph, atque beatis apostolis Petro et Paulo et omnibus sanctis. Et proinde si s. angelis, Joanni Baptistæ aut s. Joseph alius sanctus tanquam patronus aut titularis æque principalis adjungatur, illorum nominatio modo prædicto fit ante apostolos, hujus autem more solito post apostolos.

85. An in orationibus cognomina et patria sanctorum sunt exprimenda?

R. Negative, sed omnino expungenda sunt, ubi habentur (1). Qualia plura in quibusdam missalibus et breviariis erronee imprimuntur, uti Petrus Nolascus, Joannes de Matha, Franciscus de Paula, Raymundus nonnatus, Franciscus de Borgia, Canatus Danorum rex, Margarita Scotiæ, Philippus Benitius, Pius Quintus, etc. Item in oratione s. Joannis Gualberti omitti debet *Gualberti.* Excipiuntur tamen orationes s. Joannis Chrysostomi et s. Petri Chrysologi, in quibus nomina *Chrysostomi* et *Chrysologi* expungenda non sunt (2); item oratio s. Petri Cœlestini, in qua addi potest *Cœlestinum* (3).

DE CONCLUSIONE ORATIONUM.

86. Quomodo orationes in missa communiter concluduntur?

R. Si oratio dirigatur ad Patrem (quod semper fit, dum simpliciter nominatur Deus, Dominus, etc.) et nulla Filii fiat mentio, concluditur : *Per Dominum nostrum J. C. Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia* etc. Si autem fiat mentio Filii in principio aut medio orationis sub nomine Filii, Salvatoris, Christi, Verbi, Unigeniti, Dei, cum addito Genitricis Mariæ, aut sub quocumque alio nomine expressivo secundæ ss. Trinitatis

(1) S. R. C. 23 Jun. 1736, n. 2319, 2.
(2) Dec. gen. 5 Mart. 1825, n. 2637.
(3) Vid. Gardellini ad dec. n. 4460-4610 (2637).

Digitized by Google

personæ, etiam quoad sensum tantum, concluditur : *Per eumdem Dominum nostrum* etc. Et si in fine fiat mentio Filii etiam quoad sensum tantum sub nomine *Ejus* aut aliter, concluditur : *Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia* etc. Pro his autem duobus casibus non sufficit, ut fiat mentio Filii in una ex præcedentibus orationibus, si plures sub una conclusione terminentur; sed requiritur, ut ejus mentio fiat in ultima oratione, quæ concluditur (1).

2° Si oratio dirigatur ad Filium, concluditur : *Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia.*

2° Si in oratione fiat mentio Spiritus Sancti, in conclusione dicitur : *In unitate ejusdem Spiritus Sancti.* Ad hoc autem requiritur 1° ut ejus mentio fiat in ipsa oratione quæ concluditur : si enim in una ex præcedentibus orationibus, quæ sub una conclusione terminantur, mentio Spiritus Sancti habeatur, non autem in ultima, conclusio fit more solito : *In unitate Spiritus Sancti,* sine addito *ejusdem* (2). Requiritur 2° ut mentio illa directe significet Spiritum Sanctum, ut patet ex decretis *S. R. C.* (3), in quibus declaratur, quod nomen *Spiritus* in orationibus s. Juliani 28 Jan., s. Fidelis 24 Ap., s. Bernardini 20 Maji, s. Camilli 18 Julii, s. Hieronymi Æmiliani 20 Jul., s. Joannæ Franciscæ 21 Aug., in postcommunionibus s. Joannis Nepomuceni 16 Maji et s. Januarii, item in orationibus octavæ passionis Domini et feriæ quartæ post dominicam secundam quadragesimæ in vesperis, revera non indicet Spiritum Sanctum, ideoque more solito sint concludendæ sine addito *ejusdem.* Sic etiam vox *ejusdem* in missalis typica editione omissa est in postcommunione feriæ sextæ post feriam quartam cinerum, in secunda oratione quæ in benedictione fontis ante præfationem dicitur, in oratione missæ in sabbato sancto, in postcommunione dominicæ

(1) S. R. C. 23 Maji 1835, n. 2724.
(2) S. R. C. 15 Sept. 1736, n. 2326, 6.
(3) 12 Nov. 1831, n. 2682, 45.

Digitized by Google

paschatis, in postcommunione s. Joannæ Franciscæ de Chantal, in oratione pro prælatis et congregationibus eis commissis, et in postcommunione pro concordia in congregatione servanda.

87. Quomodo orationes extra missam et horas canonicas sunt concludendæ?

R. Brevi conclusione (1), nisi aliter in missali, breviario, rituali, aut peculiari aliqua lege sit dispositum (2). Conclusio brevis, si oratio dirigatur ad Patrem, est : *Per Christum Dominum nostrum, amen;* si fiat mentio Filii : *Per eumdem Christum Dominum nostrum;* et si dirigatur ad Filium : *Qui vivis et regnas per omnia sæcula sæculorum* vel *Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum.* Hæc conclusio juxta rubricas concordare debet cum ultima oratione, quæ concluditur.

88. Notandum orationes communiter dirigi ad Patrem, quia Christus Dominus Matth. VI sic nos orare docuit : *Pater noster, qui es in cælis;* paucas tamen ad Filium, et nullas ad Spiritum Sanctum (3).

Titulus X.

DE EPISTOLA, GRADUALI, ALLELUJA, ET TRACTU, AC DE EVANGELIO.

Rub. 1. *Post ultimam Orationem dicitur Epistola : quæ finita a Ministris respondetur* Deo gratias. *Et similiter quando leguntur plures Lectiones, post singulas dicitur,* Deo gratias, *præterquam in fine quintæ Lectionis Danielis in Sabbatis Quatuor Temporum, et in fine Lectionum Feriæ sextæ in Parasceve, et Sabbati Sancti.*

(1) S. R. C. 8 Ap. 1865, n. 3134.
(2) Gardellini instr. Clem. § 24, n. 25 et seq.
(3) Vid. Bened. XIV, de sac. m. sect. 1, n. 112; Bona, rer. lit. l. 2, c. 5 ad 5; Quarti p. 1, tit. 9, n. 17.

Digitized by Google

2. *Post Epistolam dicitur Graduale, quod semper dicitur præterquam Tempore Paschali, cujus loco tunc dicuntur duo versus, ut habetur in Rubrica in Sabbato in Albis.*

3. *Post Graduale dicuntur duo* Alleluja, *deinde Versus, et post Versum unum* Alleluja. *Tempore Paschali quando non dicitur Graduale, dicitur aliud* Alleluja *post secundum Versum : et quando dicitur Sequentia, non dicitur post ultimum Versum sed post Sequentiam.*

4. *A Septuagesima usque ad Sabbatum Sanctum non dicitur* Alleluja, *neque dicitur in Missis de Feria in Adventu, Quatuor Temporibus, et Vigiliis quæ jejunantur, exceptis Vigilia Nativitatis Domini, si venerit in Dominica, et Vigilia Paschæ et Pentecostes, ac Quatuor Temporibus Pentecostes. Nec dicitur in Festo ss. Innocentium, nisi venerit in Dominica.*

5. *A Septuagesima usque ad Pascha ejus loco dicitur Tractus : qui Tractus prædicto tempore in aliquibus Feriis non dicitur, ut suis locis ponitur, nec dicitur in Feriis a Septuagesima usque ad Quadragesimam, quando repetitur Missa Dominicæ.*

6. *Dicto Graduali, seu* Alleluja, *seu Tractu, dicitur Evangelium. Et in principio Evangelii dicitur* Dominus vobiscum. *R.* Et cum spiritu tuo. *Deinde* Sequentia sancti Evangelii secundum N. *R.* Gloria tibi Domine. *In fine Evangelii a Ministro respondetur* Laus tibi Christe, *quod etiam dicitur in fine illius partis Passionis, quæ legitur in tono Evangelii, præterquam in Parasceve. Postea, si dicendum est, dicitur* Credo.

---

89. Annotatur : 1° ad n. 4 dicitur : *A septuagesima usque ad sabbatum sanctum non dicitur Alleluja,* scilicet in missis festivis, votivis et de tempore; sed licet non dicatur in missis de feria in adventu, dicitur tamen in dominicis, in festivis et votivis eodem tempore.

Digitized by Google

2° Circa n. 5, notandum in missa de communi virginum *Vultum tuum* post septuagesimam, dicto versu post graduale, in tractu non esse repetendum *Audi filia,* sed prosequendum *Quia concupivit,* ne bis idem dicatur.

3° Sequentia tantum dicitur in his quinque missis, infra octavam paschatis, pentecostes et ss. Corporis Christi, in missa festiva septem dolorum B. M. V., et in missis de *Requiem.* In missa autem ss. nominis Jesu est omittenda (1).

Titulus XI.

DE SYMBOLO.

Rub. *Symbolum dicitur post Evangelium in omnibus Dominicis per annum* (2), *etiamsi in illis fiat de Festo, in quo alias non diceretur, vel Dominica vacet. In tribus Missis de Nativitate Domini, et deinceps usque ad Octavam s. Joannis Apostoli inclusive. In Epiphania et per Octavam. Feria V in Cœna Domini. In Paschate Resurrectionis et per Octavam. In Ascensione Domini et per Octavam. In Pentecoste et per Octavam. In Festo Corporis Christi et per Octavam. In omnibus Festis B. Mariæ et per Octavas. In Festis duodecim Apostolorum et Evangelistarum et per Octavas. In utraque Cathedra s. Petri, et in Festo s. Petri ad Vincula. In Festis Conversionis et Commemorationis s. Pauli Apostoli. In Festo s. Joannis ante Portam Latinam. In Festo s. Barnabæ Apostoli. In Festis Inventionis et Exultationis s. Crucis. In Festo Cordis Jesu. In Festo pretiosissimi Sanguinis, et in Transfiguratione Domini. In Festis Angelorum. In Festis s. Josephi, sponsi Beatæ Mariæ Virginis. In Festo s. Mariæ Magdalenæ. In Festis quatuor Doctorum, vi-*

(1) S. R. C. 23 Jun. 1736, n. 2323, 2; 16 Feb. 1737, n. 2327, 2.

Digitized by Google

delicet, Gregorii, Ambrosii, Augustini et Hieronymi : additis Festis s. Hilarii, s. Francisci Salesii, s. Petri Damiani, s. Thomæ de Aquino, s. Isidori, s. Leonis I Papæ, s. Anselmi, s. Bonaventuræ, s. Alphonsi Mariæ de Ligorio, s. Bernardi, et s. Petri Chrysologi. Item in Festis sanctorum Doctorum Athanasii, Basilii, Cyrilli Alexandrini, Cyrilli Hierosolymitani, Gregorii Nazianzeni et Joannis Chrysostomi (3). *In die Octava s. Joannis Baptistæ, et s. Laurentii. In Festo omnium Sanctorum et per Octavam. In Dedicatione Basilicæ ss. Salvatoris, et ss. Apostolorum Petri et Pauli. In Anniversario Dedicationis propriæ Ecclesiæ* (4), *et per Octavam. In die Consecrationis Ecclesiæ, vel Altaris. In Festis SS. quibus dedicata est Ecclesia* (5), *et ubi habetur Corpus vel insignis Reliquia Sancti, de quo agitur* (6). *In die Creationis, et Coronationis Summi Pontificis, et in Anniversario ejusdem diei. In die et in Anniversario Electionis et Consecrationis Episcopi* (7). *Item in omnibus Festis, quæ in Dominicis, et infra Octavas celebrantur, in quibus ratione Dominicæ, et Octavæ dici debet* (8). *Item in Festo Patroni alicujus loci, vel Tituli Ecclesiæ (non autem alicujus Capellæ, vel Altaris)* (9) *et in Festis principalibus Ordinum, et per eorum Octavas, in Ecclesiis tantum illius Ordinis* (10). *Item dicitur* Credo *in Missis votivis, quæ solemniter pro re gravi, vel pro publica Ecclesiæ causa celebrantur, etiamsi dicantur in paramentis violaceis in Dominica* (11).

---

90. Annotatur 1° In missis officii votivi, quod semel aut pluries in hebdomada vel mense recitatur, uti de ss. Sacramento, conceptione B. M. V. aut aliis, non dicitur symbolum, licet in festo dicatur, aut officium votivum sub ritu duplici fiat (1). Neque etiam dicitur in missa B. M. V. in

(1) S. R. C. 21 Mart. 1795, n. 2550, 1.

Digitized by Google

sabbato, in quo ejusdem B. M. V. officium sub ritu simplici recitatur.

2° *Symbolum dicitur in omnibus dominicis per annum*, etiam in vigiliis Nativitatis Domini et Epiphaniæ in dominica occurrentibus (1); non autem in missa dominicæ anticipatæ, neque in missa rogationum, si festum s. Marci in dominicam incidat, neque in votiva privata, quæ ob defectum visus in dominica celebratur, ut propriis locis dicitur.

Symbolum dicendum est in natali s. Joseph ac in ipsius festo patrocinii, etiamsi transferantur extra dominicam (2).

3° *In festis doctorum*. In hac rubrica missalis juxta recentiora decreta varii additi sunt sancti. Alii autem sine speciali concessione Apostolica aut legitima consuetudine addi nequeunt, cum ex his exemplis constet, hoc non fieri nisi per specialia decreta. Si tamen quidam sancti tanquam doctores ex concessione Apostolica aut consuetudine sub ritu duplici colantur, symbolum dicitur, modo habeant antiphonam *O doctor* et octavum responsorium *In medio*, secus autem non (3).

In secundariis festis, si quæ sub ritu duplici celebrentur de ss. doctoribus, in quorum festis primariis symbolum dicitur, etiam recitatur (4), exemplo ducto a festis secundariis apostolorum, in quibus rubrica symbolum præscribit. Ratio est, quia hisce festis symbolum competit per se et ex causa quæ inseparabiliter concomitatur sanctos, de quibus agitur; ad differentiam festorum, quibus quasi per accidens convenit, et ratione celebritatis, quæ separabilis est a sanctis, et in uno eorumdem festo reperiri potest, non vero in altero.

4° Dicitur *in anniversario dedicationis ecclesiæ*, sive missa celebretur in ecclesia, cujus festum dedicationis agitur, sive in alia; quia missa dedicationis symbolum exigit sicut festa apostolorum et doctorum, ubicumque celebretur, ut patet ex rubricis, quæ symbolum præscribunt in dedicatione ss. Salvatoris et in missa de communi dedicationis.

(1) S. R. C. 7 Sept. 1816, n. 2572, 16.
(2) Litteræ Apost. SS. D. Pii IX 7 Jul. 1871, n. 3252.
(3) Merati p. 1, tit. 11, n. 7; Cavalieri t. 5, c. 12, n. 23.
(4) Cavalieri t. 5, c. 12, n. 57.

Digitized by Google

5° Dicitur *in festis sanctorum, quibus dedicata est ecclesia. Item in festo patroni alicujus loci, vel tituli ecclesiæ.* Sed not. 1° symbolum tantum dici in festo patroni seu tituli principalis, et non minus principalis (1). Si tamen sint plures patroni aut tituli æque principales, legitime constituti, qui sub eodem ritu dup. 1 cl. cum octava coluntur, in omnium festis dicitur. 2° Tantum dici in festo principali, non autem translationis aut alio secundario, nisi aliunde debeatur. 3° Symbolum dici in toto et solo termino tituli aut patronatus. Proinde si sit patronus loci, symbolum dicitur in omnibus missis, quæ in quacumque ecclesia, oratorio aut loco privato istius regni, provinciæ, civitatis, oppidi aut pagi celebrantur, non tantum in die festo sed etiam infra octavam : in ecclesiis tamen regularibus non dicitur infra octavam, quia ad octavam patroni regulares non tenentur. Si autem tantum sit titulus ecclesiæ, et non patronus loci, tunc tantum in illa ipsa ecclesia symbolum dici potest, et non extra eam, neque in ecclesiis aut oratoriis intra parochiam sitis, neque etiam a sacerdote illius ecclesiæ, cujus festum patroni agitur, si celebret in alia ecclesia licet missam sui patroni sub ritu 1 cl. (2) : nisi missæ patroni seu tituli symbolum aliunde debeatur, v. g. si patronus sit apostolus, doctor, etc., in cujus missa etiam de die infra octavam in alia ecclesia dicitur, nisi infra octavam celebretur de martyre, confessore, etc. cui symbolum per se non competit, quia missæ martyris aut confessoris non debetur symbolum nec ratione sui, nec ratione loci. 4° Nomine patroni, in cujus festo symbolum dicitur, non comprehendi patronos congregationum, societatum, studiorum et similium (3).

6° Dicitur *ubi habetur corpus vel insignis reliquia sancti, de quo agitur*, id est, talis reliquia, ut de sancto ratione ejus reliquiæ fiat officium duplex, quod vide tom. II, n. 108 : symbolum autem tantum dicitur in ipsa ecclesia, in qua

(1) S. R. C. 22 Aug. 1744, n. 2378, 9.
(2) S. R. C. 23 Mart. 1709, n. 2189.
(3) S. R. C. 18 Feb. 1842, n. 2857.

Digitized by Google

habetur corpus vel insignis reliquia, et non extra eam (1). Si tamen de eodem sancto in eadem ecclesia celebrentur alia festa secundaria, v. g. translationis, in his omnibus modo sint duplicia, dicendum videtur (2). Item in festis beatorum, si eorum asserventur reliquiæ insignes, et de iis celebrare sit indultum, dicendum est symbolum (3).

In festo sacrarum reliquiarum seu sanctorum, quorum corpora vel reliquiæ in ecclesiis diœceseos asservantur, missa cum *Credo* celebranda est in solis diœceseos ecclesiis, in quibus asservantur reliquiæ insignes, et in aliis sine *Credo* (4).

7° *In anniversario electionis et consecrationis Episcopi*, sed in missa solemni tantum, ut dictum est n. 30.

8° *In omnibus festis, quæ infra octavas celebrantur, in quibus ratione octavæ dici debet*, etiamsi octavæ nulla commemoratio fiat.

9° *Non autem alicujus capellæ vel altaris*, nisi symbolum debeatur ob extraordinarium populi concursum in missa solemni aut alia ratione.

10° Dicitur *in festis principalibus ordinum*, scilicet in festis principalibus fundatorum seu institutorum ordinum religiosorum tantum, et non in festis aliorum sanctorum cujusque ordinis, quæ celebrantur etiam sub ritu dup. 2 cl. cum octava non obstante consuetudine, quam abrogandam esse mandavit S. R. Congregatio (5). Dicitur autem *in ecclesiis tantum illius ordinis*, tum ab ipsis regularibus, tum a sacerdotibus in hac ecclesia celebrantibus.

11° *Item dicitur Credo in missis votivis, quæ solemniter pro re gravi, vel pro publica Ecclesiæ causa celebrantur.* Vid. n. 47. Et similiter dicitur in missa solemni, sive festiva, sive votiva, quæ cantatur ob extraordinarium populi con-

(1) S. R. C. 2 Dec. 1684, n. 1743, 1 et 2; 10 Jan. 1693, n. 1890, 5.

(2) Gavantus p. 1, tit. 11, lit. h. contra Cavalieri t. 5, c. 12, n. 55.

(3) Halden p. 3, tit. 2; Merati p. 1, tit. 11, n. 10; Cavalieri t. 5, c. 12, n. 63.

(4) S. R. C. 11 Martii 1871, n. 3238.

(5) S. R. C. 22 Julii 1848, n. 2964, 3.

Digitized by Google

cursum (1), non tamen in aliis missis, quæ eadem occasione celebrantur, quia decreta citata id tantum permittunt pro unica missa, quæ solemniter cantatur.

12° Symbolum non dicitur 1° in festis semiduplicibus, nisi occurrant infra octavam, illud exigentem; 2° non dicitur in missa de feria aut vigilla, quamvis occurrat in festo aut infra octavam illud habentem, uti S. R. C. expresse statuit quoad missam rogationis in festo s. Marci (2).

13° Pro festis sanctorum plures memoriæ juvandæ causa dant has duas regulas : *da credit, muc non credit :* per *da* intelligunt doctores et apostolos, et per *muc* martyres, virgines et non virgines, confessores pontifices et non pontifices. Harum autem regularum, uti patet, plures sunt exceptiones.

Quare symbolum in quibusdam diebus aut festis præ aliis dicitur?

R. Uti communiter et generaliter dici potest, ob has tres causas, ob mysterium, doctrinam et celebritatem : 1° scilicet ratione mysterii, cujus mentio explicite vel implicite fit in symbolo, uti evenit in festis Domini et B. M. V., item in dominicis ob memoriam creationis; 2° ratione doctrinæ non tam susceptæ et propugnatæ, quam verbo et scripto traditæ; qua de causa dicitur in festis apostolorum et doctorum; 3° ratione celebritatis et solemnitatis dicitur in festis patronorum et aliis propriis locorum seu ecclesiarum, ad quæ fit populi concursus (3).

(1) S. R. C. 1 Ap. 1662, n. 1228; 13 Jun. 1671, n. 1421, 2; 3 Sept. 1746, n. 2392, 1.

(2) 5 Jul. 1698, n. 2002, 12; Merati p. 1, tit. 11, n. 14; Cavalieri t. 5, c. 12, n. 16 et 17.

(3) Vid. Inn. III, l. 2, c. 50; Gavantus p. 1, tit. 11, lit. I et seq. Merati ibid. n. 4; Guyetus, l. 3, c. 28, q. 3; Cavalieri tom. 5, c. 12, n. 2 et seq.; Quarti p. 1, tit. 11, expl.

Digitized by Google

Titulus XII.

DE OFFERTORIO, SECRETIS, PRÆFATIONIBUS, ET CANONE.

Rub. 1. *Post Symbolum, vel, si non sit dicendum, post Evangelium dicitur* Dominus vobiscum, Oremus; *deinde Offertorium. Postea fit oblatio cum Orationibus, ut in ordine Missæ. Qua oblatione facta, dicuntur Orationes secretæ, secundum numerum Orationum, quæ clara voce in principio dictæ sunt: sed ante primam Orationem non dicitur* Dominus vobiscum, *nec aliquid aliud, sed dicto* Suscipiat Dominus sacrificium, *absolute dicuntur; neque etiam ante secundam Orationem dicitur* Oremus. *Terminatur autem prima et ultima Oratio, ut dictum est supra in Rubrica de Orationibus: et secreto dicuntur usque ad illa verba in conclusione:* Per omnia sæcula sæculorum, *quæ clara voce proferuntur, et incipitur Præfatio.*

2. *Præfationes autem dicuntur, ut in Ordine Missæ annotatum est: et quæ in Quadragesima, tempore Passionis, et Paschali, et infra Octavas propriæ assignantur; dicuntur etiam in Dominicis, et Festis, quæ illis temporibus celebrantur, nisi illa Festa propriam præfationem habeant.*

3. *Si infra Octavam alicujus Festi, quod habet Præfationem propriam, occurrat Festum ex majoribus non habens propriam Præfationem, dicitur Præfatio de Octava, quamvis de ea nulla fiat commemoratio in Missa.*

4. *In Missis votivis dicitur etiam Præfatio propria, si propriam habeant; si vero non habuerint, dicitur Præfatio de Tempore, vel octava, infra quam contigerit hujusmodi Missas celebrari: alioquin, Præfatio communis. Et quando aliqua Missa votiva pro causa publica solemniter celebratur, dicitur in cantu solemni, ut in duplicibus. In Missis defunctorum quocumque tempore, semper dicitur Præfatio communis.*

5. *In Dominicis per annum, quando non habeatur Præ-*

Digitized by Google

fatio propria, dicitur Præfatio de Trinitate, ut annotatum jam est in ordine Missæ.

6. *Post Præfationem incipitur Canon Missæ secreto : in quo serventur omnia, ut in ordine Missæ. Ubi vero infra actionem* Communicantes *et* Hanc igitur, *vel alia variari contingit, suo loco in propriis Missis adnotatur.*

---

91. Undecim in ordine missæ habentur præfationes, scilicet : 1ª de Nativitate Domini, 2ª de Epiphania, 3ª quadragesimalis, 4ª de cruce, 5ª paschalis, 6ª de ascensione Domini, 7ª de Pentecoste, 8ª de ss. Trinitate, 9ª de B. M. V., 10ª de apostolis, et 11ª communis. Quando autem singulæ dicantur, ibidem in ordine missæ, et in proprio de tempore et de sanctis notatur. Solummodo notandum est 1° circa præfationem nativitatis Domini : quod, licet dicatur in festo s. Joannis apostoli, non tamen in aliis missis sive festivis sive votivis, infra octavam nativitatis occurrentibus, quæ propriam præfationem habent : item quod præfatio de nativitate, quæ in missali sub cantu feriali desideratur, in hoc cantu ad calcem missalis apponi possit pro missis votivis ss. Sacramenti et ss. Nominis (1). In ultimis editionibus missalis reperitur hæc præfatio post Appendices missarum.

2° Circa præfationem ss. Trinitatis : quod dicatur omnibus dominicis totius anni extra tempus quadragesimale et paschale, nisi occurrat festum aut octava, habens præfationem propriam (2).

3° Quoad præfationem B. M. V., quod in hac nominatio festi exprimatur; adeoque advertendum sit, quomodo in ordine missæ ante dictam præfationem vel in missis propriis hæc nominatio habeatur; aliter enim eamdem exprimere non licet.

92. Quæ præfatio dicenda est in festis sanctorum et feriis? R. 1° In festis sanctorum, si propriam præfationem ha-

(1) S. R. C. 29 Feb. 1868, n. 3168, III.
(2) S. R. C. 3 Jan. 1759, n. 2449.

Digitized by Google

beant, ea semper dicenda est; si propriam non habeant, et octava, quæ propriam habet, occurrat, hæc de octava dicenda est etiam in festis 1 et 2 cl., quamvis octavæ nulla fiat commemoratio; si octava, quæ propriam habet, non occurrat, dicenda est de tempore, scilicet quadragesimalis, de cruce aut paschalis; et si tempus neque propriam habeat, semper dicitur communis, exceptis festis occurrentibus in dominicis, in quibus dicitur de ss. Trinitate, ut dictum est supra; numquam tamen dicitur præfatio festi propriam habentis, de quo in missa fit commemoratio.

Not. si plures octavæ occurrant, quæ habent præfationem propriam, in missis festivis et votivis sanctorum dici præfationem de octava digniori, seu de qua fieret officium, si tale festum non occurreret (1).

2° In feriis dicenda est præfatio de tempore, si tempus propriam habeat, et alias communis. In missis autem feriarum et vigiliarum, quæ celebrantur infra octavam propriam præfationem habentem, et in quibus fit commemoratio octavæ, dicitur quoque præfatio octavæ, ut patet ex rubrica in missali posita 14 Decembris; si autem octavæ non fiat commemoratio, ut ubi celebrantur duæ missæ conventuales, dicitur semper de tempore vel communis, ut patet ex rubrica posita 15 Decembris (2).

93. Oratio *Hanc igitur* dicitur propria in vigiliis et infra octavas paschatis et pentecostes; *Communicantes* vero in iisdem vigiliis et infra easdem octavas, item infra octavas nativitatis Domini, Epiphaniæ, et Ascensionis, etiam in festis et votivis, quæ infra has octavas celebrantur, etiamsi de octava nulla fiat commemoratio, et missa festiva aut votiva præfationem propriam habeat. In missis tamen defunctorum *Hanc igitur* et *Communicantes* propria numquam dicuntur.

(1) Cavalieri t. 5, c. 14. n. 14.

(2) S. R. C. 23 Jun. 1736, n.2319, 26; Cavalieri t. 5, c. 14, n. 60 et 62.

Digitized by Google

Titulus XIII.

DE COMMUNIONE, ORATIONIBUS POST COMMUNIONEM, ITE MISSA EST, VEL BENEDICAMUS DOMINO, DE BENEDICTIONE, ET EVANGELIO S. JOANNIS.

Rub. 1. *Expleto Canone, et aliis omnibus usque ad Communionem, ea peracta, dicitur Communio, et Orationes post Communionem, eodem modo et ordine, ut in principio Missæ : et repetito* Dominus vobiscum, *dicitur* Ite Missa est, *vel* Benedicamus Domino, *pro temporis ratione.* Ite Missa est *dicitur, quandocumque dictum est* Gloria in excelsis. *Cum non dicitur, ejus loco dicitur* Benedicamus Domino. *R.* Deo gratias. *In Missis defunctorum dicitur* Requiescant in pace. *R.* Amen.

2. *Dicto* Placeat, *datur Benedictio; quæ a Celebrante semper datur in Missa, præterquam in Missis defunctorum. Deinde legitur Evangelium s. Joannis.* In principio, *præmisso* Dominus vobiscum, *et* Initium, *ut moris est : quod Evangelium numquam prætermittitur in Missa, nisi quando fit de Festo in aliqua Dominica vel Feria, quæ habet Evangelium proprium, quod legitur ejus loco. Excipitur Dominica IV adventus, cujus Evangelium non legitur in fine Missæ, quando in ea occurrit Vigilia Nativitatis Domini, quia nec in Officio lectum est. In tertia Missa de die Nativitatis Domini, legitur in fine Evangelium de Epiphania* Cum natus esset Jesus. *Et in Dominica Palmarum in Missis privatis legitur Evangelium, quod ponitur in benedictione Palmarum, quod etiam lectum est in Officio. In Vigiliis, quæ occurrunt in Quadragesima, vel Quatuor Temporibus, non legitur Evangelium Vigiliæ in fine Missæ. Et similiter in Missis votivis numquam legitur in fine aliud Evangelium, nisi s. Joannis.*

Digitized by Google

94. Annotatur circa evangelium in fine missæ : 1° quod sicut evangelium proprium feriæ majoris, sic etiam evangelium vigiliæ extra quadragesimam et quatuor tempora legatur loco evangelii s. Joannis, exceptis festis 1 cl., in quibus nihil fit de vigilia. Item, licet de vigilia in adventu nihil fiat in officio, extra quatuor tamen tempora ejus evangelium in fine missæ legendum est. 2° Quod per missas privatas in dominica palmarum, in quarum fine legitur evangelium benedictionis palmarum, intelligantur omnes missæ, quibus non præmittitur benedictio palmarum. 3° Si evangelium dominicæ, feriæ aut vigiliæ idem sit cum evangelio festi; quod illud non repetatur in fine missæ, sed legatur evangelium s. Joannis (1). Quod, quando dicuntur duæ missæ conventuales, de festo et de feria aut vigilia, in utriusque fine legatur evangelium s. Joannis, quia sicut in neutra fit commemoratio alterius, sic etiam in neutra aliud evangelium dicitur nisi s. Joannis (2).

Titulus XIV.

DE ORDINANDA MISSA EX SUPRADICTIS RUBRICIS.

Rub. *Supradictis Rubricis cognitus, si quis velit ordinare Missam diei, recurrat ad Ordinarium Missarum de Tempore vel de Sanctis, secundum qualitatem officii. Si proprium non habeat, recurrat ad Commune sanctorum. Si de Feria agendum sit, et propria Missa non fuerit de Feria, dicatur Missa præcedentis Dominicæ, omissis* Gloria in excelsis *et* Symbolo; *præterquam Tempore Paschali, in quo semper dicitur* Gloria in excelsis, *ut supra, excepta Missa Rogationum : et in Adventu prætermittitur* Alleluja *post Graduale cum suo Versu. Si dicenda sit Missa votiva, requiratur post*

(1) S. R. C. 4 Sept. 1773, n. 2496.
(2) Quarti hoc loco.

Digitized by Google

commune Sanctorum suo loco. Si plures Orationes dicendæ sint, requirantur post Missas Votivas suo loco de singulis rebus singulæ. Si pro defunctis dicenda sit Missa, habetur post Missas votivas, cum collectis diversis circa finem Missalis. Ordo totius Missæ, cum Præfationibus, Canone, et aliis dicendis, habetur suo loco, cum proprio Missarum de Tempore.

---

95. Annotatur, in feriis a septuagesima usque ad feriam quartam cinerum omitti tractum, quando repetitur missa dominicæ præcedentis (1).

An missa propria de sancto aut mysterio ab omnibus legi potest?

R. Affirmative, modo 1° a Summo Pontifice aut S. R. C. sit approbata, quia S. R. C. in decreto initio missalis prohibet omnino missas a S. R. C. non approbatas, et 2° modo sit pro ipso celebrante concessa. Inde sequitur :

1. Missale Romanum, cum generaliter approbatum sit, ab omnibus sive sæcularibus sive regularibus adhibendum esse, nisi constet de speciali privilegio.

2. Sacerdotes sæculares missas approbatas pro certis regularibus, dicere non posse, nisi in eorumdem regularium ecclesiis, quandocumque speciale non detur indultum; et quatenus celebrare velint hujusmodi missas, non alio modo, quam cum missali romano et juxta hujus rubricas celebrare teneri (2). Ideo Bened. XIV (3) præfectos regularium, qui missali romano non utuntur, admonet, ut pro exteris sacerdotibus illud in sacrario retineant, ne aliam, ac debent, missam celebrent, sed eam potissimum, quæ in missali romano præscribitur, si in eo propria illius sancti, de quo agitur, missa designetur; aliter vero de communi ejusdem sancti missam eligant, quæ pariter in missali romano adnotatur.

(1) Rub. tit. 10, n. 5.
(2) S. R. C. 9 Jul. 1895, n. 3862.
(3) De sacrificio missæ s. 2, § 207.

Digitized by Google

3. Capellanos monialium et alios quoscumque sacerdotes qui celebrant in earumdem ecclesiis, licet non sint ejusdem ordinis, posse uti missalibus propriis ordinum, convenientibus cum ritu missalis Romani, et celebrare missas proprias sanctorum et beatorum variis ordinibus a S. R. C. concessas, ac superadditas missali romano (1).

4. Regulares absque speciali privilegio, sola communicatione privilegiorum, non posse recitare in suis ecclesiis et oratoriis missas aliis religionibus concessas (2).

Regulares tamen extra claustra degentes, missam celebrare possunt et debent juxta ritum ordinis proprii, et adhibere missale ejusdem ordinis (3).

5. Missas beatorum indultas certis presbyteris regularibus vel sæcularibus alicujus loci vel monasterii seu alicujus ecclesiæ servitio addictis, a confluentibus sacerdotibus celebrari posse (4) : e contra sacerdotes, quibus missa beati indulta est, celebrantes in alia ecclesia, pro qua non est concessa, eamdem dicere non posse, sed teneri se conformare ecclesiæ, in qua celebrant (5); nisi celebrent in oratorio privato, in quo missa cum officio concordare debet (6).

DE CONFORMITATE MISSÆ CUM OFFICIO ECCLESIÆ.

Rub. *Missa quotidie dicitur secundum ordinem officii. Quoad fieri potest, Missa cum officio conveniat.*

96. Annotatur missæ cum officio conformitatem urgere tantum in ecclesiis in quibus est usus chori; in cæteris autem ecclesiis et oratoriis conformitas requiritur tantummodo quando officium agitur missas de requiem vel votivas prohibens.

(1) S. R. C. 9 Jul. 1895, n. 3862.
(2) S. R. C. 20 Mart. 1706, n. 2166, 2.
(3) S. R. C. 27 Sept. 1873, n. 3310.
(4) Dec. gen. 9 Jul. 1895, n. 3862.
(5) Vid. ib.
(6) Vid. ib.

Digitized by Google

97. Attamen ex parte celebrantis rationes dantur ob quas, etiam quum agat ipse officium duplex, recedere valet a conformitate in duplicibus requisita officium inter et missam. Unde

An sacerdos exterus habens aliud officium, in missa se conformare debet officio ecclesiæ ad quam accedit celebrandi gratia?

R. « Omnes et singuli sacerdotes tam sæculares quam regulares, ad ecclesiam confluentes vel ad oratorium publicum, missas quum sanctorum tum beatorum, etsi regularium proprias, omnino celebrent officio ejusdem ecclesiae vel oratorii conformes, sive illæ in Romano, sive in Regularium missali contineantur; exclusis tamen peculiaribus ritibus Ordinum propriis » (1).

Hoc decreto Urbis et Orbis jus antiquum penitus mutatum, imo abrogatum fuit in hoc negotio conformitatis missae cum officio celebrantis. Quod factum fuit inspectis privilegiis quibus jam gaudebant plures ecclesiae praesertim regularium, vel attento numero missarum novarum tum sanctorum, tum beatorum, vel in gratiam sacerdotum in itinere ecclesias accedentium ad celebrandum. Jus antiquum respiciebat potius personam celebrantis; jus novum considerat locum celebrationis.

Longe facilior statuta fuit isto decreto norma, quatenus regularis accedens ad quamcumque ecclesiam, ibi valet sacrum offerre semper juxta Kalendarium et officium istius ecclesiæ; et vicissim sacerdos sæcularis in ecclesia regularium celebrans, eamdem legit missam quam ipsi regulares. Quod servatur etiamsi color paramentorum pro missa in ecclesia ubi celebrat extraneus, idem sit ac color officii sui proprii : ita ut optio ipsi non relinquatur. Quod pro regularibus speciatim declaravit S. R. C. (2).

98. Sacerdos sive sæcularis sive regularis celebrans in sacello piæ communitatis, gymnasii, hospitalis, etc., ex commissione ordinarii, imo ex caritate, vel ex onere suscepto

(1) S. R. C. 9 Jul. 1895, n. 3862.
(2) S. R. C. 8 Feb. 1896, n. 3883.

Digitized by Google

a superioribus regularibus mittendi aliquem ad missam offerrendam, tenetur missam dicere conformem loci kalendario (1).

Ita juxta decreti tenorem tenendum in ecclesiis et oratoriis publicis. Ecclesiæ intelliguntur parochiales et regularium utriusque sexus. Oratoria publica etiam recenset formula decreti. Licet disertis verbis oratoria semi-publica non asserantur, indubium est ipsa sub lege communi cadere (2), eo nempe sensu quo intelligitur vox *oratorium semipublicum* a S. R. C. (3). Vero, novæ regulæ non subjiciuntur oratoria privata, in quibus, silente decreto, missa semper convenire debet cum officio celebrantis. Idem dicendum est de oratorio non principali communitatis religiosæ. Quæ sententia quoad oratoria privata confirmatur decreto laudato 27 Jun. 1896, n. 3919, XVII.

99. Regula promulgatur pro omnibus missis, sive sint de sanctis, sive de beatis; nec distinguit inter missas quæ in proprio de sanctis aut in aliis missalis partibus referuntur et illas quæ sunt de sanctis aut de beatis alicui ecclesiæ aut ordini propriis.

100. Relate ad modum ipsam missam dicendi, duplex proponitur monitum; alterum de integritate conformitatis missæ cum officio ecclesiæ, alterum de ritibus particularibus, si essent, regularium. Ex ipsius decreti effato : *omnino* recte infertur conformitatem ad omnes et singulas missæ partes sese extendere et undequaque perfectam requiri cum officio ecclesiæ vel oratorii, ita ut celebrans, si oporteat, negligat omnino suum kalendarium, non tantum quoad ipsam missam, quæ legenda est juxta formulare ipsius ecclesiæ ubi celebrat, sed etiam quoad symbolum, commemorationes, præfationem, etc. (4), orationem imperatam in diœcesi ubi sacrum offert, omissa ea quæ in sua diœcesi forsan imperata esset (5).

(1) S. R. C. 27 Jun. 1896, n. 3919, XVII et XVIII.
(2) S. R. C. 22 Maji 1896, n. 3910.
(3) S. R. C. 25 Jan. 1899, n. 4007.
(4) S. R. C. 3 Jul. 1896, n. 3924, III.
(5) S. R. C. 5 Mart. 1898, n. 3985.

Digitized by Google

Vetiti remanent proprii ritus regularium quos expresse excludit decretum.

101. Obligat decretum quotiescumque in ecclesia vel oratorio ad quod accedit sacerdos, celebratur officium ritus duplicis vel æquivalentis. Cæteris diebus, id est « si in dicta ecclesia vel oratorio, officium ritus duplici inferioris agatur; unicuique ex celebrantibus liberum sit missam de requie peragere, vel votivam, vel etiam de occurrenti feria; iis tamen exceptis diebus, in quibus præfatas missas Rubricae missalis Romani vel S. R. Congregationis Decreta prohibent » (1). Itaque si sacerdos in ecclesia vel oratorio in quo officium ritus duplici inferioris agitur, missam huic officio conformem vellet celebrare, posset utique, sicuti potest missam offerre conformem suo officio; sed hanc debet celebrare omnino qualiter suum kalendarium præscribit, more non votivo, sed festivo (2). Attamen addet, permittente rubrica, orationem imperatam in diœcesi in qua sacrum peragit.

Titulus XV.

DE HORA CELEBRANDI MISSAM (PRIVATAM).

Rub. 1. *Missa privata saltem post Matutinum et Laudes quacumque hora ab aurora usque ad meridiem dici potest.*

102. Annotatur 1. Requiritur et destinatur tempus ab aurora usque ad meridiem, quia homines ante hoc tempus non sunt satis dispositi ad instructiones percipiendas, et

(1) S. R. C. 9 Jul. 1895, n. cit.
(2) S. R. C. 14 Mart. 1896, n. 3892, V.

Digitized by Google

divina mysteria debita cum devotione veneranda; tum quia offertur Christus Dominus, qui est lux mundi et candor lucis æternæ, et ipse in medio die oblatus fuit : non differtur autem post meridiem, non tantum quia requiritur jejunium naturale, sed etiam ut tollantur confabulationes aliæque irreverentiæ post meridiem sequi natæ.

II. Per auroram intelligitur non ortus solis, sed tempus illud, quod est medium inter noctem et diem, seu inter tenebras et ortum solis; quod initium sumit, quando aurora apparere incipit, seu prima claritas per terram diffunditur. Hoc autem præcedit ortum solis, plus minusve juxta temporum locorumque varietatem. Gavantus (1) plures tabulas pro initio auroræ cognoscendo proponit, inter quas sequens ad latitudinem 51 graduum Belgio convenit.

JANUARIO.

Die	hora	cum minutis.
3	5	58
9	5	54
15	5	49
21	5	43
26	5	37

FEBRUARIO.

1	5	30
7	5	21
13	5	12
19	5	1
25	4	51

MARTIO.

3	4	39
9	4	27
15	4	18
21	4	2
27	3	48

APRILI.

Die	hora	cum minutis.
2	3	33
9	3	19
15	2	59
21	2	42
27	2	24

MAJO.

3	2	5
9	1	45
15	1	22
21	0	49
28	0	0

a 26 Maji usque ad 19 Julii aurora seu lucis crepusculum non cessat.

JULIO.

24	0	51
30	1	22

(2) In append. ad rub. missalis, p. 5.

Digitized by Google

AUGUSTO.

Die	hora	cum minutis.
5	1	45
11	2	6
18	2	29
24	2	45
30	3	2

SEPTEMBRI.

5	3	19
11	3	33
18	3	50
24	4	10
30	4	18

OCTOBRI.

5	4	28
11	4	40
17	4	52
23	5	2
29	5	12

NOVEMBRI.

5	5	22
11	5	32
17	5	38
23	5	45
29	5	50

DECEMBRI.

5	5	55
11	5	58
17	6	3
22	6	4
28	6	3

III. Tempus auroræ et meridiei non mathematice sed moraliter est accipiendum : ita ut nulla sit culpa, missam terminare in aurora, et eam incipere paulo ante meridiem. Et sic Benedictus XIII permisit latitudinem tertiæ partis horæ ante auroram et post meridiem, uti refert Benedictus XIV *Instit.* 13, quod tamen *Instit.* 68 explicat per tertiam horæ partem pro inchoandis missis ante auroram, et absolvendis cum tertia pars post meridiem effluxerit (1).

IV. Graviter peccat, qui sine justa causa ante auroram vel post meridiem moraliter ut supra acceptum celebrat (2). In hoc tamen communiter etiam admittitur parvitas materiæ, quæ excusat a mortali, nempe si missa terminetur paulo ante auroram, et incipiatur paulo post meridiem. S. Alph. de Ligorio (3) censet esse communius et probabilius, non esse

(1) Vid. Bened. XIV, de sac. m. s. 2, n. 54; Quarti p. 1, tit. 15, dub. 2 et 3; Cavalieri t. 3, dec. 86, 2, et tom. 5, c. 5; s. Alph. de Ligorio l. 6, n. 341.

(2) Quarti loco cit. d. 1, et s. Alph. de Ligorio loco cit. n. 345, aliique communiter, qui post Concilium Trid. scripserunt.

(3) Loco cit. n. 346.

Digitized by Google

mortale, nisi incipiatur hora ante auroram, vel hora post meridiem.

V. Ad Missam pauco tempore anticipandam vel differendam quælibet rationabilis causa sufficere potest; pro notabili autem tempore gravis requiritur causa, et quo major est anticipatio aut dilatio, eo urgentior debet esse causa, ut excuset. Communiter allegantur sequentes causæ :

1. Necessitas communicandi infirmum, alioquin sine viatico moriturum : quo casu post mediam quidem noctem posse celebrare plures censent. Si sit necessarium, ut populus audiat missam diebus præceptis, alioquin eam non auditurus. Item si persecutionis tempore necesse sit ante auroram celebrare.

2. Quælibet justa et rationabilis causa, ut itineris, publicæ supplicationis, funeris alicujus magnatis, concionis, collationis ordinum, missionis, excusare potest ad celebrandum per horam ante auroram vel post meridiem.

3. Consuetudo rationabilis v. g. ut operarii et famuli summo mane missam audire possint, antequam ad opera sua pergant, uti in quibusdam locis obtinuit consuetudo tempore hiemali celebrandi ab hora quinta matutina.

4. Privilegium post Concilium Trid. concessum (1).

5. Dispensatio Episcopi ex aliqua causa rationabili (2). Sic S. R. C. prudenti arbitrio Ordinarii commisit licentiam concedere ut in aliqua solemnitate Missa incipiat in meridie, ita ut ob solemnitatem cantus et concionem, Missa se protrahat usque ad horam secundam vel amplius (3).

Quoad regiones carentes aurora, intelligitur Rubrica missalis moraliter de tempore quod æquivalet et correspondet auroræ, hoc est de exordio diei civilis, moralis et usualis, in quo homines diluculo surgere solent ad opera, juxta receptas et approbatas regionum consuetudines (4).

---

(1) S. Alph. de Ligorio lib. 6, n. 342.
(2) Quarti p. 1, tit. 15, dub. 5; s. Alph. de Ligorio loco cit. n. 344, ad 7.
(3) S. R. C. 7 Jul. 1899, n. 4044, ad. 4.
(4) S. R. C. 2 Nov. 1634, n. 614.

Digitized by Google

DE HORA CELEBRANDI MISSAM (CONVENTUALEM).

Rub. 2. *Missa autem Conventualis, et solemnis sequenti ordine dici debet. In Festis Duplicibus et Semiduplicibus, in Dominicis, et infra Octavas, dicta in Choro hora Tertia. In Festis Semiplicibus, et in Feriis per annum. dicta Sexta. In Adventu, Quadragesima, Quatuor Temporibus, etiam infra Octavam Pentecostes, et Vigiliis quæ jejunantur, quamvis sint dies solemnes, Missa de Tempore debet cantari post Nonam* (a).

3. *Missa autem defunctorum dici debet post Primam diei; ubi vero dicuntur eorum Vigiliæ mane post Matutinum diei, dictis hujusmodi Vigiliis cum Laudibus, immediate dici potest Missa pro defunctis. Sed in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum Missa conventualis dicitur post Nonam, quia eo die est principatis. In die autem Depositionis defuncti, vel Tertio, Septimo, Trigesimo, aut Anniversario solemni, in quo fit concursus populi, poterit similiter dici ultimo loco post Nonam.*

4. *Excipiuntur ab hoc ordine dicendi Missam Conventualem, Missæ in Nativitate Domini, quarum prima dicitur post mediam noctem, finito* Te Deum laudamus *in Matutino; secunda in aurora, dictis Laudibus et Prima; tertia vero in die post Tertiam, vel ubi aliter ex dispensatione Apostolica dispensatur.*

5. *Missæ votivæ, quia non correspondent officio, si solemniter celebrentur pro re gravi, vel publica Ecclesiæ causa, cum populi frequentia, dicantur post Nonam* (b).

---

103. Annotatur 1. *a*. In quadragesima, quatuor temporibus et vigiliis missa de tempore cantari debet post nonam, quamvis simul occurat festum duplex aut semiduplex de quo missa cantanda est post tertiam.

In vigilia Nativitatis Domini missa conventualis dicenda est post nonam, si autem in Dominica occurrat, post tertiam; in vigilia Epiphaniæ post tertiam, sive in feria sive in domi-

Digitized by Google

nica venerit, quia non jejunatur, et fit ritu semiduplici; in vigilia ascensionis de festo duplici aut semiduplici post tertiam, de vigilia post sextam, et de rogationibus post nonam (1).

2. *b.* Missæ votivæ solemnes pro re gravi dicuntur post nonam : etsi missa conventualis etiam cantanda sit post nonam; hæc quæ cum officio concordat, prius est cantanda (2). Aliæ votivæ quæ dicuntur de s. Maria in sabbatis vel in feriis per annum juxta tit. IV rub. gen. reduci possunt ad ferias per annum, in quibus permittuntur, et proinde dicendæ sunt post sextam; votivæ autem ex fundatione aut alia obligatione videntur dicendæ post primam, ut missæ defunctorum (3).

3. Declaravit S. R. C. (4) hanc rubricam missalis de hora celebrandi missam conventualem observandam esse, non obstante statuto aut consuetudine quacumque; indulsit tamen, ut propter processionem in festo ss. Corporis Christi missarum solemnia post nonam peragantur, non tamen infra eamdem octavam, licet fiat processio.

4. Missa conventualis debet celebrari immediate post canonicam horam a Rubrica et Decretis designatam; nec licet eas separare, ita ut inter illas breve vel longum aliquod temporis spatium intercedere possit (5).

DE OBLIGATIONE RECITANDI MATUTINUM ET LAUDES ANTE CELEBRATIONEM MISSÆ.

104. Matutinum et laudes recitari debent ante missam juxta rub. n. 1, hujus tit. 1° quia sunt præparatio ad missam, tum per explicationem evangelii, tum per orationem, qua sacerdos ad digne celebrandum disponitur; 2° quia missa

(1) Gavantus p. 4, tit. 3, n. 1, et tit. 15, n. 9.
(2) S. R. C. 13 Feb. 1666, n. 1332, 1 et 2.
(3) Guyetus l. 3, c. 30, q. 6.
(4) 22 Jan. 1678, n. 1609, 5, 6, 7.
(5) S. R. C. 9 Apr. 1900, 3 et 4.

Digitized by Google

in pluribus dependet a matutino et laudibus, ex quibus innotescit, quæ missa, quo ritu, cum quo evangelio et quibus commemorationibus sit celebranda; 3° quia matutinum est officium nocturnum, et naturaliter missam præcedit, quæ ad diurnum spectat officium.

Plures auctores censent dari obligationem gravem recitandi matutinum et laudes ante missam (1); quidam e contra tenent nullam dari obligationem, et hanc rubricam esse de consilio tantum; communior tamen et probabilior est sententia, extra chorum dari obligationem, sed levem et sub veniali tantum : quia, cum gravis obligatio neque in rubricis aut alia lege exprimatur, neque modo saltem hæc rubrica communiter sub gravi sit recepta, non potest esse mortale; si vero absit causa, perdifficile videtur, ne veniali quidem peccato non esse locum, ut observat Benedictus XIV cum Merati, quia omissio matutini et laudum ante missam jam inter defectus numeratur, et ea, quæ, ut ait s. Alph. de Ligorio, inter defectus computantur, non amplius possunt esse de consilio, et ideo nequeunt ab aliqua culpa esse immunia. Ab hujusmodi autem culpa veniali, pergit idem Sanctus, excusabit quælibet mediocris causa rationabilis; puta si dans eleemosynam postulet ut statim celebretur, si expectet populus aut aliqua persona gravis, si superior præcipiat, tempus celebrandi transeat, vel instet commoditas studii, itineris, et similia (2).

Ad matutinum cum laudibus ante missæ celebrationem recitandum, privata recitatio matutini cum laudibus diei subsequentis incipi potest, quando sol medium cursum tenet inter meridiem et occasum (3) : circa quod tempus standum est publicis horologiis (4).

(1) Clericatus de sacrif. m. decis. 50, n. 1.

(2) Vid. s. Alph. de Ligorio l. 6, n. 347 et 348; Bened. XIV, de sac. m. s. 2, n. 102; Gavantus p. 2, tit. 1, n. 1, b; Merati tom. 1, p. 3, tit. 11, n. 7; Cavalieri tom. 3, dec. 85, n. 5 et seq.; Quarti p. 2, tit. 1, s. 1, d. 1; Luc. Ferraris *matutinum*, n. 19-23.

(3) S. R. C. 16 Martii 1876, n. 3391.

(4) S. R. C. 7 Aug. 1875, n. 3365, IX.

Digitized by Google

Not. 1. Dictum esse extra chorum dari obligationem levem, quia celebrare missam conventualem, antequam in choro matutinum et laudes dicta sint, videtur peccatum mortale, quia id est contra generalem Ecclesiæ consuetudinem (1).

2. Omittere matutinum et laudes ante celebrationem posse esse mortale ex contemptu, si quis nulla causa urgente perpetuo id faceret ut videretur quasi statuisse animo, numquam celebrare, dictis matutino et laudibus (2).

3. Rubricam, dum loquitur de recitandis matutino et laudibus ante missam, semper adjungere vocem *saltem*, adeoque laudabile fore, si ante missam etiam privatam præmittantur omnes horæ, quæ ante missam conventualem dicendæ sunt, vel si ante missam recitentur horæ, quæ juxta ritum ecclesiasticum dictæ esse deberent tempore, quo celebratur, scilicet prima et tertia, si circa horam nonam celebretur, et sic deinceps (3).

Titulus XVI.

DE IIS, QUÆ CLARA VOCE, AUT SECRETO DICENDA SUNT IN MISSA.

Rub. 1. *In missa privata, clara voce dicuntur Antiphona et psalmus ad Introitum, Confessio, et quæ sequuntur, excepta oratione* Aufer a nobis *et* Oramus te Domine per merita Sanctorum tuorum etc. *Item Introitus*, Kyrie eleison, Gloria in excelsis, Dominus vobiscum, Oremus, Flectamus genua, Levate, *Oratio vel Orationes, Prophetiæ, Epistola, Graduale, Versus, Tractus, Sequentia, Evangelium*, Credo, *Offertorium*, Orate fratres, *solum hæc duo verba : Præfatio*, Nobis quoque peccatoribus, *solum hæc tria verba. Item*, Per omnia sæcula sæculorum etc. *cum* Pater Noster, Per omnia sæcula sæculorum, Pax Domini, Agnus Dei, Domine non sum dignus,

(1) Bened. XIV, loco cit.
(2) Bened. XIV, loco cit.
(3) Cavalieri tom. 3 dec. 85, n. 4; Lebrun, *Traité prélim.*, art. 3, n. 2.

Digitized by Google

hæc quatuor verba tantum, Communio, Oratio vel Orationes post Communionem, Humiliate capita vestra Deo. Ite Missa est, *vel* Benedicamus Domino, *vel* Requiescant in pace, *Benedictio et Evangelium* In principio, *vel aliud Evangelium. Alia omnia dicuntur secreto.*

2. *Sacerdos autem maxime curare debet, ut ea quæ clara voce dicenda sunt, distincte et apposite proferat, non quidem festinanter, ut advertere possit quæ legit; nec nimis morose, ne audientes tædio afficiat; neque etiam voce nimis elata, ne perturbet alios, qui fortasse in eadem Ecclesia tunc temporis celebrant, neque tam submissa, ut a circumstantibus audiri non possit, sed mediocri et gravi, quæ et devotionem moveat, et audientibus ita sit accommodata, ut quæ leguntur, intelligant. Quæ vero secreto dicenda sunt, ita pronuntiet, ut et ipsemet se audiat, et a circumstantibus non audiatur.*

---

105. Quadruplex vox in missa distinguitur, scilicet secreta, media, alta seu elata, et cantata. De voce media rubricæ quidem hoc titulo non loquuntur, in ordine tamen missæ et ritu celebrandi missam hanc distincte requirunt, et exprimunt per vocem mediocrem, aliquantulum elatam.

Vox secreta est, quæ a sacerdote distincte profertur, ut ipsemet se audiat, et a circumstantibus non audiatur. Dubitatur autem, quomodo sacerdos secreto legens, seipsum audire debeat : alii requirunt, ut sepositis impedimentis, externis auribus vocem suam percipiat, quia præcipitur auditio, et sine auditione oratio non est vocalis; alii autem sufficere dicunt, si verba ita formentur in ore, ut legens sensibiliter omnia pronuntiet, et seipsum percipiat per auditum interiorem, quia, ut oratio sit vocalis, sufficit ut exterius proferatur, prout Anna oravit I *Reg. cap.* 1. Utraque sententia est probabilis juxta Quarti et s. Alph. de Ligorio (1); attamen juxta eosdem sola prima pro verbis consecrationis sequenda est, quia cum hæc sit etiam probabilis et simul tutior, alias consecratio exponeretur periculo nullitatis.

(1) Quarti p. 1, tit. 16, dub. 2; s. Alph. lib. 6, n. 414.

Digitized by Google

Vox media est, quæ quidem ita alte profertur, ut a ministris et aliquibus adstantibus percipi possit, sed tamen voce simpliciter alta magis est depressa. Voce media dicuntur 1° hæc duo verba *Orate fratres;* 2° *Sanctus* et *Benedictus;* 3° hæc tria verba *Nobis quoque peccatoribus;* hæc quatuor verba *Domine non sum dignus,* ter repetita.

Vox alta est, quæ a circumstantibus audiri et intelligi potest. Circa hanc bene notanda sunt, quæ Rubrica supra n. 2 præscribit. Non oportet, ut omnis populus vocem audiat, sed sufficit, ut adstantes attenti, qui prope sunt ad altare, percipere valeant.

106. Certum est, peccare transgressores hujus rubricæ, ait Quarti (1), seu non recitantes missam voce secreta, alta, etc. prout in missali præscribitur; quia agitur de ritu in actu celebrationis servando : dubitatur tantum, quantum peccetur. Circa quod dicitur : 1° secreto recitare, quæ alta voce dicenda sunt, non esse peccatum mortale sed veniale, communis est sententia, quia non videtur materia gravis (2). Et 2° alte recitare, quæ secreto dicenda sunt, communiter dicitur, nullum esse peccatum, si a solis ministris audiatur, quia in rubricis præscribitur tantum, ut a circumstantibus non audiatur; si autem tam alte recitetur, ut a circumstantibus audiatur, est veniale extra canonem; gravior vero est inordinatio, canonem alta voce legere, quam alias preces : quinimo quidam censent graviter peccare, qui elata voce recitat totum canonem vel magnam ejus partem, aut etiam sola verba consecrationis, quia grave videretur scandalum, et contemptus verborum et ritus, et sacrosancta verba vilescerent. Sanctus tamen Alph. de Ligorio admittit solum peccatum mortale in eo, qui verba consecrationis, vel canonis in magna parte tam alte profert, ut audiri possit ad 40 passus, quia alias scandalum tam grave non videtur, præsertim si celebrans verba devote proferat (3).

(1) P. 1, tit. 16, dub. 1.

(2) Quarti loco cit.; s. Alph. de Ligorio lib. 6, n. 415; Collet, *Traité des ss. myst.,* ch. 15, 9.

(3) Vid. s. Alph. lib. 6, n. 416; Quarti loc. cit.; Collet loco cit. n. 8.

Digitized by Google

107. Qua ratione quædam secreta et alia clara voce in missa recitentur, docet Concilium Trid. (1). » Cumque natura » hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis ex- » terioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli; » propterea pia mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet » quædam submissa voce, alia vero elatiore in missa pronun- » tiarentur, instituit » scilicet clara voce, quæ Dei glorifi- cationem, vel populi instructionem, aut ejus vota et preces ad Deum continent, quæque ei communicari convenit; alia autem secreta voce ad majorem attentionem, reverentiam et devotionem erga tantum mysterium, et ne verba sacro- sancta vilescant et profanentur. Quapropter idem s. Conci- lium ibidem can. IX anathema dicit ei « qui dixerit Ecclesiæ » Romanæ ritum, quo submissa voce pars canonis et verba » consecrationis proferuntur, damnandum esse. » Attamen ibidem cap. VIII., « ne oves Christi esuriant, neve parvuli » panem petant, et non sit, qui frangat eis, mandat s. Syno- » dus pastoribus, et singulis curam animarum gerentibus, » ut frequenter inter missarum celebrationem vel per se, » vel per alios, ex iis quæ in missa leguntur, aliquid expo- » nant; atque inter cætera sanctissimi hujus sacrificii mys- » terium aliquod declarent, diebus præsertim dominicis et » festis. »

DE MISSA CANTATA, MUSICA ET ORGANO.

Rub. 3. *In Missa solemni, quando dici debent, a Celebrante* Gloria in excelsis *et* Credo *intonantur, et cantantur* Dominus vobiscum, *et Orationes ante Epistolam,* Dominus vobiscum, Oremus *ante Orationes et ante Offertorium, Præfatio,* Per omnia sæcula sæculorum *cum* Pater noster, Per omnia sæcula sæculorum *cum* Pax Domini, *et Orationes post Communio- nem. Alia quæ in Missa privata dicuntur clara voce, in Missa solemni a celebrante dicuntur submissa voce.*

(1) Sess. 22, de sac. m. c. 5.

Digitized by Google

108. Enumerantur hic quæ a celebrante sunt cantanda in missa solemni, quæ celebratur cum diacono et subdiacono; in qua subdiaconus cantat epistolam, et diaconus evangelium, *Ite missa est,* vel *Benedicamus Domino,* vel *Requiescant in pace,* et celebrans submissa voce recitare debet epistolam, evangelium, *Benedicamus Domino* vel *Requiescant in pace.* Pro missa cantata sine diacono et subdiacono vid. n. 300.

In quatuor temporibus vel alias, quando dicendæ sunt plures orationes et lectiones post *Kyrie eleison,* hæ quidem possunt, sed cantari non debent, quia hic inter cantanda non enumerantur, et in ritu celebrandi missam tit. V, n. 5, tantum dicendæ præscribuntur.

109. Missa eo modo cantari debet, quo in Romano Missali ponitur : nam s. Pius V in bulla Missali præfixa præcipit omnibus, ut missam juxta ritum, modum ac normam, quæ per hoc Missale traditur, decantent. Unde S. R. Congregatio (1) servari mandavit, in cantandis missis adhibendas et sequendas esse editiones a S. R. C. approbatas, vel exemplaria quæ authentico testimonio Ordinariorum cum illis cohærent : item sacerdotes sæculares, qui Missali romano utuntur, assumere non possunt cantum regularium, sive ad *Gloria,* aut *Credo,* sive ad *Ite Missa est* aut alia.

110. *Alia quæ in missa privata dicuntur clara voce, in missa solemni a celebrante dicuntur submissa voce,* id est tali qua audiantur a ministris, ut respondere valeant. Benedictio tamen in fine missæ voce clara dari debet (2).

111. A choro cantantur introitus, *Kyrie eleison, Gloria,* graduale, *Alleluja,* tractus, sequentia, *Credo,* offertorium, *Sanctus, Agnus Dei,* communio, et quæcumque celebranti sunt respondenda. Si organum pulsetur, offertorium et communio submissa voce dici possunt, sed non omitti (3).

Not. 1° brevitatis causa nihil esse omittendum, et missam

(1) S. R. C. 21 Apr. 1873, n. 3292, II.
(2) Rub. in ritu celeb. m. tit. XII, n. 7.
(3) S. R. C. 10 Jan. 1852, n. 2994, 2; 7 Aug. 1875, n. 3365. VII.

Digitized by Google

esse cantandam prout jacet in Missali, uti S. R. C. respondit quoad missam defunctorum : idque saltem servandum, quando missa ex obligatione cantatur (1). Unde juxta decreta S. R. C. vel non celebrandæ missæ defunctorum, vel canenda omnia, quæ precationem suffragii respiciunt (2); qualia etiam sunt sequentia *Dies iræ* ac offertorium (3) : in sequentia cantores nihil prætermittere posse declaravit S. R. C. (4).

2° In missa ea quæ cantorum schola exequi alternatim debet, numquam esse omittenda; sed vel per integrum cantanda, vel si vocibus jungantur organa, partim concinenda, partim sub organis clara voce legenda; symbolo excepto, quod per integrum, si recurrat, semper canendum erit (5).

Consequenter celebrans expectet, donec cantus est finitus, eo magis, quia juxta rubricas hujus tituli cantari debet *Dominus vobiscum* et *Oremus* ante offertorium. *Kyrie*, *Gloria*, tractus, sequentia, *Sanctus*, *Agnus Dei* alternatim per organum suppleri possunt. In missis cantatis sine ministris sacris, organarii et chorus debent semper exequi cantu vel voce intelligibili cum organo omnes partes ex Graduali romano (6).

3° Cantores introitum tantum incipere posse et debere, dum celebrans ad altare pervenit (7), *Sanctus* cantari post præfationem, sed *Benedictus qui venit* juxta Cæremoniale Ep. (8) reservari post elevationem ss. Sacramenti, quæ Cæremonialis dispositio in missis pontificalibus servanda est, et quidem in aliis (9). Si autem *Benedictus* in aliis missis ante

(1) S. R. C. 29 Dec. 1884, n. 3624, XI.

(2) S. R. C. 11 Sept. 1847, n. 2959.

(3) S. R. C. 9 Maji 1857, n. 3051, 1.

(4) S. R. C. 2 Maji 1900, 6.

(5) S. R. C. 10 Mart. 1657, n. 1023, 3; 17 Dec. 1695, n. 3108, 14 et 15; 7 Sept. 1861, n. 1936; 22 Maji 1898, n. 3994; 25 Jun. 1898, n. 3994; Cærem. Ep. lib. 1, c. 28, n. 10.

(6) S. R. C. 25 Jun. 1898, n. 3994, 2.

(7) S. R. C. 14 Ap. 1753, n. 2424, 7; Cærem. Ep. lib. 2, c. 8, n. 30.

(8) Cærem. ibid. n. 71; S. R. C. 12 Nov. 1831, n. 2682, 31.

(9) Quarti p. 2, tit. 7, n. 11; Cavalieri t. 5, c. 14, n. 70. S. R. C. 12 Nov. 1831, n. cit.; 14 Apr. 1753, n. 2424, 6.

Digitized by Google

consecrationem cantetur, post elevationem cantari potest *Tantum ergo* vel aliqua antiphona ss. Sacramento propria (1), dummodo de iis quæ ex Liturgia canenda sunt nihil prætermittatur (2). Ad elevationem cantores in missa omnino silere et adorare debent cum ceteris ss. Sacramentum (3). Communio cantanda est, postquam celebrans sumpserit s. Sanguinem, infra distributionem s. communionis; quæ si non fiat, infra purificationes (4).

112. In ecclesiis, dum officia divina celebrantur, vel ss. Sacramentum manet expositum, non sunt cantanda, quam quæ a Breviario, vel Missali romano in officio de proprio vel de communi pro currenti cujusque diei festo vel sancti solemnitate præscribentur, vel quæ saltem a sacra Scriptura aut s. Patribus desumpta sunt, quæ tamen prius a S. R. C. specialiter approbantur (5). Ita ut cantanda non sint, quam quæ Ecclesia præscribit, vel saltem longæva consuetudo rationabilis atque laudabilis, tacite vel expresse consentientibus locorum Ordinariis, probavit.

Nullæ etiam litaniæ, præter antiquissimas et communes, quæ in Breviario, Missali, Pontificali et Rituali continentur, et præter litanias de B. M. V. quæ in sacra æde Lauretana decantari solent, publice in ecclesiis, publicis oratoriis et processionibus recitari possunt absque licentia et approbatione S. R. Congregationis. Litaniæ ss. Nominis Jesu, Romæ typis cusæ in typographia camerali anno 1862, lingua latina in ecclesiis et in supplicationibus cani ac recitari possunt in Archidiœcesi Mechliniensi; probabiliter in omnibus diœcesibus, pro quibus indulgentiæ 300 dierum easdem litanias

(1) S. R. S. 14 Ap. 1753, n. cit.; 22 Maji 1894, n. 3827, III.

(2) S. R. C. 22 Maji 1894, n. 3827, III.

(3) S. R. C. ib.

(4) Rub. ritu celeb. m. tit. X in fine; Cærem. Ep. loco cit. n. 78; Gavantus p. 1, tit. 13, h, et tit. 17, c.

(5) Ita Alexander VII const. *Piæ sollicitudinis* 23 Ap. 1657. Item Bened. XIV const. *Inter omnigenas* 2 Feb. 1744 præcipit ut orationes præter eas, quæ in ecclesiis receptæ sunt, non admittantur. Vid. Cavalieri t. 4, dec. 171. et Gardellini instr. Clem. § 24, n. 20, et § 31, n. 17-20.

Digitized by Google

recitantibus concessæ per indultum 21 Aug. 1862 extenduntur; et forte ubique, quia licet petitio responsi infrascripti sit particularis, generalis tamen ejus est responsio (1). SS. Dominus Leo papa XIII, decreto 2 Aprilis 1899, ut Litaniæ ss. Cordis Jesu, quas publice recitari vel decantari in ecclesiis et oratoriis diœcesium Massiliensis et Augustodunensis atque Ordinis Visitationis B. M. V. benique jam indulserat (2), ubique terrarum tum privatim, tum publice recitari et decantari in posterum valerent, juxta exemplar ab ipso probatum, concedere dignatus est (3).

Prohibitum etiam est cantare laudes, cantilenas, cantiones vel alia in lingua vulgari, sive in omnibus Missis quæ vel solemniter vel solum in cantu celebrantur, sive exposito ss. Sacramento, aut in ejusdem processione, sive in quacumque functione et officio liturgico solemni. Etenim infra solemnes stricte liturgicas functiores lingua in canticis usurpanda est lingua ritus propria (4). Post datam tamen benedictionem cum ss. Sacramento, clauso tabernaculo, cantus vernacula lingua permittitur (5). Item attenta consuetudine, in quadam diœcesi toleratur usus, carmina vulgari sermone

(1) « S. R. C. consideratis iis omnibus quæ exposuisti relate ad usum » publicum litaniarum ss. Nominis Jesu, præhabito SS. D. N. Pii Papæ IX » oraculo, declarat, easdem litanias ss. Nominis Jesu Romæ typis cusas » in typographia camerali anno 1862, lingua latina publice in ecclesiis » et in supplicationibus cani ac recitari posse; attamen omnino exclusa » versione in aliam linguam, quæ admissa fuit in ista diœcesi Mechli- » niensi pro usu tantum particulari et privato earumdem litaniarum. » 10 Sept. 1863. » Vid. *Rev. Cath.* 1863, fol. 671.

Aliæ litaniæ cum revisione et approbatione Ordinarii edi et a fidelibus adhiberi possunt, non autem publice recitari aut decantari. Dec. s. Off. 18 Ap. 1860; S. R. C. 12 Maji 1877, n. 3419, V; Monitum S. R. C. 16 Junii 1880, in Actis s. Sedis, vol. XIII, fol. 91. Vid. *Revue des sciences ecclésiast.* tom. 4, fol. 564, et tom. 50, fol. 177; *Rev. théol.* 1861, fol. 229; *Nouvelle rev. théol.*, 1880, fol. 471, et 1881, fol. 425-431.

(2) S. R. C. 27 Jun. 1898, n. 3996.

(3) S. R. C. 2 Apr. 1899, n. 4017.

(4) S. R. C. 22 Mart. 1862, n. 3113, 1; 10 Dec. 1870, n. 3230; 21 Jun. 1879, n. 3496, I; 22 Maji 1894, n. 3827, I; 7 Jul. 1894, n. 3830, VII, I, 7.

(5) S. R. C. 5 Aug. 1859, n. 2791, 2.

Digitized by Google

cantandi infra divina officia, coram exposito etiam ss. Sacramento, et in ejusdem processione (1). Etiam, de consensu ordinarii infra missam privatam cani possunt in ecclesia parochiali preces vel hymni lingua vernacula compositi, in honorem sancti vel mysterii, cujus festum agitur (2).

In Missa autem solemni dum per notabile tempus sacra Communio distribuitur, non licet canere aliquid lingua vernacula, neque in solemni Processione ss. Sacramenti, alternatim cum hymnis liturgicis (3). Publicam quarumdem precum, vulgari sermone conscriptarum, recitationem coram ss. Sacramento exposito, sive immediate ante Benedictionem sive post Benedictionem, priusquum reponatur ss. Sacramentum in Tabernaculo, permittit S. R. C. dummodo agatur de precibus approbatis (4).

Imo juxta recentiora decreta, licet sacerdoti coram sanctissimo Sacramento solemniter exposito in lingua vernacula publice recitare preces, v. g. novendiales B. Mariæ Virginis vel alicujus sancti; item actus vel alias preces in honorem sanctissimi Cordis Jesu ad auditum populi fidelis adstantis, ita ut ad istas preces vel actus ipse respondere valeat.

Licet etiam generaliter, ut chorus Musicorum (id est cantores) coram sanctissimo Sacramento solemniter exposito decantet hymnos in lingua vernacula, dummodo non agatur de hymno *Te Deum*, et aliis quibuscumque Liturgicis precibus, quæ nonnisi latina lingua decantari debent (5).

113. Manifestum est ex s. patribus et conciliis, cantum et musicam in officiis divinis unice adhibenda esse, ut Dei laudes solemnius celebrentur, et fidelium mentes ad divinæ majestatis cultum ac cœlestia desideria excitentur. Quapropter omnino curandum est, ut cantus et organorum aliorumque instrumentorum usus in officiis divinis sic ordinentur,

(1) S. R. C. 27 Sept. 1864, n. 3124, 7.
(2) S. R. C. 31 Jan. 1896, n. 3879.
(3) S. R. C. 14 Jan. 1898, n. 3975, V.
(4) 31 Aug. 1867, n. 3157, VIII; 11 Martii 1871, n. 3237, 1.
(5) S. R. C. 27 Febr. 1882, n. 3537 II et III.

Digitized by Google

ut salutaris ille scopus attingatur; omnesque resecandi præcavendique sunt abusus, qui eidem contrarii sunt, aut sanctitati divini cultus qualicumque modo repugnant (1).

2° Cantus planus et firmus, qui Gregorianus dicitur, ille est qui fidelium animos ad devotionem et pietatem excitat : qui, si recte decenterque peragatur in Dei ecclesiis, a piis hominibus libentius auditur, et alteri, qui harmonicus seu musicus dicitur, merito præfertur (2). Illum igitur, ubi in usu est, omnino retineri; ubi abolitus est, restitui, foveri et promoveri convenit, præsertim tempore adventus et quadragesimæ, in matutinis tenebrarum hebdomadæ sanctæ, totoque officio parasceves, in missis defunctorum, maxime vero in sepulturis et exequiis (3).

3° Licet autem cantus Gregorianus præferatur, musicus tamen et etiam instrumentorum musicorum usus permissus, usuque receptus est, et solummodo abusus reprobantur (4). Requiritur tamen 1° ut cantus musicus sit gravis, decorus, suavis ac pius, distinctus et intelligibilis (5). 2° Ut instrumenta musica « *adhibeantur solummodo*, ut monet Bened. XIV (6), *ad vim quamdam verbornm cantui adjiciendam, ut magis magisque audientium mentibus eorum sensus infigatur, commoveanturque fidelium animi ad spirituatium rerum contemplationem, et erga Deum, divinarumque rerum amorem incitentur.* » 3° Ut symphoniæ, quæ solis instrumentis sine cantu fiunt, si in processionibus aliisque officiis adhi-

(1) Dec. Emi Dom. Card. Sterckx, Archiep. Mechl. 1842.

(2) Bened. XIV, const. *Annus* 19 Feb. 1749, § 2, et præsertim S. R. C. De musica sacra ordinatio, 7 Jul. 1894, n. 3830.

(3) Cærem. Ep. l. 1, cap. 28, n. 13, et l. 2, c. 20, n. 4; idem dec. Emi Dom. Card. Sterckx, Arch. Mechl. ad 1. S. R. C. ib.

(4) Bened. XIV in eadem const. § 3, 6 et 7; Luc. Ferraris *musica*, n. 1 et 2.

(5) Idem dec. Emi Dom. Card. Sterckx, Archiep. Mechl. ad 2; Cærem. Ep. l. 1, c. 28, n. 12; Litteræ circulares Emi Cardinalis Vicarii S. S. 13 et 20 Nov. 1856, apud *Analecta juris pontificii* in Majo 1857.

(6) Const. cit. § 12. Quæ instrumenta musica permitti possint, vid. ibid. § 11 et in præfatis litteris circularibus n. 2.

Digitized by Google

beantur, sint graves et ad devotionem excitandam compositæ (1).

Abusus reprobandi et cavendi sunt 1° ne sive organo sive cantu lascivum aut impurum aliquid misceatur, quales musicæ ab ecclesiis arcendæ sunt (2); ut musica nihil profanum, nihil mundanum aut theatrale resonet (3); ne profani moduli introducantur, aut qui levitatem spirent, nimiove strepitu affectus pietatis potius dissipent, quam foveant et excitent; ne instrumenta opprimant voces cantantium, et quasi sepeliant sensum verborum; ne cantiones modulationesve theatrales, militares vel mundanæ ad sacros concentus transferantur; ut a musica sacra amoveatur, quidquid ab illius scopo alienum est, solive curiositati vel oblectationi audientium, aut etiam famæ auctorum inservit (4). 2° Ne textus notabiliter alteretur mutilando, anteponendo, postponendo, atque alterando verba et sensum illorum, ac adaptando modulationi, ita ut musica non verbis et sensui, sed hæc illi inservire videantur : quod indigere reformatione censuit S. R. C. (5). Quapropter præscribit Bened. XIV, et Emus D. Card. Arch. Mech. (6), curandum esse ut verba quæ cantantur, perfecte planeque intelligantur. 3° Ne quæ sub introitu, offertorio, elevatione et communione cantantur, sic protrahantur, ut celebrans expectando sacrificium interrumpere cogatur, et diutius otiosus ad altare distractus hæreat, ita ut non musica missæ, sed missa musicæ famulet (7).

114. Quandonam organum et musicorum cantum adhiberi deceat, enumerat Cæremoniale Ep. lib. 1, c. 28, ubi

(1) Dec. Emi Dom. Card. Sterckx, Arch. Mechl. ad 7.

(2) Conc. Trid. sess. XXII in dec. de obs. et evit. in celeb. m.; Cærem. Ep. l. 1, c. 28, n. 11 et 12. S. R. C. 16 Jan 1677, n. 1588, 7.

(3) Bened. XIV, const. cit. § 2.

(4) Dec. Emi Dom. Card. Sterckx, Arch. Mechl. ad 2, 6 et 8.

(5) 21 Febr. 1643, n. 823, 1.

(6) In cit. const. § 9, et in dec. cit. ad 4.

(7) S. R. C. 2 dec. cit. 21 Feb. 1643,; Bened. XIV, const. cit. § 13; dec. cit. Emi Card. Arch. Mechl. ad 5.

Digitized by Google

n. 9, dicit inter alia pulsari organum, dum in Missa elevatur ss. Sacramentum, sed graviori et dulciori sono (1).

Titulus XVII.

DE ORDINE GENUFLECTENDI, SEDENDI ET STANDI IN MISSA PRIVATA ET SOLEMNI.

Agetur hic non tantum de ordine et modo genuflectendi, sedendi et standi, de quibus præsens titulus missalis tantum agit, sed etiam de inclinatione, elevatione oculorum, osculis, crucis efformatione, junctione et separatione manuum, earum elevatione, variaque positione, ut hic collecta habeantur omnia, quæ diversas spectant actiones, ne alias eadem sæpius sint repetenda.

DE GENUFLEXIONIBUS.

Rub. 1. *In Missa prtvata Sacerdos genuflectit, quando legit Evangelium s. Joannis* In principio, *ad illa verba* Et verbum caro factum est, *et in Evangelio Epiphaniæ,* Cum natus esset Jesus, *ad illa verba* Et procidentes adoraverunt eum. *Item in Evangelio feriæ quartæ post Dominicam quartam Quadragesimæ, ad illa verba in fine,* Et procidens adoravit eum. *Item genuflectit in Dominica Palmarum, et in Missis de Cruce, ad illa verba in Epistola,* In nomine Jesu omne genu flectatur etc. *et quando legitur Passio ad illa verba,* Expiravit *vel* Emisit spiritum, *ut suis locis notatur. Item genuflectit, cum dicit* Flectamus genua. *Item quaudo in Quadragesima dicit in tractu, v.* Adjuva nos Deus etc., *et in omnibus Missis de Spiritu Sancto, cum dicit v.* Veni sancte Spiritus, reple tuorum etc. *Item quando Sacramentum in*

(1) Vid. dec. S. R. C. 11 Sept. 1847, n. 2959, 2; 22 Jul. 1848, n. 2965, 1.

Digitized by Google

Altari discoopertum apparet, genuflectit quoties ante illud transit in medio Altaris : et quandocumque in ordine Missæ et in ritu servando in celebratione Missæ notatur, quod debeat genuflectere.

2. *Circumstantes etc.* Vid. n. 146.

3. *In Missa solemni Celebrans genuflectit ad omnia supradicta, præterquam ad* Flectamus genua *et tunc ipse solus stat, Diaconus vero et Subdiaconus, et omnes alii genuflectunt. Ad versum vero* Adjuva nos Deus, *et ad versum* Veni Sancte Spiritus, *etc. genuflectit usque ad finem. Item genuflectit in die Annuntiationis B. Mariæ, et in tribus Missis Nativitatis Domini, quando cantatur in choro,* Et incarnatus est *etc. Aliis diebus si sedeat, cum cantantur ea verba, non genuflectit, sed caput tantum profunde inclinat apertum; si non sedet, genuflectit.*

4. *Ministri semper genuflectunt cum Celebrante, præterquam Subdiaconus tenens librum ad Evangelium, et Acolythi tenentes candelabra, qui tunc non genuflectunt. Et cum Diaconus cantat illa verba, ad quæ est genuflectendum, ipse versus librum, Celebrans et omnes alii versus Altare genuflectunt.*

5. Vid. n. 146.

6. Vid. n. 145.

7. Vid. n. 146.

---

115. Genuflexio duplex est, unius nempe et utriusque genu. Semper autem intelligitur flexio unius genu, quando sine mora est genuflectendum, nisi ss. Sacramentum sit expositum.

Si fiat unico genu, dimittitur genu dextrum usque ad terram juxta talum pedis sinistri absque ulla capitis inclinatione. Si fiat utroque genu, prius demittitur genu dextrum juxta talum pedis sinistri, et deinde sinistrum genu juxta dextrum.

Not. 1. Celebrans et ministri sacri, si accedendo et recedendo ab altari genuflectere debeant, semper genuflectunt in plano, in infimo autem gradu, quoties alias genuflecten-

Digitized by Google

dum est (1). Inferiores vero ministri semper in plano genuflectere tenentur (2).

2. Celebrans genuflectens ad altare sive uno sive utroque genu, manus hinc inde super altare extendit, ut se sustineat, præterquam ante elevationem s. Hostiæ : et si utroque genu cum pausa ad altare flectat, manus post genuflexionem junguntur ante pectus usque ad surrectionem, ante quam iterum extenduntur super altare. Id tamen soli celebranti convenit, et non sacris ministris, qui genuflectentes manus ad altare non admovent, sed ante pectus junctas tenent.

3. Si sacerdos genuflectat, non stans ad altare, sed in gradibus aut extra altare, manus semper tenet junctas ante pectus, nisi calice aut alio sint impeditæ.

4. Genuflexiones faciendæ sunt corpore et capite erectis, nec unquam caput inclinandum est, nisi utroque genu flectendum sit, quando post genuflexionem non corpus, sed solum caput profunde inclinatur toto tempore genuflexionis, nisi interea aliquid sit agendum, v. g. incensare ss. Sacramentum, quo casu post genuflexionem ante incensationem, et rursus post incensationem ante surrectionem inclinatur.

Ante et post genuflexionem alia etiam reverentia, sive inclinatio sive genuflexio, facienda non est, etiamsi utroque genu sit genuflectendum, v. g. ad *Incarnatus est*, sub elevatione, etc. nisi quis genuflexus orare debeat, v. g. in primo accessu ad altare, ad chorum, aut tabernaculum, in quo casu oraturus primum se inclinat vel genuflectit, quatenus alias transeundo se inclinaret vel genuflecteret; deinde erectus, genuflexus orat; oratione facta surgit, et eamdem reverentiam renovat antequam discedat (3).

5. Genuflectendo ad altare, pes sinister ab antipendio removeri non debet.

6. Omnes genuflexiones non præcipitanter et cum strepitu, sed modeste et reverenter sunt faciendæ.

(1) S. R. C. 12 Nov. 1831, n. 2682, 47.
(2) Bauldry p. 1, c. 14, art. 3, n. 6; Merati p. 2, tit. 6, n. 36.
(3) Cæremoniale Episc. lib. 1, c. 2, n. 5; c. 18, n. 1, 2 et 4.

Digitized by Google

116. In missa privata celebrans unico genu flectere debet 1. in plano ante infimum gradum in accessu ad altare et discessu ab altari post missam; item in infimo gradu altaris post descensum ab altari ad missam incipiendam, si in altari sit tabernaculum, quod actualiter continet ss. Sacramentum (1).

2. Si dicendum sit *Credo* ad *Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria virgine, et homo factus est.*

3. Ante et post elevationem Hostiæ et Calicis.

4. Postquam discooperuit Calicem ante *Per ipsum,* et postquam cooperuit Calicem.

5. Ante et post fractionem Hostiæ.

6. Ante *Domine non sum dignus.*

7. Postquam discooperuit Calicem ante sumptionem s. Sanguinis.

8. In evangelio s. Joannis ad *Verbum caro factum est.*

Alios casus vide supra in rub. n. 1.

Not. celebrantem in missa privata in epistola ad verba *In nomine Jesu* etc., in tractu quadragesimæ *Adjuva nos,* et ad versum *Veni Sancte Spiritus* genuflectere tantum in initio, et statim surgere, ut lectionem commode prosequi possit (2); in *Credo* autem ad *Incarnatus est,* ad *Flectamus genua* et in evangeliis, de quibus in rubricis n. 1, verba cum breviora sint, optime cum genuflexione incipi, et in ipsa genuflexione finiri.

Utroque genu celebrans in missa privata flectere tenetur 1° in primo accessu ad altare, et ante discessum ab altari post missam, si ss. Sacramentum patenter in altari sit expositum (3). 2° Dum in passione legit *Expiravit* vel *Emisit spiritum.*

117. In missa solemni celebrans genuflectit toties et eodem modo ac in missa privata, præterquam ad *Flectamus genua,* ut supra in rubricis dicitur.

2. Insuper genuflectit, dum a choro cantantur tractus

(1) S. R. C. 12 Nov. 1831, n. 2682, 47.
(2) Vinitor p. 1, tit. 17, annot. 3.
(3) S. R. C. 12 Nov. 1831, n. 2682, 49.

Digitized by Google

Adjuva nos, et versus *Veni Sancte Spiritus,* sive stet ad altare, sive sedeat, modo non legat. Similiter genuflectit, cum cantatur *Incarnatus est,* si ipse tunc non legat, neque sedeat. Quamvis autem sedeat, genuflectere tamen debet, dum cantatur *Incarnatus est,* in die annuntiationis B. M. V., et si festum transferatur, in die translationis (1); in tribus missis nativitatis Domini, et ut addi solet in missa aurea, quæ in his regionibus celebratur feria 4 quatuor temporum adventus, in reverentiam tanti mysterii, quod istis diebus potissimum recolitur. Aliis autem diebus, si sedeat ad *Incarnatus est,* caput tantum inclinat. Not. hanc genuflexionem fieri in supremo gradu altaris seu in suppedaneo, si non sedeat; et in infimo gradu laterali a parte Epistolæ, si jam sedeat (2). 2° Utroque genu cum capitis inclinatione (3) esse flectendum usque ad finem verborum sub quibus est genuflectendum. 3° Omnes de choro, nemine excepto, teneri genuflectere.

3. Genuflectit unico genu in infimo gradu altaris, dum post sessionem ad altare regreditur, si habeatur tabernaculum clausum.

4. Si in altari fuerit tabernaculum clausum, genuflectit ad incensationem, accepto thuribulo, antequam incipiat incensationem, et quotiescumque transit ante medium Altaris (4). Item dum expositum ss. Sacramentum loco crucis est incensandum, flectit utroque genu in suppedaneo seu supremo gradu altaris.

118. In missa solemni diaconus et subdiaconus genuflectunt unico genu, I. quotiescumque ad altare accedunt, vel ab eo recedunt, si clausum ibidem habeatur ss. Sacramenti tabernaculum. Si non detur tabernaculum, in iisdem casibus genuflectere rubricis conformius dicendum est, præcipue in primo accessu et ultimo discessu, ad distinctionem celebrantis, qui se tantum inclinare tenetur (5).

(1) S. R. C. 16 Jun. 1663, n. 1268.
(2) Cavalieri t. 5, c. 12, n. 66.
(3) S. R. C. 23 Maji 1846, n. 2915, 6.
(4) Rub. in ritu celeb. m. tit. IV, n. 6.
(5) Vid. dec. S. R. C. 2 Dec. 1684, n. 1741, et 28 Jul. 1685, n. 1754.

Digitized by Google

II. Juxta rubricas in ritu celebrandi missam debent genuflectere inter consecrationem et communionem semper in loco, a quo recedunt non autem in loco, ad quem accedunt, excepto subdiacono qui reversus ab incensatione sacramenti ad elevationem in missa solemni de *Requiem* genuflectere debet in medio tantum. Quum autem transeunt de uno latere celebrantis ad alterum, non quidem a tergo celebrantis seu in transitu altaris, sed in loco a quo recedunt et ad quem accedunt, genuflectere debent (1).

III. Ante consecrationem et post communionem debent genuflectere, juxta rubricas in ritu celeb. m. tit. IV, n. 7, infra incensationem, cum transeunt ante crucem; item juxta tit. IV, n. 4, subdiaconus in medio altaris, antequam cantat epistolam, et postquam eam cantavit, et juxta tit. VII, n. 9, postquam accepit patenam, et descendit ad medium ante altare, sive habeatur tabernaculum ss. Sacramenti, sive non. Pro aliis casibus, in quibus diaconus et subdiaconus infra missam ante consecrationem et post communionem locum mutare debent, rubricæ ullam reverentiam expresse non præscribunt. Unde inter auctores quidam nullam reverentiam, alii capitis inclinationem, alii genuflexionem exigunt (2). Nullam autem reverentiam esse faciendam admitti nequit : inde enim sequeretur nullam etiam faciendam esse in ipsis casibus, in quibus celebrans reverentiam exhibere debet, ut in accessu et discessu ab altari, ubi de ministris nihil præscribitur; quod certo non est admittendum. Plures auctores dicunt diaconum et subdiaconum, et a fortiori inferiores ministros, ad distinctionem celebrantis qui tantum inclinationem cruci altaris facere tenetur, genuflectere debere, quandocumque ad medium altaris accedunt, ab eo recedunt, vel transeunt ante medium (3). Genuflexio rubricis

(1) S. R. C. 9 Jun. 1899, n. 4027.

(2) Vid. Bouvry, p. 3, sect. 3, tit. 4, rub. 7; De Conny, liv. 1, chap. 7.

(3) Gavantus, p. 2, tit. 2, n. 5, c; Merati de missa solemni ubique; Cavalieri, t. 3, dec. 174, n. 3 et 14, et t. 5, c. 10, n. 25, ac c. 14, n. 71; Vinitor p. 4, tit. 2, annot. 12; Dumoulin de off. subd. c. 2, n. 5, et c. 4, n. 1; Janssens p. 2, 2, tit. 3, n. 11; Romsée t. 2 de off. subd. art. 3, n. 1.

Digitized by Google

etiam conformior dici debet, 1° quia, cum in tribus prædictis casibus genuflexionem præscribant, idem de aliis, in quibus eadem est ratio, dicendum esse videtur; 2° quia omnes clerici, transeundo ante altare, genuflectere debent juxta cæremoniale Ep. lib. I, c. 18, n. 3; 3° quia diaconus infra absolutionem defunctorum cum celebrante circumeundo tumulum, debet genuflectere cruci, e cujus conspectu recedit, et ante quam transit; 4° quia favent decreta S. R. C. (1). Opposita tamen consuetudo, extra tres casus in rubricis expressos, iisdem contraria dici non debet, quia expresse nihil præscribunt. Hucusque sententiæ auctorum. Prodiit autem nuper norma tenenda pro genuflexionibus a diacono et subdiacono peragendis in altari, et dubium quod e pluribus diœcesibus hoc super negotio sibi propositum fuerat, resolvit S. R. C. Dum ab uno latere ad aliud transeunt diaconus et subdiaconus, Sacramento non extante super altari, semper genuflectunt et tantum in medio. Dum ab uno latere pergunt in medium et dum e medio ascendunt ad altare aut vice versa, diaconus et subdiaconus, sacramento extante super altari, agunt uti sub II dictum fuit; sacramento non extante super altari, numquam genuflectunt, præter subdiaconum quando, accepta patena, vadit post celebrantem ante medium altaris; et, facta genuflexione, ibi stat (2).

Not. 1° diaconum et subdiaconum non genuflectere cruci sacristiæ (3) neque etiam reliquiis positis in altari (4).

Not. 2° per medium altaris, coram quo reverentia est exhibenda, intelligi locum, qui medio correspondet, sive sit prope altare, sive in gradibus, sive in plano. Per medium autem ordinarie non intelligitur cornu epistolæ aut evangelii; ita ut celebrans et ministri sacri post *Kyrie eleison* ad sedes accedentes, ad medium altaris sese convertere, eique reverentiam facere non teneantur; itemque acolythus qui ad offertorium ampullas affert, genuflectere non debeat.

(1) 22 Dec. 1612, n. 306; 2 Dec. 1684, n. 1741; 28 Jul. 1685, n. 1754.
(2) S. R. C. 9 Jun. 1899, n. 4027.
(3) S. R. C. 18 Dec. 1779, n. 2515, 5.
(4) Lohner p. 3, tit. 2, § 1, n. 7.

Digitized by Google

IV. Diaconus et subdiaconus, prævie non genuflexi, si non sint occupati, et stent sive juxta celebrantem sive post eum, semper genuflectere debent uno vel utroque genu in iisdem casibus, in quibus et prout celebrans genuflectit, uti in rubricis hujus tituli n. 4 expresse præscribitur, præter subdiaconum tenentem librum ad evangelium aut patenam et præter acolythos tenentes candelabra (1).

V. Sacri ministri genuflectere debent utroque genu infra consecrationem et benedictionem in fine missæ; item diaconus dum legit *Munda cor*, petit benedictionem ad evangelium, et expectat pacem; et similiter subdiaconus, dum post cantatam epistolam osculatur manum celebrantis, et ab eo denedicitur.

Quando sit genuflectendum exposito ss. Sacramento, vide tom. II, n. 36.

119. Clerici transeuntes ante crucem altaris majoris, ad altare accedentes, aut ab eo recedentes, sive intra sive extra missam, genuflectere tenentur, exceptis celebrante, Prælatis et canonicis ecclesiæ cathedralis, qui sese tantum inclinant(2). Hoc autem non extenditur ad canonicos ecclesiæ collegiatæ, canonicos regulares, aut alios, nisi ex consuetudine aut privilegio (3), aut nisi simul incedant eodem ordine et gradu cum canonico ecclesiæ cathedralis (4). Ita ut omnes, exceptis canonicis ecclesiæ cathedralis et aliis supradictis, ante crucem altaris majoris etiam extra missam genuflectere debeant, eo magis quia genuflexio ante Episcopum præscribitur. Quod autem in parasceve Domini genuflexio specialiter præscribatur, intelligendum est de canonicis aliisque, qui alio tempore non genuflectunt.

Ante tabernaculum ss. Sacramenti omnes, tam prælati, canonici et dignitates, quam cæteri clerici, genuflectere debent. Idem præstandum est ad altare, in quo celebratur, a

(1) Janssens p. 2, 2, tit. 2, n. 11.

(2) Cærem. Ep. lib. 1, c. 18, n. 3.

(3) Vid. dec. S. R. C. 12 Apr. 1823. 2625 et adnotationes super ipso in vol. IV. p. 251; *atque heic.* Praxis Pontif. tom. 1, n. 150, e.

(4) S. R. C. 22 Dec. 1612, n. 306.

Digitized by Google

consecratione usque ad communionem, in quo casu utroque etiam genu juxta aliquos genuflectendum est, quod vid. in Praxi Pontificali t. 1, n. 170, et etiam hoc tom. 1, n. 200.

120. Genuflexio in rubricis præscribitur, quia est actus supremus adorationis, humiliationis et submissionis, qui missæ sacrificio officioque divino maxime convenit, ut homo Deum adoret, vilitatem suam agnoscendo, seque quodammodo in nihilum redigendo ante divinam majestatem, non tantum spiritu sed et toto corpore, non dictis tantum sed et facto.

DE INCLINATIONE.

Prænot. vocem *reverentia*, quæ frequenter in rubricis occurrit, esse nomen genericum, quod sub se habet plures species, scilicet inclinationes omnes, imo et genuflexionem, ponique in rubricis juxta specificam significationem, quæ rei convenit, cui fit reverentia (1).

121. Inclinatio duplex est, corporis scilicet et capitis. Item inclinatio corporis subdividitur in profundam et mediocrem; et inclinatio capitis in profundam, mediam et parvam.

Profunda corporis inclinatio est, qua medietas corporis totaliter est inclinata, seu quæ fit tali corporis depressione, ut brachiis cancellatis, cum extremitate digitorum tangi possit utrumque genu, seu, uti in missa ordinarie sufficit, ut frons fere tangat partem superiorem altaris.

Mediocris corporis inclinatio mediat inter profundam corporis et inclinationem capitis; fit capitis et modica humerorum inclinatione; et ordinaria ejus regula esse potest talis depressio humerorum, ut frons æquet pallam super calicem positam.

Not. ut hæc et præcedens inclinatio corporis in altari decenter fiat, pedes medio circiter passu ab antipendio esse removendos.

(1) Gavantus p. 2, tit. 2, a.

Digitized by Google

Profunda capitis inclinatio fit magna capitis depressione, quæ secum trahit aliquam humerorum inclinationem; media notabili solius capitis depressione, et parva levi tantum capitis depressione. Profunda correspondet cultui latriæ, media cultui hyperduliæ et dirigitur ad B. M. V., parva cultui duliæ, et ad alios sanctos et homines viventes dirigitur.

Not. ante inclinationem non esse oculos elevandos, nisi præscribatur.

122. Versus quod objectum inclinatio dirigi debet?

R. Si inclinatio pro objecto habeat cultum latriæ, ut ad *Gloria Patri, Oremus*, nomen Jesu, in transitu altaris, etc., extra evangelium et non præsente ss. Sacramento, semper dirigenda est ad crucem altaris, quia crux est objectum principale altaris. In evangelio autem, dum nominatur ss. nomen Jesu, caput missali inclinari debet ob dignitatem evangelii, quod propria Christi verba continet; si autem celebrat sacerdos coram ss. Sacramento patenter exposito, versus idem venerabile sacramentum inclinatio facienda est quotiescumque in lectione Evangelii pronuntiat nomen Jesu (1). Præsente ss. Sacramento post consecrationem aut eodem patenter exposito, omnes inclinationes versus illud sunt dirigendæ.

2. Inclinatio ad nomina B. M. V., aliorum sanctorum et summi Pontificis dirigenda est versus librum seu nomen in libro expressum, nisi in loco principali altaris habeatur statua aut imago B. M. V. vel sancti, ad quam, quia expressius repræsentat, caput inclinatur (2).

Not. idem fieri in missa solemni, præterquam in evangelio, in quo ad nomen Jesu solus diaconus, dum cantat, caput versus librum inclinat, et omnes alii versus crucem altaris.

123. Profunda corporis inclinatio in missa fieri debet 1. In accessu ad altare, et cum sacerdos descenderit, ut missam incipiat, si non habeatur tabernaculum, quod actualiter continet ss. Sacramentum.

(1) S. R. C. 30 Nov. 1895, n. 3875, IV.
(2) S. R. C. 15 Feb. 1892, n. 3767, XXV.

Digitized by Google

2. Infra *Confiteor*, donec minister responderit *Misereatur* et ipse *Amen*.

3. Ad *Munda cor, Jube Domine, Dominus sit* etc.

4. Ad *Te igitur* initio canonis.

5. Ad *Suppliees te rogamus* (1).

124. Mediocris corporis inclinatio fieri debet :

1. Ad *Deus, tu conversus vivificabis nos* usque ad *Oremus* inclusive ante *Aufer a nobis*.

2. Ad *Oramus te, Domine,* usque ad *quorum reliquiæ*.

3. Ad *In spiritu humilitatis*.

4. Ad *Suscipe sancta Trinitas*.

5. Ad *Sanctus* usque ad *benedictus*.

6. Ad orationes ante communionem.

7. Ad *Domine, non sum dignus*.

8. Ad communionem s. Hostiæ.

125. Profunda capitis inclinatio in missa debet fieri :

1. Ante egressum e sacristia et post regressum ad crucem aut imaginem.

2. Signaculis missalis accommodatis, celebrans rediens ad medium altaris, caput cruci inclinat, antequam descendat, ut confessionem faciat (2).

3. Ad *Gloria Patri* post psalmum *Judica*, ad introitum et post psalmum *Lavabo*.

4. Ad *Gloria in excelsis*, dum dicit *Deo, Adoramus te, Gratias agimus tibi, Suscipe deprecationem nostram*.

5. Quoties nominatur ss. nomen Jesu, aut Jesu Christi, item ss. Trinitatis, nisi sacerdos prævie sit inclinatus.

6. Quotiescumque dicit *Oremus*.

7. Si ipse celebrans missale deferat, caput cruci inclinat, dum transit ante medium altaris.

8. Ad *Credo* dum dicit *Deum*, et *Simul adoratur*.

9. In præfatione ad *Gratias agamus*, dum dicit *Deo nostro*.

10. Ad utrumque *Memento*.

11. Ad utramque consecrationem, dum dicit *Tibi gratias*

(1) Merati p. 2, tit. 2, n. 2.

(2) Rub. in ritu celeb. tit. II, n. 4.

Digitized by Google

agens, et dum profert verba consecrationis, nisi hoc casu ob nimiam altaris depressionem humeros etiam inclinare oporteat.

12. Ad *Per Christum Dominum nostrum* ante *Nobis quoque peccatoribus*.

13. Ad tria *Agnus Dei* (1).

14. In Quadragesima ad *Oremus*, ante *Humiliate capita vestra Deo*.

15. In fine missæ ad *Placeat tibi s. Trinitas* etc. (2).

16. Ad *Benedicat vos omnipotens*, dum dicit *Deus*.

17. Finita missa ante gradus altaris, antequam sacerdos discedat, nisi propter tabernaculum, quod ss. Sacramentum continet, sit genuflectendum (3).

18. Quandocumque celebrans ante medium altaris transit, ad illud accedit, aut ab eo recedit, nisi prævie sit inclinatus, vel mox inclinandus, vel major reverentia, aut osculum altaris fieri debeat. Quidam tamen inter recentiores hoc negant, quia præter casus supra ad 2 et 7 allatos, rubricæ illas inclinationes non præscribunt, et praxis romana has non observat, nec admittit. Plures autem illas inclinationes probant et admittunt, 1° quia ex casibus, in quibus præscribuntur, idem pro similibus implicite concludendum est; 2° quum inclinationes præscriptæ sæpius justo minores fiant et etiam negligantur, de earumdem praxi et observatione difficulter constare potest; illas autem Romæ fuisse observatas constat ex Merati aliisque illius temporis auctoribus, qui illas sine contradictione admittunt et proponunt; 3° si sacerdoti caput non sit inclinandum nisi in casibus expressis, sequeretur nec sacris ministris suum caput esse inclinandum, nisi præscribatur, quod tamen, ut n. 118 dictum est, admitti non potest; 4° sicut celebrans, exposito ss. Sacramento genuflectit, quandocumque accedit, vel recedit a medio altaris, vel transit ante medium juxta rubricas in

(1) Rub. in ritu celeb. tit. X, n. 3.
(2) Rub. in ritu celeb. tit. XII, n. 1.
(3) Rit. celeb. tit. XII, n. 6.

Digitized by Google

cœna Domini; sic alias ei in iisdem casibus cruci caput inclinandum esse, rationabiliter dici debet. Consulta S. R. C. (1) simpliciter respondit : *Serventur rubricæ*. Cum igitur S. Congregatio a quæstione dirimenda abstinuerit, obligatio has inclinationes sive faciendi sive omittendi non est imponenda. Cum sancto tamen Alph. de Ligorio (2) dicendum est, in accessu vel recessu a medio altaris semper laudabiliter fieri inclinationem versus crucem (3).

126. Media capitis inclinatio fit ad nomen Mariæ, ubicumque occurrit, licet de ea nec missa nec specialis commemoratio fiat.

' Parva autem capitis inclinatio ad nomen sancti aut sanctæ cujus missa celebratur, vel specialis fit commemoratio, quotiescumque profertur in oratione, canone aut alibi, exceptis nominibus, quæ occurrunt in titulis evangelii et epistolæ; item ad nomen Papæ in oratione propria et in canone, et similiter ad nomen Episcopi, quando ejus collecta dicitur (4).

Not. in missa de *Requiem* non fieri inclinationem capitis in canone aut alibi, si exprimatur nomen sancti, de quo illo die fit officium vel commemoratio, quia missa de *Requiem* nihil habet commune cum officio diei. 2° Caput tantum inclinandum esse ad nomina sanctorum, de quibus fit commemoratio specialis ratione semiduplicis, octavæ aut simplicis; non autem ad nomina illorum, de quibus fit mentio in oratione *A cunctis*, aut de quibus oratio ad libitum recitatur. 3° Inclinationem tantum deberi nominibus propriis, sub quibus sancti ab Ecclesia coluntur, uti est Petrus, Paulus, non autem Simon Barjona, Saulus, nec nomen *Maria* quod reperitur in communione assumptionis B. M. V. quia verba tantum applicantur B. Mariæ (5). 4° Semel tantum caput esse inclinandum, dum

(1) 12 Nov. 1831, n. 2682, 27.

(2) De cæremoniis missæ c. 3, n. 17 et c. 18, n. 8.

(3) Vid. Hyppolytus a portu p. 1, tit. 2, Rub. 4, n. 1; Gavantus p. 2, tit. 2, r; De Conny liv. 2, art. 1; *Rev. théol.* Octob. 1859, fol. 571, n. 26 et 27.

(4) S. R. C. 13 Mart. 1700, n. 2049, 3; 13 Feb. 1892, n. 3767, XXV.

(5) S. R. C. 7 Dec. 1844, n. 2872, VI.

Digitized by Google

plura sanctorum nomina simul junguntur, ita tamen ut inclinatio duret a primo usque ad ultimum.

127. In missa solemni celebrans caput inclinare debet toties et eodem modo ac in missa privata, et præterea dum in evangelio, *Gloria* et *Credo* cantantur ea, ad quæ alias caput inclinare debet, nisi ipse interea legat. Item profundam corporis inclinationem facere debet, dum post sessionem ad altare regreditur, si tabernaculum non habeatur.

Diaconus et subdiaconus semper cum celebrante caput inclinant, dum celebrans clara voce recitat aut cantat ea, quæ inclinationem exigunt, sive stent juxta celebrantem, sive post ipsum, nisi aliunde sint occupati : sicut enim juxta dicta n. 118, ad 4, semper cum celebrante debent genuflectere, sic pariter se inclinare. 2° Dum mutant locum, si non genuflectant, caput saltem profunde inclinare debent, prout num. 118, ad 3, dictum est. 3° Caput inclinant cum celebrante, quoties in choro cantantur ea, quæ inclinationem exigunt; item dum sibi invicem dant pacem, et ante ac postquam aliquem incensant. 4° Mediocriter, seu caput et humeros inclinare debent ad *Deus, tu conversus* etc. et alios versus post *Confiteor*, ad *Sanctus* et ad *Domine, non sum dignus*. Ad *Agnus Dei* autem caput tantum profunde inclinant. 5° Corpus profunde inclinare debent, dum sua vice recitant *Confiteor*, ad communionem utriusque speciei, item si non genuflectant, quoties ad altare accedunt vel ab eo recedunt.

128. Inclinatio in missa præscribitur, quia sicut genuflexio, sic etiam inclinatio est actus adorationis, honorationis et humiliationis, qui proinde, quia faciliter et ubique inter actionem et lectionem fieri potest, optime convenit, ut homo etiam actu adoret, seque coram Deo humiliet ac sanctos honoret.

Diversæ quoque inclinationes præscribuntur, prout res, cui fit reverentia, positio celebrantis aut ejus verba majorem aut minorem humiliationem exigere videntur, ut sic missæ sacrificium decoro ordine persolvatur.

Digitized by Google

DE ELEVATIONE OCULORUM.

129. Elevatio oculorum fit dupliciter, scilicet eosdem statim demittendo, et continuate elevando. Semper elevari debent ad crucem altaris, eamdem aspiciendo (1), præterquam ad elevationem s. Hostiæ et Calicis, et exposito ss. Sacramento, in quibus casibus ad ss. Sacramentum elevandi sunt. Si crux tamen sit valde eminens, sufficit oculos versus eamdem elevare. Et notandum est non caput sed oculos esse elevandos.

Oculi sunt elevandi statim demittendo 1. ad *Munda cor.*

2. Ad oblationem hostiæ sub verbis : *Suscipe, sancte Pater.*

3. Ad *Veni, sanctificator.*

4. Ad orationem *Suscipe, sancta Trinitas.*

5. Initio præfationis post *Gratias agamus* ad *Deo nostro.*

6. Initio canonis ad *Te igitur.*

7. Ante consecrationem hostiæ ad *Elevatis oculis.*

8. Ad benedictionem in fine missæ, dum dicitur *Benedicat vos.*

Continuate elevandi sunt ad oblationem calicis toto tempore orationis *Offerimus,* et toto tempore elevationis s. Hostiæ et Calicis.

Oculi insuper tenentur intenti ad ss. Sacramentum 1° infra *Memento* defunctorum, dum sacerdos privatim orat, 2° per totam orationem dominicam, 3° ad tres orationes ante communionem.

Praeter casus enumeratos elevare oculos est contra vel saltem præter rubricas.

Elevantur oculi 1° ut sacerdos Christum imitetur, qui Patrem oraturus, sæpius et præcipue in ultima cœna oculos elevavit; 2° ut verbis et actione Deum alloquatur, suamque mentem et attentionem per exteriorem oculorum elevationem ad Deum dirigat; 3° quia actiones et preces, ad quas elevandi sunt, illorum elevationem quasi exigunt.

(1) S. R. C. 22 Jul. 1848, n. 2960, 3.

Digitized by Google

DE OSCULIS ALTARIS ET ALIORUM.

130. I. Osculum altaris fieri debet in medio altaris, ipsum altare tangendo, manibus hinc inde æqualiter super altare extensis : ideoque præstat, parum ab altari retrocedere, et anteriorem partem corporalis aliquantulum a fronte altaris removere, ut sacerdos altare in medio et sine attactu hostiæ osculari possit.

II. Sacerdos osculari debet altare 1. in oratione *Oramus te, Domine* ad *quorum reliquiæ hic sunt.*

2. Quotiescumque se ad populum vertit, dicturus *Dominus vobiscum,* quod quater contingit, 1° ante orationem, 2° ante offertorium, 3° ante postcommunionem, et 4° ante *Ite missa est.*

3. Ante *Orate fratres.*

4. Initio canonis in oratione *Te igitur,* dum dicit : *Uti accepta habeas, et benedicas.*

5. Post consecrationem in oratione *Supplices* cum dicit : *Ex hac altaris participatione.*

6. Si detur pax, antequam dicat *Pax tecum.*

7. In fine missæ post orationem *Placeat,* etiamsi non detur benedictio.

III. Celebrans præterea osculari debet amictum, manipulum et stolam, antequam se iisdem induat, in medio, ubi est Crux. Item consuetudo habet, ut sacerdos eas vestes osculetur, dum post missam se exuit, et etiam stolam, quotiescumque ad alias functiones se ea induit aut exuit.

2. Lecto primo evangelio osculari debet principium evangelii, præterquam in missis defunctorum, aut nisi celebret coram Pontifice, Cardinali, Legato aut Episcopo in eorum residentiis.

3. Patenam osculari debet in oratione *Libera nos,* postquam se ea signaverit, in superiori parte, non autem in ea parte, in qua s. Hostia est ponenda.

IV. In missa solemni celebrans osculari tenetur omnia et sola illa ac in missa privata.

Digitized by Google

Ministri autem 1, sese induendo et exuendo osculari debent amictum et manipulum, ac diaconus etiam stolam.

2. Osculari debent manum celebrantis, diaconus post acceptam benedictionem ante evangelium, et subdiaconus post epistolam, antequam accipiat benedictionem.

3. Diaconus osculari debet altare, antequam a celebrante pacem recipiat.

4. Diaconus, quisquis sit, etiamsi canonicus (1), quotiescumque celebranti quidquam porrigit, prius osculatur instrumentum quod porrigit, et deinde manum celebrantis in parte exteriori; si autem quidquam recipiat, prius osculatur manum celebrantis, et deinde illud quod recipit. In missa tamen de *Requiem* manum aut rem numquam osculatur. An et quænam oscula omittantur in missa, exposito ss. Sacramento, dicetur tom. II, n. 36.

Thuriferarius et acolythi aliive ministri inferiores numquam osculantur manum diaconi aut subdiaconi, neque instrumenta quæ iis porrigunt, quia oscula debentur soli celebranti. Si vero celebranti immediate ministrent, osculantur ipsa instrumenta, quæ porrigunt aut recipiunt, non autem manum celebrantis juxta rubricas in ritu celebrandi tit. VII, n. 4.

V. Osculum altaris considerari potest non tantum ut salutatio altaris, et ut signum reverentiæ in rem sacram, sed etiam ut signum amoris et devotionis erga Christum, qui per altare figuratur : et ideo extenduntur manus, ut sacerdos Christum quasi complectatur, ad obtinendum tum sibi, tum aliis ejus benedictionem et benevolentiam. Prima osculatio altaris infra orationem *Oramus te Domine* considerari etiam potest ut signum venerationis erga sanctos in altari quiescentes, ut sacerdos eorum intercessionem efficacius consequatur. Alia oscula considerari possunt ut signa venerationis erga rem sacram aut celebrantem qua Christi ministrum.

(1) S. R. C. 31 Maji 1817, n. 2578, 5.

Digitized by Google

DE CRUCIS EFFORMATIONE.

131. Quoad crucis formationem generaliter notanda sunt sequentia :

1. Cruces fiunt extensis et unitis omnibus digitis dextræ manus, etiam in formando transversam partem crucis (1), nisi sit inter consecrationem et communionem, quo tempore pollices et indices utriusque manus tenentur conjuncti, reliquis digitis extensis et unitis.

2. Sacerdos seipsum signans, sinistram non impeditam semper ponere debet infra pectus, ut sit extra terminos crucis faciendæ, non autem inferius; alia autem signans, si stet ad altare, sinistram non impeditam supra altare deponere debet, præterquam ad signationem evangelii, quando eamdem super librum ponit; et si non stet versus altare, sinistram infra pectus ponere debet.

3. Sacerdos seipsum aut alia signans, semper erectus et numquam inclinatus, stare debet.

4. Ad quamlibet lineam aut contactum verba diligenter sunt dispensanda. Ad quod notari potest, illas syllabas aut verba, quæ crucem in missali depictam præcedunt, esse pronuntianda, dum prior linea recta efformatur; quæ autem sequuntur, dum linea transversa efficitur.

5. In omni signatione aut benedictione alicujus rei parvus digitus, sed unitus cum reliquis digitis, vertendus est ad rem, cui benedicitur.

6. Extensio et mensura linearum crucis desumuntur ab extremitate parvi digiti.

7. Mensura crucis major aut minor esse debet pro objecto, quod benedicitur. Lineæ tamen tam parvæ esse non possunt, ut crux vix distinguatur, sed neque tam longæ, ut rei signandæ latitudinem multum excedant. Unde ad benedictionem in fine missæ prima linea frontem et pectus, et altera transversa humerorum latitudinem non excedat; similiter in sig-

(1) S. R. C. 4 Aug. 1663, n. 1275, 4, et 24 Jul. 1683, n. 1711, 6.

Digitized by Google

natione hostiæ et calicis horum latitudinem nihil vel non multum superent signationis lineæ.

8. Ante omnem signationem alicujus rei manus ante pectus jungendæ sunt, nisi alterutra sit impedita.

9. Post factam primam lineam rectam, manus seu parvus digitus linea recta reducendus est ad medium illius lineæ rectæ, et ita procedi debet ad alterius transversæ lineæ formationem : alias enim formatur, non signum crucis, sed tantum illius species seu potius circulus quidam.

10. Omnes cruces exacte, distincte et modeste sunt formandæ, et manus nullatenus cum præcipitatione est agitanda.

132. Celebrans seipsum signat hoc modo : sinistra infra pectus, sed tamen supra cingulum posita, vertit ad se palmam manus dextræ, et illius extremitate, omnibus digitis extensis et junctis (post consecrationem pollice et indice unitis) physice tangit 1° frontem, 2° pectus, et deinde relevata dextra circa superiorem partem pectoris 3° tangit humerum sinistrum, et 4° manu parum incurvata humerum dextrum, debite dispensans verba ad singulos contactus. Deinde non est tangendum medium pectoris, neque digitus aut manus osculanda, neque manus jungendæ, nisi quod sequitur, sit dicendum manibus junctis (1).

133. Celebrans hostiam et calicem simul signat hoc modo : ante signationem manus ante pectus junguntur; deinde manus sinistra ante consecrationem super altare extra corporale, et post consecrationem super corporale deponitur; et dextra extensis et unitis digitis, ut dictum est supra not. 1, constituitur super calicem, sic ut extremitas parvi digiti medio pallæ respondeat : tum dextra super hostiam retrahitur linea omnino recta, in æquali altitudine, nihilque eam deprimendo versus hostiam, sic ut manus cum extremitate parvi digiti super hostiam perveniat : deinde manus seu extremitas parvi digiti linea recta et in æquali altitudine reducitur ad medium anterioris partis pallæ, et digitis similiter unitis et extensis transfertur ad angulum pallæ versus cornu evan-

(1) Bissus S. n. 18.

Digitized by Google

gelii, atque cum extremitate parvi digiti describitur tota pallæ anterior pars, in æquali semper altitudine, manumque minime demittendo.

Ad signandam autem solam hostiam vel dextra demittitur usque ad nodum calicis, in cujus altitudine tota crux formatur; vel tenetur in altitudine pallæ super calicem positæ, ita ut si calix prius signetur, celebrans manum suam tantum versus se retrahat (1). Hæc crux tantum parva esse debet, ita ut ejus lineæ latitudinem hostiæ non multum excedant. Prima linea ducitur super hostiam a parte calicis versus celebrantem, eaque facta parvus digitus reducitur ad medium hostiæ, tuncque transfertur versus cornu evangelii, et fit linea transversa, quæ primam secat in medio hostiæ, æque longa est, et in æquali altitudine ac prima.

Eodem modo signatur solus calix, cujus palla nisi extraordinariæ sit latitudinis, mensura crucis esse debet: ita ut prima linea ducatur ab extremitate illius posteriori usque ad extremitatem anteriorem, et parvo digito ad medium pallæ reducto, et tum translato ad extremitatem pallæ a parte evangelii, altera linea fiat manum ducendo ad extremitatem pallæ a parte epistolæ. Dum signatur calix ante consecrationem, hujus crucis lineæ cuppam calicis vix, vel etiam non, excedere debent. Item quando cum s. Hostia ad *Per ipsum*, et cum ejus particula ad *Pax Domini*, calix ter signatur; lineæ tantum ducuntur a labio calicis ad labium, ita quidem ut sacra species calicem non tangat.

Ex dictis patet, quomodo aliæ cruces in missa fiant; et plura dicentur p. II, dum de singulis in particulari agetur.

134. Celebrans seipsum cruce signat: 1. ter initio missæ, dicens *In nomine Patris* etc., *Adjutorium nostrum* etc., et *Indulgentiam* etc.

2. Incipiens introitum, exceptis missis de *Requiem*, in quibus signat librum.

3. In fine *Gloria* et *Credo*.

(1) Merati p. 2, tit. 8, n. 16; s. Alph. de Ligorio in lib. de cærem. m. c. IX, n. 8.

Digitized by Google

4. Ad utrumque evangelium signat se in fronte, ore et pectore.

5. Post *Sanctus* dicens *Benedictus* etc.

6. Post consecrationem in oratione *Supplices*, dicens *omni benedictione.*

7. Cum patena in oratione *Libera* dicens *da propitius pacem.*

8. Cum s. Hostia et Calice ante utriusque sumptionem.

Oblata signat : 1. in oratione *Veni Sanctificator*, dicens *benedic.*

2. In canone infra orationem *Te igitur* ter, dicens *hæc dona* etc.

3. In oratione *quam oblationem* ter super hostiam et calicem simul; et semel super hostiam, et semel super calicem.

4. Ante consecrationem hostiæ et calicis dicens *Benedixit.*

5. Post consecrationem in oratione *Unde et memores* ter super hostiam et calicem simul, et semel super hostiam, et semel super calicem.

6. In oratione *Supplices* semel super hostiam dicens *Corpus*, et semel super calicem dicens *Sanguinem.*

7. In oratione *Per quem* etc. signat ter super hostiam et calicem simul, dicens *Sanctificas* etc.

8. Dicens *Per ipsum* etc., item *Pax Domini* etc. cum hostia et in posteriori casu cum ejus particula ter signat super calicem.

Alias facit signationes : 1. Ad utrumque evangelium pollice signat ejusdem initium.

2. Post oblationem hostiæ cum patena, et post oblationem calicis cum eodem efformat crucem super corporale, antequam hostia aut calix deponatur.

3. Signat aquam, antequam in calice misceatur, exceptis missis de *Requiem.*

4. Post *Per ipsum* ante *Pater noster*, dicens *Patri omnipotenti* etc. cum s. Hostia duas cruces efformat inter calicem et pectus suum.

5. In fine missæ populum benedicit, exceptis missis de *Requiem.*

Digitized by Google

6. In missis de *Requiem* signat librum ad initium introitus.

7. In missa solemni benedicit incensum ante incensationem; item subdiaconum post cantatam epistolam, et diaconum ante evangelium.

135. Signa crucis in missa formantur et repetuntur, quia crux, tanquam præcipuum passionis et mortis Domini instrumentum, 1° est causa et fons omnis benedictionis, et sic dum verba benedictionis occurrunt, crucis formatio præscribitur; et 2° optime repræsentat Christi Domini passionem et mortem, in cujus commemorationem missa offertur; quapropter dum hostia, panis, calix, corpus, sanguis nominantur, regulariter signatio fieri debet. Crucis igitur formationes sunt signa benedictionis et gratiarum, atque commemorationes passionis et mortis Christi Domini. Licet autem quælibet signatio sit commemoratio ejusdem passionis et mortis, illæ tamen quæ post consecrationem fiunt super hostiam et calicem, ut veræ benedictiones hostiæ et calicis considerari nequeunt; repugnat enim, Corpus et Sanguinem Christi majorem posse acquirere benedictionem : sed solum fiunt ad commemorandum virtutem crucis et modum passionis Christi; ad imprimendum animis sacerdotis et adstantium, idem esse sacrificium altaris cum sacrificio crucis, hostiamque idem esse Corpus, quod cruci fuit affixum, eumdemque in calice Sanguinem, qui in cruce effusus est; ita ut signationes post consecrationem exprimant benedictiones et gratias, quibus abundat Christi Corpus, quasque in nos largiter effundere cupit, nisi nostris peccatis præpediantur (1). Reliquæ autem signationes (quibusdam exceptis, ut dum celebrans cum patena aut calice post oblationem crucem efformat) ut veræ benedictiones considerari debent, quibus sacerdos tum sibi, aut aliis benedictionem et sanctificationem impertitur, tum materiam consecrandam aut aliam rem fini sacro deputat.

Quare nunc una, nunc duæ, nunc tres aut quinque cruces faciendæ præscribantur, dici potest, quia verba, ad quæ

(1) Bened. XIV, de Sac. m. sect. 1, § 277.

Digitized by Google

formandæ sunt, unam aut plures exigunt; et licet v. g. in oratione *Quam oblationem* ante consecrationem pro pluribus verbis eadem militet ratio, plures tamen non præscribuntur, quia Ecclesia numerum ternarium aut quinquenarium non excedit, ut plures nobis sensus mysticos innuat; scilicet crux semel formata significat unitatem essentiæ divinæ, aut unitatem personæ in Christo, bis duas in Christo naturas, ter trinitatem personarum, et quinquies quinque Christi vulnera.

DE MANUUM JUNCTIONE, ELEVATIONE, EXTENSIONE, SEPARATIONE, EARUMQUE VARIA POSITIONE.

136. Manus ante pectus junguntur hoc modo : palma et digiti extensi et conjuncti unius manus exacte applicantur palmæ et extensis conjunctisque similiter digitis alterius manus; pollex autem dexter super sinistrum ponitur in modum crucis ante consecrationem et post communionem; inter consecrationem vero et communionem extremitates indicis et pollicis utriusque manus manent sibi invicem unitæ. Manus taliter junctæ ante pectus ita sustinentur, ut parum distent a vestibus, et extremitas digitorum, nisi corporis inclinatio facienda sit, potius respiciat faciem sacerdotis quam tabulam altaris.

Hæc manuum junctio fit in signum humilitatis et devotionis. Pollices autem in modum crucis ponuntur, ut celebrans imaginem crucis continuo sub oculis habeat.

Manus ante pectus junguntur : 1. quoties sacerdos se vertit ad populum, accedit ad altare, ab eo recedit, et transit de uno latere ad aliud, nisi alterutra sit impedita aut aliter præscribatur, ut in sequentibus ubique etiam subintelligendum est.

2. Ante omnem signationem alicujus rei, nisi alterutra sit impedita.

3. Ab initio missæ usque ad orationem *Aufer a nobis* inclusive.

Digitized by Google

4. Ad introitum, *Kyrie* et *Gloria.*

5. Postquam dictum est *Oremus,* ubicumque dicatur. Item in conclusione orationum, secretarum et postcommunionum, dum dicitur *Per Dominum nostrum,* et si aliter concludantur, dum dicitur *In unitate.*

6. Ad *Munda cor* etc., evangelium, *Credo,* offertorium.

7. Sub psalmo *Lavabo* cum celebrans manus laverit.

8. Initio præfationis, dicens *Gratias agamus Domino.*

9. Ad *Sanctus* usque ad *benedictus.*

10. Sub utroque *Memento,* dum celebrans privatim orat, tenet manus junctas ante pectus vel usque ad faciem.

11. In fine oratlonis *communicuntes* et *Hanc igitur,* item ante consecrationem, dicens *Fiat dilectissimi Filii tui.*

12. In fine orationum *Supplices, Memento,* et *Nobis quoque peccatoribus.*

13. Ante *Pater noster* dicens *Præceptis salutaribus* etc.

14. Ad primum *Agnus Dei,* donec dicitur *Miserere nobis,* et in Missis de *Requiem* ad tria *Agnus Dei.*

15. Ad communionem et ultimum evangelium.

16. In missa solemni celebrans tenet manus junctas, dum cantantur *Kyrie, Gloria,* evangelium, *Credo.* Item ministri toto missæ tempore habent manus ante pectus junctas, nisi aliquid agere debeant.

137. Manus junctæ super altare ponuntur hoc modo : manus, ut supra dictum est, junctæ, ita ponuntur, ut parvi digiti dumtaxat frontem seu medium anterioris partis mensæ altaris vel antipendii, si habeatur, tangant, et reliqui digiti absque ulla separatione a parvis digitis in superiori parte mensæ altaris quiescant, residuo manuum inter altare et se retento (1). Notandum autem, si propter antipendium digiti annulares ipsam mensam altaris attingere nequeant, sufficere, ut ponantur super antipendium, quod in hac re unum et idem cum mensa altaris reputatur : rubrica etiam quæ requirit, ut parvi digiti frontem anteriorem tangant, nihil aliud exigere videtur.

(1) Rub. in ritu celeb. tit. IV, n. 1.

Digitized by Google

Manus junctæ super altare ponuntur, non tantum quia sic propter inclinationem fieri convenit, sed etiam, sicut celebrans se inclinat et manus jungit, ut se coram Deo humiliet, et efficacius exaudiatur, ita manus junctas super altare deponit, ut se suis in orationibus uniat Christo, summo pontifici nostro, per altare repræsentato.

Manus junctæ super altare ponuntur : 1. ad *Oramus te, Domine* etc. usque ad *quorum reliquiæ* etc.

2. Per totam orationem *In spiritu humilitatis* etc.

3. Per totam orationem *Suscipe, sancta Trinitas* etc.

4. Initio canonis ad *Te igitur* usque ad *uti accepta habeas.*

5. Ad orationem *Supplices te rogamus* usque ad *ex hac altaris participatione* exclusive.

6. Per tres orationes ante communionem.

7. Per totam orationem *Placeat tibi, sancta Trinitas.*

138. Manus super altare extenduntur, seu separatæ super illud ponuntur hoc sequenti modo : usque ad consecrationem et post ablutionem digitorum manus extensis et unitis omnibus digitis, ex parte palmæ, non cum solis digitis sed usque ad pulsum, non super solum antipendium sed super ipsam altaris mensam, extra corporale, ne sordescat, nisi nimis magnum foret, æqualiter hinc inde ponuntur, dextra scilicet ex parte epistolæ et sinistra ex parte evangelii : post consecrationem autem hostiæ usque ad ablutionem digitorum, pollices et indices utriusque manus tenentur conjuncti, et reliquis digitis extensis et unitis, manus ponuntur super corporale juxta mediæ partis plicaturam, ne particulæ sacræ digitis forte adhærentes deperdantur : ita ut pollices et indices sint super plicaturam mediæ partis corporalis; et vel palma cum tribus ultimis digitis, quatenus commode fieri potest, super altari quiescat, vel forte potius manus recta ponatur, et solo ejus pars lateralis juxta parvum digitum tangat altare (1).

Eodem modo manus ponitur super librum; item super aut infra pectus, ita ut manus extensis et unitis omnibus digitis

(1) Hippolytus a portu p. 1, tit. 10, rub. 1, annot. 1.

Digitized by Google

ex parte palmæ corpus tangat, et post consecrationem hostiæ usque ad ablutionem digitorum pollices et indices uniti maneant, et corpus non tangant. Item eodem modo super pectus aut altare ponitur, si fiat cum aliquo instrumento v. g. purificatorio, thuribulo.

Utraque manus super altare ponitur in sensu litterali pro majori celebrantis commoditate, ut altare facilius osculetur aut genuflectat, vel quia præsens actio aliam positionem non exigit : in sensu autem mystico id fit in osculis altaris, ut sacerdos Christum per altare repræsentatum quasi complectatur; et ad epistolam, ut significetur, quatenus manuum depositio est symbolum operis, non satis esse legem audire et cognoscere, sed manus operi esse admovendas.

Alterutra autem manus super altare, pectus aut librum ponitur, ne, dum una aliquid agit, altera sola in aere pendula indecenter maneat, utque sacerdos in omnibus decentiam, gravitatem et devotionem præ se ferat.

Utraque manus separata super altare ponitur : 1. in quocumque osculo altaris et genuflexione ad altare, præterquam in genuflexione immediate post hostiæ consecrationem. Dum genuflectitur utroque genu ad altare, manus extenduntur super altare dum genuflectitur, infra pausam junguntur ante pectus, et iterum super altare extenduntur dum surgitur.

2. Ad epistolam, graduale, *Alleluja*, versus, tractum aut sequentiam manus ponuntur vel super altare, vel super librum, aut si placuerit, liber manu tenetur.

3. Ad *Per omnia* et *Dominus vobiscum* initio præfationis.

4. Ad *Per omnia* etc. ante *Pater noster*.

Sola sinistra super altare ponitur : 1. Ad introitum in missa de *Requiem*, dum liber signatur.

2. Ad *Nobis quoque peccatoribus*.

3. Infra orationem *Libera nos* usque ad *da propitius*.

4. Post primum *Agnus Dei* usque ad *dona nobis pacem* inclusive, exceptis missis de *Requiem*, in quibus manus tenentur junctæ.

5. Quotiescumque dextra est occupata, ut dum palla et patena amoventur a calice ad offertorium, calix signatur,

Digitized by Google

dextra folium vertitur, etc., nisi aliter præscribatur, ut quando alias calix cooperitur aut discooperitur, in quibus casibus sinistra ponitur super pedem calicis.

6. In missa solemni, dum aqua benedicitur.

Sola dextra super altare ponitur, 1° quotiescumque sinistra folium vertitur, et 2° post *Domine, non sum dignus*, dum reliqua verba dicuntur, dextra potest esse in continuo motu, vel in altari quiescere.

Sinistra super pectus ponitur infra incensationem (1). Infra pectus autem ponitur, 1° quotiescumque celebrans, nisi sinistra sit impedita, seipsum signat (2). 2° Dum in *Confiteor* percutit sibi pectus. 3° Quando benedicit diaconum, subdiaconum, incensum.

Sinistra sola super librum ponitur, dum liber signatur ad evangelium; ad evangelium autem s. Joannis in fine, ponitur super altare, si hoc vel tabella signetur.

Hinc patet, quod, quando una manus aliquid agit, altera numquam in aere suspensa esse possit, sed poni debeat super altare, pectus aut librum, prout actio exigit.

139. Manus ante pectus extenduntur, extensæ tenentur et junguntur hoc modo : extensis et unitis omnibus digitis, et post consecrationem usque ad communionem pollice et indice utriusque manus conjunctis, ante pectus linea recta, eas non elevando nec deprimendo, extenduntur ad humeros, ita quidem, ut palma unius manus respiciat alteram, et manus humerorum latitudinem non excedant, neque altitudinem superent : quod facile præstabitur, si uterque cubitus bino lateri conjungatur. Si manus extensæ teneri debeant, in eadem altitudine et latitudine, unitis et extensis similiter digitis tenentur, ita quidem ut extremitas digitorum cœlum seu faciem celebrantis directe, vel saltem magis quam altare respiciat : dum autem jungi debent, eadem linea recta, eas non elevando nec inclinando, ante pectus junguntur.

Not. manus tripliciter ante pectus extendi 1° extendendo

(1) Cærem. Ep. I. 1, c. 23, n. 8.
(2) Cærem. Ep. I. 1, c. 19, n. 3.

Digitized by Google

et statim jungendo, 2° extendendo et extensas tenendo, et 3° extensas tenendo, quin prius ante pectus junctæ fuerint.

Manus ante pectus extenduntur et statim junguntur : 1. quotiescumque in missa dicitur *Oremus*, præterquam ad *Pater noster*, quando manus tantum elevantur et junguntur.

2. Quotiescumque celebrans conversus ad populum, dicit : *Dominus vobiscum* (1).

3. Dum dicitur *Orate fratres*.

Not. in his casibus manus esse extendendas et jungendas, ita ut incipiant extendi, dum sacerdos incipit dicere; et cum desinit dicere, jungantur : quando autem *Oremus* aut *Dominus vobiscum* cantantur, lentius sunt extendendæ et jungendæ, ut actiones verbis respondeant.

Manus ante pectus extensæ tenentur : 1. Infra orationes, secretas et postcommuniones usque ad conclusionem *Per Dominum* vel *In unitate* etc.

2. In præfatione ad *Sursum corda* usque ad *gratias agamus* et deinde iterum per totam præfationem.

3. In canone fere ubique.

4. Dum incipitur *Pater noster* usque ad finem.

Not. si manus ante pectus junctæ non sint, antequam

(1) Quidam censent, manus ad *Dominus vobiscum* et *Oremus* non tantum esse extendendas sed etiam elevandas, uti ad *Gloria*, quia hic modus in cæremoniali Ep. I, c. 19, n. 3, *per Episcopum vel alium celebrantem* servandus præscribitur. Hoc tamen non obstante, manus non sunt elevandæ, sed tantum extendendæ, quia rubricæ missalis solam extensionis nullamque elevationis mentionem faciunt. Quoad cæremoniale dici potest, locum citatum tantum agere de *Pax vobis* seu *Dominus vobiscum*, adeoque de prima tantum vice, quæ propria est Episcopis : et ubi dicit, *idem facit* celebrans, *cum ante orationes dicit Oremus*, hoc idem faciendum tantum cadit in verba præcedentia, scilicet caput aliquantulum versus altaris crucem inclinandum. Hunc locum cæremonialis ita esse intelligendum patet lib. II, c. 8, n. 39 et 55, ubi in particulari ad *Pax vobis* de sola manuum elevatione fit mentio. Addi potest manuum extensionem, earum elevationem ante oculos, ut in cærem, dicitur, et simul capitis inclinationem sub una voce *Oremus* difficulter servari posse. Vid. Castald. l. 2, s. 7, c. 5, n. 4 et 6; Bouvry rit. celeb. tit. V, rub. 1, 5; *Manuel de l'off. div. et de la m. basse*, 2e partie, IV, *les Oraisons; Revue des sciences ecclésiastiques* 1891, août, fol. 185-190.

Digitized by Google

extendi debeant, non opus esse, ut prius ante pectus jungantur, sed sufficere si ante pectus eleventur, uti ad *Sursum corda*, item in prima oratione canonis, ubi post signationem dicitur *extensis manibus prosequitur*, nulla facta mentione extensionis, quæ junctionem includere videtur.

Sicut varia sunt, quæ manuum extensionem exigunt, sic variæ quoque hujus extensionis rationes dantur : 1. ad *Oremus* sacerdos extendit et jungit manus in modum devote supplicantis et auxilium a Deo quærentis; 2. ad *Dominus vobiscum* et *Orate fratres*, ut non tantum sua conversione et verbis, sed et gestu populum salutet, seque ex sincero et vehementi affectu bonum populo apprecari, eumque ad orationem excitare innuat; 3. ad orationes, præfationem, canonem et *Pater noster* manus extensæ tenentur, quia manuum extensio est actus Deum orantis juxta *ps.* 140, 2, et I, *ad Tim.* 2, 8, prout etiam Moyses, *Exodi* 17, oravit sub prælio Amalec, quo significatur mentem ita in Deum esse elevandam, ut ex redundantia cordis sacerdos non tantum verbis sed etiam actione et toto corpore in Deum feratur. Item dici potest, manus extendi, ut celebrans imaginem Christi in cruce orantis referat; quare primi fideles non tantum manus sed etiam brachia extendebant : ut autem actio intra decentiæ limites teneatur, rubrica statuit, ne digitorum summitas humerorum altitudinem distantiamque excedat (1).

140. Manus extendendæ, et simul elevandæ ac jungendæ sunt, seu circulus faciendus est hoc modo : manus ante pectus junctæ, non deprimendo uti plures faciunt, sed elevando ante pectus extenduntur seu expanduntur, ita tamen, ut humerorum latitudinem non excedant; et elevantur ad superiorem humerorum partem, ita tamen ut humeros non superent, ibique junguntur, et junctæ ad pectus demittuntur (2). Ad utrumque autem *Memento* elevari possunt usque ad faciem, ibique jungi : item ad *Memento* vivorum manus prius non junguntur, sed tantum elevantur : aliud autem est

(1) Rit. celeb. tit. V, n. 1. Vid. Card. Bona rer. lit. 1, 2, c. 5, n. 7.
(2) Rit. celeb. tit. IV, n. 5.

Digitized by Google

ad *Memento* mortuorum, ubi *in ritu celeb. M.* expresse præscribitur, in fine orationis *Supplices* manus esse jungendas; sicut etiam prævie jungendæ sunt ad *Te igitur* initio canonis et in fine missæ ante *Benedicat vos*, quia, cum manus extendendæ ac elevandæ sint, et non ultra distantiam humerorum, oportet, ut manus, quæ nunc supra altare extra distantiam humerorum depositæ sunt, prævie jungantur, ut extendi valeant, et non ultra distantiam humerorum.

Hæc extensio, elevatio et junctio manuum fieri debent :
1. dicendo *Gloria in excelsis Deo.*
2. Dicendo *Credo in unum Deum.*
3. Dicendo *Veni, sanctificator, omnipotens æterne Deus.*
4. Ad *Te igitur* initio canonis.
5. Ad utrumque *Memento*, ut supra dictum est.
6. In fine Missæ ad benedictionem, dicendo *Benedicat vos omnipotens Deus.*

Est gestus naturalis hominis exultantis et aliquem magnificantis aut auxilium quærentis : quo sacerdos igitur ostendit, se Deum dicto et facto velle magnificare, se sincere in Deum credere, atque supernum quærere auxilium et benedictionem omnem, quam tum in oblata, tum in semetipsum, tum in adstantes, aut alios sive vivos sive defunctos, effundere desiderat.

141. Pollices et indices utriusque manus cum extremitatibus suis jungi debent a facta consecratione hostiæ usque ad ablutionem digitorum, ne particulæ sacræ digitis forte adhærentes deperdantur, nisi s. Hostia tangenda sit, patena purificanda, aut digiti super calicem extergendi. Quod ut fiat, index usque ad primum suum articulum posteriorem cum reliquis digitis extendatur et jungatur, duoque reliqui articuli inflectantur, ut extremitas seu ultimus articulus indicis cum extremitate pollicis conjungatur.

142. Pectus percutiendum est hoc modo : sinistra sub *Confiteor* infra pectus, et ad *Nobis quoque peccatoribus* et *Agnus Dei* super altare posita, sed ad *Domine non sum dignus* patenam tenente, pectus modeste et sine strepitu percutitur dextra, scilicet vel omnibus ejus digitis simul

Digitized by Google

junctis, clausis et curvis, vel palma aperta et extensa digitisque junctis, sicut placuerit, cum circa hoc a rubricis nihil expresse sit præscriptum (1). Post consecrationem autem hæc percussio fit tantum tribus inferioribus et ultimis digitis; et cavendum est, ne pollex et index juncti casulam tangant, adeoque manus ita invertenda est, ut pollex et index juncti super reliquos digitos ponantur. Ad *Agnus Dei* et *Domine non sum dignus* dextra vel continue movetur, lente retrahendo, vel post quamlibet percussionem super corporale reponitur. Hæc percussio pectoris fit in signum contritionis, ad imitationem Publicani.

143. Calix accipiendus est semper ad nodum qui est infra cuppam, præterquam juxta quosdam in sumptione infra nodum, ut dicetur n. 268 : ante consecrationem ab una parte cum pollice, et ab altera cum omnibus reliquis digitis; post consecrationem autem usque ad ablutionem digitorum, ab una parte cum pollice et indice junctis, et ab altera cum tribus reliquis digitis.

144. Calix discooperitur et cooperitur hoc modo : dextra inter pollicem et reliquos digitos, et a consecratione usque ad ablutionem digitorum inter pollicem et indicem unitos et tres reliquos digitos palla de calice tollitur, et contra tabellam ad cornu epistolæ vel super velum calicis deponitur; sinistra interim, ut pius usus observat, super pedem calicis posita, ad cautelam, ne calix evertatur. Eodem modo palla resumitur et super calicem reponitur.

DE SESSIONE IN MISSA.

Rub. tit. XVII, n. 6. *In Missa item solemni Celebrans medius inter Diaconum et Subdiaconum sedere potest a cornu Epistolæ juxta Altare, cum cantatur* Kyrie eleison, Gloria in excelsis *et* Credo : *alio tempore stat ad Altare, vel genuflectit ut supra.*

(1) Merati p. 2, tit. 3, n. 20; Martinucci lib. 1, c. 18, n. 31.

Digitized by Google

145. Annotatur I : « Si dabitur tempus, licebit etiam » sedere, dum cantatur epistola a subdiacono, et graduale » (ac sequentia) a cantoribus » (1).

II. In rubricis dicitur : *in Missa solemni* seu cantata, adeoque non permittitur in privata. 2° *Sedere potest* sed non debet; quinimo exposito ss. Sacramento conveniens est numquam sedere in reverentiam tanti Sacramenti, sedere tamen licet, modo detecto fiat capite (2). 3° *A cornu epistolæ juxta altare* pro opportunitate loci, sed non ad cornu evangelii, quod proprium est episcopis, licet etiam a cornu epistolæ habeatur tabernaculum ss. Sacramenti, cujus decentiæ in hoc casu aliquo modo providendum est.

III. Celebrans et sacri ministri juxta Cæremoniale Ep. (3) simul sedere debent in scamno oblongo, cooperto aliquo tapete aut panno, viridis vel alterius decentis coloris. Hoc scamnum potest esse cum vel sine postergali (4). Censet tamen Cavalieri (5) celebrantem et ministros solummodo sedere in scamno oblongo, si coram aliquo Cardinali vel proprio Episcopo celebrent; et secus statui posse tres etiam sedes nobiliores, dummodo illa celebrantis sit nobilior, et illæ ministrorum brachiatæ non sint : et Byssus (6) putat quoad scamnum vel sedem ecclesiarum consuetudinem servandam esse : pro qua opinione afferri potest decretum S. R. C. (7) in quo dicitur, quoad scamnum vel sedem *servari consuetudinem legitime tamen præscriptam.* Attamen S. R. Congregatio per plura decreta (8) declaravit, non obstante consuetudine, servandam esse dispositionem cæremonialis, quod præscribit scamnum oblongum, et signanter per decretum

(1) S. R. C. 16 Mart. 1591, n. 9, 6 in suppl.
(2) Cærem. Ep. l. 2, c. 33, n. 33; Gardellini instr. Clem. 25, n. 4 et seq.
(3) L. 1, c. 12, n. 22.
(4) S. R. C. 27 Mart. 1824, n. 2631, 3.
(5) Cavalieri t. 5, c. 8, n. 3.
(6) Tom. 2, litt. s. n. 118, § 2.
(7) 29 Mart. 1659, n. 1111, 4.
(8) Citantur apud Gardellini instr. Clem. § 25, n. 1 et 2, in vol. IV decr. p. 95. Item S. R. C. 16 Mart. 1861, n. 3104, IV.

Digitized by Google

generale a Pio VII approbatum (1), statuit non tolerandum esse abusum adhibendi pro celebrante loco scamni sedes camerales, et pro ministris similia scabella, sed potius reprobandum atque damnandum (2).

IV. Not. 1. ad sedendum per viam breviorem seu per gradus laterales epistolæ accedendum esse, redeundum autem per viam longiorem seu per planum ante gradus altaris (3), nisi ad medium altaris non sit accedendum, et ad cornu epistolæ aliquid mox sit legendum, ut dum sedetur infra prophetias, in quo casu per viam breviorem ad cornu epistolæ est redeundum. 2. Si in via ad sedendum cantetur *Adoramus te, Incarnatus est*, etc. sistendum esse, ad inclinationem aut genuflexionem faciendam; in hoc autem casu præstare ad altare expectare, ibique se inclinare aut genuflectere. 3. Ad sedendum nudo capite pergendum et regrediendum esse; sedentes autem, nisi expositum sit ss. Sacramentum, caput cooperire, sed ad inclinationem aut genuflexionem discooperire (4). 4. Manus infra sessionem teneri extensas super genua, vel supra sacras vestes vel uti quidam volunt, infra eas, ne sordescant, nisi expositum sit ss. Sacramentum, quo casu ut praxis hic habet, tenentur junctæ ante pectus. 5. Cavendum esse, ne in locis sessionis terga vertantur altari. 6. Posteriores partes casulæ et dalmaticæ elevandas esse; quod a diacono et subdiacono prius pro celebrante, tum pro seipsis, si ab aliis non fiat, est faciendum.

QUANDONAM GENUFLECTENDUM, STANDUM ET SEDENDUM IN CHORO ET A CIRCUMSTANTIBUS.

Rub. tit. XVII, n. 2. *Circumstantes autem in Missis privatis semper genua flectunt, etiam tempore Paschali, præterquam dum legitur Evangelium* (a).

(1) 17 Sept. 1822, n. 2621, 6.
(2) Vid. *Praxis pontificalis*, tom. 1, n. 99.
(3) Gav. p. 2, tit. 4, n. 7, l. n. et alii communiter.
(4) S. R. C. 21 Mart. 1676, n. 1563, 1; 12 Nov. 1831, n. 2684, 13.

Digitized by Google

5. *In Choro genuflectitur ab iis, qui non sunt Prælati, ad Confessionem cum suo psalmo. In Missis autem Feriarum Adventus, Quadragesimæ, Quatuor Temporum, et Vigiliarum, quæ jejunantur, ac in Missis Defunctorum, genuflectunt omnes etiam ad Orationes, et dicto per Celebrantem* Sanctus *usque ad* Pax Domini, *et ad Orationes post Communionem, et* super populum, *excepta vigilia Paschæ et Pentecostes, ac Nativitatis Domini, et Quatuor Temporibus Pentecostes. Et similiter ab omnibus genuflectitur, quando elevatur Sacramentum* (b).

7. *In choro non sedent, qui actu cantant; reliqui autem possunt sedere, quando Celebrans sedet, et præterea dum cantantur Epistola, et Prophetiæ, Graduale, Tractus, vel* Alleluja, *cum versu, ac Sequentia, et ab Offertorio usque ad incensationem Chori, et si non incensatur, usque ad Præfationem, et ad Antiphonam, quæ dicitur Communio. Ad alia stant vel genuflectunt ut supra* (c).

---

146. Annotatur 1. *a*. Hæc rubrica quoad circumstantes non est præceptiva, sed directiva tantum juxta dicta n. 2 et ex consuetudine contraria. Si missa sit solemnis seu cantata, circumstantes possunt stare, sedere et genuflectere, prout quoad chorum præscribitur supra in rub. n. 7 (1).

2. *b*. Excipienda quoque est feria quinta in cœna Domini, in qua non genuflectitur.

Quod præscribit rubrica, genuflectendum esse ad orationes, intelligendum est de orationibus, quæ dicuntur post *Dominus vobiscum* ante epistolam, non autem de illis, quæ dicuntur post *Flectamus genua*, quia, dum cantatur *Levate*, surgendum est.

Ad benedictionem in fine missæ omnes genuflectunt, exceptis prælatis et canonicis ecclesiæ cathedralis, qui se tantum inclinant.

(1) Gavantus p. 1, tit. 17 in fine; Pouget inst. cath. p. 3, sect. 2, c. 7, § 20.

Digitized by Google

3. *c. In Choro non sedent, qui actu cantant,* seu qui soli cantant, genuflectunt tamen dum fieri debet, sic tamen ut quando mora genuflexionis est brevis, hæc fiat, dum verba, quæ genuflexionem exquirunt, cantantur. Quando autem mora est longa, ne plurium vocum unisona modulatio inflectatur, genuflexio peragatur sub finem verborum (1).

4. Exposito ss. Sacramento, conveniens esset, ut in reverentiam tanti Sacramenti omnes præsentes starent semper detecto capite, et numquam sederent : sedere tamen licet, modo detecto fiat capite, ut dictum est de celebrante n. 145 ad II (2), et secluso scandalo aut irreverentia (3).

Pro cæremoniis servandis a choro tempore missæ solemnis vid. *Praxis Pontificalis* tom. II, n. 182-193. et quoad sessionem *Quarti p.* 1, *tit.* 17, *dub. V; Grancolas, Comm. hist. in Brev. lib.* 1, *c.* 19; *Collet, de off. div. Remarques.*

Titulus XVIII.

—

DE COLORIBUS PARAMENTORUM.

Rub. 1. *Paramenta Altaris, Celebrantis et Ministrorum debent esse coloris convenientis Officio et Missæ diei secundum usum Romanæ Ecclesiæ, quæ quinque coloribus uti consuevit : Albo, Rubeo, Viridi, Violaceo et Nigro.*

2. *Albo colore utitur a Vesperis Vigiliæ Nativitatis Domini, usque ad Octavam Epiphaniæ inclusive, exceptis Festis Martyrum, quæ infra eam veniunt. In Festo ss. Nominis Jesu, Feria V in Cœna Domini et Sabbato Sancto in officio Missæ, et ab illo die usque ad Sabbatum in Vigilia Pentec. ad Nonam, in officio de Tempore, præterquam in Missa Litaniarum et Rogationum. In Festo*

(1) Praxis Pontif. tom. 1, n. 54.
(2) Cærem. Ep. lib. 2, c. 33, n. 33; Gardell. instr. Clem. § 27, n. 4.
(3) S. R. C. 28 Julii 1876, n. 3408, III.

Digitized by Google

ss. Trinitatis. In Festo Corporis Christi. In Festo Cordis Jesu. In Festo Transfigurationis Domini. In Festis Beatæ Mariæ Virginis, præterquam in benedictione Candelarum, et Processione, quæ fit in Festo Purificationis ejusdem. In Festis Angelorum. In Nativitate s. Joannis Baptistæ. In principali Festo s. Joannis Evangelistæ, quod celebratur infra Octavam Nativitatis Domini. In utraque Cathedra s. Petri. In Festo s. Petri ad vincula. In Conversione s. Pauli. In Festo omnium Sanctorum. In Festis Confessorum Pontificum et non Pontificum, et Doctorum. In Festis ss. Virginum non Martyrum, et nec Virginum nec Martyrum. In Dedicatione et Consecratione Ecclesiæ vel Altaris, ac in Consecratione Summi Pontificis, et in Anniversario Creationis, et Coronationis ejusdem, et Electionis, et Consecrationis Episcopi. Item per Octavas prædictorum Festorum, quæ Octavas habent, quando dicitur Missa de Octava, et in Dominicis infra eas occurrentibus, quando in eis fit Officium de Dominica, præterquam in illis Dominicis, quibus tributus est color Violaceus. In Missis Votivis supradictorum Festorum, quocumque tempore dicantur : et in Missa pro Sponso et Sponsa.

3. *Rubeo colore utitur a Vigilia Pentecostes in Missa usque ad Sabbatum sequens finita Nona et Missa. In Festis s. Crucis et pretiosissimi Sanguinis Domini. In Decollatione s. Joannis Baptistæ. In Natali Apostolorum Petri et Pauli, et in Festis aliorum Apostolorum (exceptis Festo principali s. Joannis Evangelistæ post Nativitatem Domini, et Festis Conversionis s. Pauli, et Cathedræ s. Petri, et ejus Vinculorum). In Festo s. Joannis ante Portam Latinam. In commemoratione s. Pauli Apostoli. In Festis Martyrum, excepto Festo ss. Innocentium, quando non venerit in Dominica : si autem in Dominica venerit, utitur Rubeo; in ejus vero die Octava semper utitur Rubeo, quocumque die occurrat. In Festis ss. Virginum Martyrum et Martyrum non Virginum. Item per Octavas prædictorum Festorum, quæ Octavas habent, quando fit de Octava, et in Dominicis infra eas Octavas occurrentibus, eodem modo, ut dictum est supra de-*

Digitized by Google

colore Albo. Item in Missis votivis supradictorum Festorum, et in Missa pro eligendo summo Pontifice.

4. *Viridi colore utitur ab Octava Epiphaniæ usque ad Septuagesimam, et ab Octava Pentecostes usque ad Adventum exclusive, in Officio de Tempore, excepta Dominica Trinitatis, ut supra, ac exceptis Dominicis infra Octavas occurrentibus, in quibus color Octavarum servatur : exceptis etiam Vigiliis et Quatuor Temporibus, ut infra.*

5. *Violaceo colore utitur a prima Dominica Adventus in primis Vesperis usque ad Missam Vigiliæ Nativitatis Domini inclusive : et a Septuagesima usque ad Sabbatum Sanctum ante Missam inclusive, in Officio de Tempore, excepta Feria quinta in Cœna Domini, in qua utitur Albo, et Feria sexta in Parasceve, in qua utitur nigro, ut infra : et benedictione Cerei in Sabbato Sancto, in qua Diaconus, illius Præfationem dicens, solus utitur Albo; ea autem finita, Violaceo, ut prius. Item in Vigilia Pentecostes ante Missam a prima Prophetia usque ad benedictionem Fontis inclusive. In quatuor Temporibus, et Vigiliis, quæ jejunantur, exceptis Vigilia et Quatuor Temporibus Pentecostes. In Missa Litaniarum, in die s. Marci Evangelistæ et Rogationum, et in Processionibus, quæ his diebus fiunt. In festo ss. Innocentium, quando non venerit in Dominica. In benedictione Candelarum in die Purificationis beatæ Mariæ, et in benedictione Cinerum, ac Palmarum, et in ipsa Dominica in Palmis, et in earumdem, ac generaliter in omnibus Processionibus : exceptis Processionibus ss. Sacramenti, et quæ fiunt in diebus solemnibus, vel pro gratiarum actione. In Missis de Passione Domini, pro quacumque necessitate, pro peccatis, ad postulandum gratiam bene moriendi, ad tollendum schisma, contra Paganos, tempore belli, pro pace, pro vitanda mortalitate, pro iter agentibus, et pro infirmis.*

6. *Nigro colore utitur Feria VI in Parasceve, et in omnibus Officiis et in Missis Defunctorum.*

Digitized by Google

147. Dicitur n. 1 *quinque coloribus uti consuevit* etc., qua rubrica alii colores excluduntur et prohibentur. Plures quidem auctores colorem aureum seu flavum adhiberi posse censuerunt : sed distinguendum est inter paramenta ex auro contexta, et inter illa quæ ex tela serica aut alia flavi coloris materia sunt confecta. Illa ex panno aureo confecta tolerantur (1), tum ex usu communi, tum ex eo, quod decreta, licet paramenta ex auro confecta non approbent, nec pro iis exceptionem faciant, sola tamen flavi coloris paramenta prohibeant. Talia paramenta ex auro, juxta quosdam pro omni colore adhiberi possunt, quia omnes colores ad aureum concurrunt; juxta plures pro albo, rubeo et viridi, non autem pro nigro neque pro violaceo, quia color est festivus; juxta aliquos pro colore tantum albo, cui magis convenit, et non decet in pentecoste sicut in paschate, neque pro martyre sicut pro confessore eumdem adhibere colorem (2); et juxta alios, qui ad licitum paramentorum aureorum usum requirunt, ut fila serica, quæ cum filis aureis intermiscentur, sint coloris præscripti, pro omni colore adhiberi possunt, scilicet pro albo si fila mixta sint alba, pro rubro si sint rubra, pro viridi si viridia, pro violaceo si violacea, et pro nigro si nigra, quia tunc colorem requisitum revera exhibent (3). Juxta rescriptum autem S. R. Congregationis (4) paramenta ex auro contexta adhiberi possunt pro colore albo, rubro et viridi, non autem pro violaceo, et consequenter nec etiam pro nigro, cujus in hujus rescripti petitione et responsione nulla fit mentio. Aliquod ornamentum ex auro omnibus paramentis superimponi potest, ut patet ex usu communi. Paramenta autem ex tela serica aut alia flavi coloris materia confecta per plura decreta sunt prohibita (5),

(1) S. R. C. 28 Ap. 1866, n. 3145.

(2) Quarti p. 1, tit. 18, dub. 2; Merati p. 1, tit. 18, n. 1; Cavalieri t. 3, dec. 79, n. 6; De Conny liv. 1, ch. 3, art. 1.

(3) *Revue des sciences ecclésiastiques,* 1868, tom. XVIII, fol. 265.

(4) S. R. C. 5 Dec. 1868, n. 3191, IV; 20 Nov. 1885, n. 3646, II.

(5) S. R. C. 12 Nov. 1831, n. 2682, 50; 16 Mart. 1833, n. 2704, 4; 23 Sept. 1837, n. 2769, V, 1; 29 Mart. 1851, n. 2986, 5; 26 Mart. 1859,

Digitized by Google

et nulla etiam ea adhibendi ratio dari potest, non materiæ pretiosioris, sicut dum ex auro contexta sunt, neque paupertatis et indigentiæ, quia materiæ cujuscumque coloris, albi et rubri, sicut et flavi, ejusdem sunt pretii.

148. Cujus et qualis coloris debent esse paramenta altaris, celebrantis et ministrorum?

R. 1. Debent esse coloris convenientis officio et missæ, quæ celebratur, si nempe color officii et missæ sit idem, et missa concordet cum officio; si autem color officii et missæ discordet, ut in vigiliis infra octavas, et in missis votivis, juxta Quarti (1) paramenta non tantum celebrantis, sed etiam altaris missæ convenientia esse debent, saltem si antipendium commodo mutari possit; juxta Gavantum autem (2) color altaris officio, et paramentorum celebrantis missæ convenire debet, nisi missa sit solemnis, in qua decet, antipendium altaris etiam cum missa concordare.

2. Unius tantum coloris esse debent; vel si non unius sint coloris, cum ornamenta aurea et flores ex usu universali in paramentis ubique recipiantur, unus saltem color ita prædominetur, ut paramenta dici possint unius potius quam alterius coloris, et conspectum alterius coloris principaliter vel notabiliter præ se non ferant : cum enim rubricæ uni festo specialem tribuant colorem, profecto excludunt alium (3). In decretis S. R. C. declaratur, non posse continuari usum illarum ecclesiarum, quæ utuntur pro colore albo, rubeo, viridi et violaceo paramentis mixtis diversi coloris floribus, quamvis coloris a rubrica præscripti, in floribus reperiantur : fit tamen potestas Episcopo oratori indulgendi, ut in ecclesiis pauperibus permittat illis uti, donec consumantur. Contra rubricam igitur agit, qui casula alba cum cruce rubea, et

n. 3082; 5 Dec. 1868, n. 3191, IV; 23 Jun. 1892, n. 3779, 3; Fornici p. 1, c. 14; Bouvry hoc loco.

(1) P. 1, tit. 18, dub. 3.

(2) P. 1, tit. 18, n. 6; Cavalieri t. 3, dec. 79, n. 8; Castaldus l. 2, s. 6, c. 4, n. 6.

(3) S. R. C. 19 Dec. 1829, n. 2675; 12 Nov. 1831, n. 2682, 50; 23 Sept. 1837, n. 2769, V, 2. Vid. Cavalieri t. 3, dec. 79, n. 7.

Digitized by Google

vice versa rubea cum cruce alba utitur pro colore albo aut rubeo, vel pro utroque.

3. Quis color in singulis missis sit adhibendus, supra in rubricis missalis, et quotidie in kalendariis seu directoriis annotatur.

In Festo s. reliquiarum seu sanctorum quorum reliquiæ asservantur, adhibendus est color rubeus (1), et in festo divisionis apostolorum albus, prout in festis conversionis s. Pauli et cathedræ s. Petri (2).

149. Quo colore utendum est in officiis et missis defunctorum?

R. Semper nigro, ut supra in rubricis n. 6, et in dec. gen. 27 Junii 1868 præscribitur; adeo ut violaceus adhiberi nequeat, nisi in casu quo die 2 Novembris ss. Eucharistiæ Sacramentum pro solemni oratione 40 horarum sit expositum (3). Decreta contraria per decretum generale revocata dicenda sunt; et si sacra communio distribuenda sit, in paramentis nigris facienda est, ut dicitur n. 274. Quod color niger adhibendus sit, id intelligendum est 1° de omnibus paramentis non tantum celebrantis, sed etiam altaris, ministrorum, panni funebris, etc. (4) et 2° de officio pro quacumque persona defuncta, sive adulta sive parvula, sive virgine aut innupta sive nupta (5) : nullibi enim hæc distinctio admittitur : ita ut tanquam abusus haberi debeat praxis adhibendi paramenta vel saltem pannum funebrem albi coloris pro persona innupta in signum virginitatis. Aliud est de parvulis ante usum rationis defunctis, pro quibus color albus adhibendus est.

Not. 1° pariter adhiberi non posse cereos albos in officio defunctorum ad distinctionem personæ innuptæ. 2° Hanc praxim cereos aut paramenta alba adhibendi minime esse

(1) S. R. C. 17 Aug. 1771, n. 2492.
(2) S. R. C. 1 Junii 1876, n. 3400, II.
(3) S. R. C. 27 Jun. 1868, n. 3177.
(4) Cærem. Ep. l. 2, c. 11, n. 1.
(5) S. R. C. 21 Jul. 1855, n. 3035, 11.

Digitized by Google

introducendam, sed etiam non nisi summa prudentia abrogandam, et potius sæpe esse tolerandam, ne persona corrupta prodatur, vel saltem ut talis habeatur.

150. Quis color adhibendus est, exposito ss. Sacramento?

R. Paramenta altaris, in quo ss. Sacramentum exponitur, alba esse debent, etiamsi officium alium colorem exigat (1); paramenta autem celebrantis et ministrorum missæ, vesperis aliisque horis canonicis semper conformia, sive color sit albus aut rubeus, viridis aut violaceus; numquam tamen color niger est adhibendus, et albo semper velo humerali pro benedictione danda utendum est. Idem servandum est, dum expositio fit immediate ante vel post missam seu officium, ita ut celebrans ab altari non recedat; si vero fiat tanquam functio omnino separata et distincta a missa aut ab officio, celebrans et ministri uti debent paramentis albi coloris (2).

151. Quo colore utendum est in processionibus?

R. Generaliter colore violaceo in omnibus processionibus juxta rubricas supra n. 5, exceptis 1° processionibus ss. Sacramenti, in quibus semper color albus adhibendus est, nisi fiant immediate post missam aut vesperas, ita ut ab altari non recedatur, quando, ut quæst. præc. dictum est, color missæ aut vesperarum retineri potest : sed albo semper utendum est super humeros velo; et color niger nullo modo adhibendus est in processionibus ss. Sacramenti, nequidem in vexillis (3). 2° Exceptis illis, quæ fiunt in diebus solemnibus, vel pro gratiarum actione, aut diebus dominicis et festivis ante summum sacrum, in quibus adhibetur color, quem solemnitas, officium aut missa requirunt. 3° Exceptis processionibus in translatione reliquiarum insignium, in quibus utendum est colore albo vel rubeo, prout sancti, quorum reliquiæ transferuntur, exposcunt (4).

(1) S. R. C. 9 Jul. 1678, n. 1615, 7; 19 Dec. 1829. n. 2673.
(2) S. R. C. 9 Jul. 1678, n. 1615, 6; 20 Sept. 1806, n. 2562, 1; 27 Junii 1868, n. 3175, III; 1 Dec. 1882, n. 3559; Cavalieri t. 4, dec. 153, n. 5 et 6.
(3) S. R. C. 10 Feb. 1685, n. 1744.
(4) Rit. Rom.

Digitized by Google

152. Quo colore utendum est in benedictionibus?

R. Generaliter colore pro ratione temporis, id est, qui convenit tempori seu officio diei (1). Excipitur tamen : 1° benedictio candelarum in die purificationis B. M. V. in qua juxta rubricas supra n. 5 adhibetur violaceus.

2° Benedictio aquæ, in qua si fiat in dominica a celebraturo ante missam solemnem, adhibetur color missæ conveniens; si autem fiat ab alio aut alio tempore, quando opus fuerit, violaceus (2).

3° Benedictio mulieris post partum, domorum in sabbato sancto, primarii lapidis pro ecclesia ædificanda, novæ ecclesiæ et cœmeterii, quando adhibetur color albus (3).

153. Qualis color est adhibendus, dum cantatur hymnus *Te Deum* in gratiarum actionem?

R. Si cantetur immediate ante vel post missam aut officium, ita ut sacerdos paratus non discedat ab altari, idem color missæ aut officio conveniens retineri potest, excepto colore nigro, ut dictum est in præcedentibus : si autem fiat tanquam functio separata et distincta, dubitatur, qualis color sit adhibendus, cum rubricæ et decreta nihil determinent ; non necessario autem videtur adhibendus color officii, quia nullam cum eodem connexionem habet; nec unquam violaceus, juxta Rubricas supra n. 5, juxta quas processiones pro gratiarum actione non sunt faciendæ in colore violaceo; nec conveniens videtur color viridis utpote solemni gratiarum actioni minus conveniens; recte autem adhibetur color albus vel rubeus, quia in iisdem coloribus celebratur missa votiva pro gratiarum actione, prout legitur vel de ss. Trinitate et de B. M. V. vel de Spiritu Sancto; potius tamen color albus, quia rubeus non adhibetur, nisi officium specialem rubeum colorem adhibendi rationem habeat.

Hac occasione not. 1° sub hymno *Te Deum* standum esse, etiam exposito ss. Sacramento, genuflectendo tantum, dum

(1) Rit. Rom. de bened. Cuppinus anno 1771, n. 37.
(2) Rit. Rom.; Cavalieri t. 4, dec. 368, n. 4, 5, 6.
(3) Rit. Rom.

Digitized by Google

recitatur versiculus *Te ergo quæsumus* (1); et 2° in fine omnibus juxta praxim romanam genuflexis cantandos esse versus : *Benedicamus Patrem* etc. *Benedictus es* etc. *Domine, exaudi* etc. cum unica oratione : *Deus, cujus misericordiæ* (2) quam surgens cantat celebrans.

154. Quando color altaris mutari debet?

R. 1° Pro officiorum diversitate juxta rubricas missalis mutari quotidie debet, aut saltem diebus dominicis, festis de præcepto ac duplicibus (3). 2° Dum duo officia diversi coloris concurrunt, regula generalis est, quod totum officium pomeridianum peragatur in illius colore, de quo vesperæ totæ vel a capitulo fiunt : adeoque si vesperæ sint de sequenti vel a capitulo de sequenti, color mutari debet circa meridiem seu ante initium vesperarum; si vero vesperæ integræ sint de præsenti, color mutandus est circa vesperam seu post completorium et officium totaliter finitum currentis diei (4).

155. An et quanta datur obligatio utendi colore per rubricas præscripto?

R. Etsi quidam (5) censuerint rubricam de coloribus tantum esse directivam, et per se non obligare sub peccato : nunc tamen dicendum est, hanc rubricam esse præceptivam, quia præscribit ritum in actu celebrationis servandum, qui, ut dictum est n. 2, ad rubricas præceptivas pertinet; et in pluribus decretis S. R. C. stricte præcipitur, servandam esse rubricam quoad colorem paramentorum (6). Communiter tamen dicitur, hanc rubricam de coloribus non obligare sub gravi, nisi ob grave scandalum, ut si quis die paschatis in publica ecclesia celebraret cum paramentis nigris. Quælibet igitur causa rationabilis excusare potest, puta necessitas.

(1) S. R. C. 27 Mart. 1779, n. 2514, 7; Cærem. Ep. lib. 2, c. 5 in fine.
(2) S. R. C. 11 Sept. 1847, n. 2956, 3.
(3) Guyetus l. 3, c. 29, q. 11.
(4) Gavantus p. 1, tit. 18, n. 6.
(5) Quarti p. 1, tit. 18, d. 1; Lucius Ferr. paramenta n. 25-28; Brassine p. 1, c. 11, n. 7.
(6) 19 Dec. 1829, n. 2675; 12 Nov. 1831, n. 2682, 50. S. Alph. de Ligorio l. 6, n. 378, dub. 5; Clericatus de sacrif. m. decis. 50, n. 40 et 41.

Digitized by Google

Ecclesiæ; concursus sacerdotum, quibus vestes debiti coloris non sufficiunt; magna solemnitas, qua fit, ut in ecclesiis minus copiosis uti liceat paramentis pretiosioribus, si vel sola crux casulæ sit coloris officio conformis. Præterea ut plures notant, satius est quocumque die facere sacrum in quocumque colore, quam illud omittere (1).

156. Quare quinque prædicti colores adhibentur?

R. 1° Albus in festis Domini ob gaudium et gloriam; et in festis B. M. V., confessorum, virginum aliorumque non martyrum ob candorem innocentiæ et puritatis, ac in signum gloriæ et immortalitatis, quam adepti sunt, uti sancti in Apocalypsi repræsentantur amicti stolis albis.

2° Rubeus in Pentecoste ob linguas ignitas, in quibus Spiritus Sanctus apparuit, et in festis s. crucis et martyrum ob fusum sanguinem. Quæ ratio cum non ita inveniatur in festo principali s. Joannis apostoli, conversionis s. Pauli, cathedræ s. Petri et ejus vinculorum, idcirco in his adhibetur albus.

3° Viridis ab octava Epiphaniæ ad septuagesimam, et a Pentecoste ad adventum, quia, cum color viridis mediet inter alios colores, designat, quod hæc tempora quæ nec lætitiæ nec pœnitentiæ specialiter destinata sunt, mediocris sint solemnitatis.

4° Violaceus, qui est quasi pallidus et lividus, qualis ex carnis maceratione et ex afflictione consurgit, convenit diebus adventus, quadragesimæ, aliisque pœnitentiæ destinatis; processionibus et quibusdam benedictionibus in signum pœnitentiæ; missis de passione Domini ob dolorem, quem de ea et ex ea concipere debemus; item festo ss. Innocentium ob dolorem matrum, nisi incidat in dominicam, cujus lætitiæ illo tempore color violaceus minus congruit, et excepta die octava, quæ cum significet beatitudinem, omne mœstitiæ signum respuit : in quibus duobus casibus adhibetur rubeus martyribus proprius.

5° Niger, qui est proprius mortis, quæ nos privat lumine

(1) Lohner p. 1, tit. 3, § 2, n. 2.

Digitized by Google

vitæ et ad sepulchri tenebras detrudit; adhibetur in parasceve ob mortem Domini, quando tenebræ factæ sunt super universam terram; et in omnibus missis et officio defunctorum, quorum animæ in tenebris sedent, pœnasque luunt in purgatorio, quibusque propterea Ecclesia lucem petit et requiem (1).

Titulus XIX.

DE QUALITATE PARAMENTORUM.

Rub. 1. *In Officio Missæ Celebrans semper utitur Planeta super Albam.*

2. *Si autem sit Episcopus, sive Abbas habens usum Mitræ et Baculi ac cæterorum Pontificalium, et solemniter celebret, super Dalmaticam et Tunicellam.*

3. *Pluviali utitur in Processionibus, et Benedictionibus, quæ fiunt in Altari. Item in Officio Laudum et Vesperarum, quando solemniter dicuntur. Eodem utitur Assistens Celebranti in Missa Pontificali. Item quando Celebrans post Missam Defunctorum facit in fine Absolutionem.*

4. *Cum Celebrans utitur Pluviali, semper deponit Manipulum, et ubi Pluviale haberi non potest, in Benedictionibus, quæ fiunt in Altari, Celebrans stat sine planeta, cum Alba et Stola.*

5. *Dalmatica et Tunicella utuntur Diaconus et Subdiaconus in Missa solemni, et Processionibus, et Benedictionibus, quando Sacerdoti ministrant.*

6. *In diebus vero jejuniorum (præterquam in Vigiliis Sanctorum) et in Dominicis, et Feriis Adventus, et Quadragesimæ, ac in Vigilia Pentecostes ante Missam (exceptis Dominica* Gaudete, *etiam si ejus Missa infra hebdomadam*

(1) Vid. Inn. III, lib. 1, c. 64, ult.

Digitized by Google

repetatur, et Dominica Lætare, *et Vigilia Nativitatis Domini, Sabbato Sancto in benedictione Cerei, et in Missa, ac in Quatuor Temporibus Pentecostes) : item in benedictione candelarum, et Processione in die Purificationis B. Mariæ, et in benedictione Cinerum, ac benedictione Palmarum et Processione : in Cathedralibus et præcipuis Ecclesiis utuntur Planetis plicatis ante pectus : quam Planetam Diaconus dimittit, cum lecturus est Evangelium, eaque tunc super sinistrum humerum super Stolam complicatur, aut ponitur aliud genus Stolæ latioris in modum Planetæ plicatæ, et facta Communione resumit Planetam ut prius. Similiter Subdiaconus dimittit eam, cum lecturus est Epistolam, quam legit in Alba; et ea finita, osculataque Celebrantis manu, Planetam resumit ut prius.*

7. *In minoribus autem Ecclesiis, prædictis diebus jejuniorum Alba tantum amicti ministrant : Subdiaconus cum manipulo, Diaconus etiam cum Stola ab humero sinistro pendente sub dextrum.*

---

157. Cum celebrans planeta in missa tantum utatur, pluviali vero in processionibus quæ etiam fiunt post missam, et in benedictionibus solemnibus quæ fiunt ad altare, sequitur, ad dandam benedictionem cum ss. Sacramento post missam, ad cantandum hymnum *Te Deum*, ad faciendam processionem, casulam cum manipulo esse deponendam, et pluviale si habeatur assumendum (1).

Stola adhibenda est in confectione et administratione sacramentorum, in sacramentalibus, benedictionibus, processionibus aliisque functionibus, pro quibus rubricæ eam a celebrante adhibendam præscribunt, et etiam in concionibus, si eam tunc adhibendi adsit consuetudo immemorabilis (2). Assumi nequit in choro ab hebdomadario seu celebrante, aut

(1) Merati p. 4, tit. 8, n. 27.
(2) S. R. C. 26 Sept. 1868, n. 3185; 11 Martii 1871, n. 3237, II.

Digitized by Google

aliis, neque a parochis ad vesperas aliasve horas canonicas, neque nisi ex consuetudine quam S. R. C. vel servari posse vel debere pro diversis casibus declaravit, in processionibus aliisque functionibus, in quibus officio celebrantis non funguntur (1). Usus enim stolæ non ita accipiendus est, ut sit signum jurisdictionis, sed ab actuali exercitio, quod juxta rubricas stolam requirit, ut vestis sacerdotalis, et quandoque tantum ut distinctivum officii, quod quis habet (2). Ut signum distinctivum officii ex consuetudine conceditur parochis in processionibus, dummodo collegialiter incedant (3), et cappellanis dum cum suis confraternitatibus in processionibus incedunt (4). Præter hos autem casus neque cappellanis confraternitatum usus stolæ extra propriam ecclesiam permittitur (5); neque parochis, dum singulariter incedunt; neque aliis quibuscumque, nisi actualiter exerceant officium, quod usum stolæ requirit (6).

Not. stolam super albam in modum crucis ante pectus gestari debere (7), cingulo de more conjunctam et utrimque religatam, sive intra sive extra missam, sive ad aut extra altare, sive cum vel sine pluviali, dummodo adhibeatur super albam : nam solius est Episcopi, uti stola ante pectus pendente super albam. Quod si adhibeatur cum superpelliceo, soluta pendebit a collo hinc inde, quia ligari in modum crucis non potest (8).

158. Dalmatica, qua utitur diaconus, et tunicella, qua

(1) S. R. C. 3 Dec. 1672, n. 1456.

(2) Dec. 21 Jul. 1855, n. 3035, 2; Vid. Coll. Decr. vol. IV in dec. 2588, p. 182; in dec. 2635, p. 254; in dec. 2641, p. 268, et in instr. Clem. § 9, n. 8-11.

(3) S. R. C. 22 Aug. 1818, n. 2588; 5 Mart. 1825, n. 2641, 1; 9 Maji 1857. n. 3031, 4.

(4) S. R. C. 27 Mart. 1824, n. 2635; 16 Dec. 1826, n. 2652; 5 Dec. 1868, n. 3191, II.

(5) Dec. gen. 12 Jan. 1704, n. 2123, 23.

(6) Vid. *Revue des sciences ecclésiastiques,* tom. IX (XIX), fol. 150.

(7) S. R. C. 30 Sept. 1679, n. 1637, 3.

(8) Gavantus p. 1, tit. 19, litt. m; Merati p. 4, tit. 19, n. 6; Vinitor p. 1, tit. 19, annot. 5.

Digitized by Google

utitur subdiaconus in missa solemni et aliis ut supra in Rub. n. 5 ejusdem formæ sunt, nisi quod tunicella strictiores longioresque aliquantulum manicas habeat (1) : quæ differentia sæpe negligitur.

159. *Planetæ plicatæ.* Cum dalmatica et tunicella sint vestes solemnitatis et lætitiæ, diaconus et subdiaconus iis non utuntur diebus jejuniorum aliisque in rubricis n. 6 enumeratis, præterquam in diebus ibidem exceptis, cum quibus etiam excipitur missa in cœna Domini et vigilia Pentecostes, quia planetæ plicatæ in usu non sunt, nisi in colore violaceo et nigro.

In cathedralibus et præcipuis ecclesiis, quales sunt collegiatæ, abbatiales seu insigniores regularium ecclesiæ, in diebus, quibus prohibentur dalmatica et tunicella, diaconus et subdiaconus, quicumque sint sive canonici, sive inferioris ordinis sacerdotes, sive in missa ministrent, sive subdiaconus crucem deferat, utuntur planetis plicatis, prout exigit sacræ actionis qualitas (2). Posse in parochialibus ecclesiis planetas adhiberi valde certum est (3); in minoribus vero ecclesiis non sunt necessariæ sed possunt adhiberi. Adeoque diaconus et subdiaconus in istis ecclesiis diebus assignatis possunt ve in alba vel cum planetis plicatis ministrare, et in cathedralibus et præcipuis ecclesiis planetis plicatis uti tenentur (4), etiamsi ss. Sacramentum ad fidelium venerationem exponatur (5).

Hæc autem Rubrica supra n. 6 et 7, intelligenda est sicut aliæ, quæ sacras vestes in missa præscribunt, ut num. 16 dicetur.

Planetæ plicatæ sunt ejusdem formæ et coloris ac illa celebrantis, sed plicatæ intrinsecus usque ad pectus, vel revolutæ etiam ante pectus, aciculis vel vittis firmatæ, ne

(1) Cærem. Ep. l. 1, c. 10, n. 1.

(2) S. R. C. 6 Maji 1826, n. 2646, 4. adv. in hoc decreto non permitti, sed juberi non Plan. plicat. declarando quod ad efectum Eccl. paroch. sunt [illegible] res.

(3) S. R. C. 23 Ap. 1875, n. 3352, VII; Merati p. 4, tit. 1, n. 4; Guyetus l. 3, c. 29, q. 12.

(4) S. R. C. 16 Mart. 1591, n. 15, 9.

(5) S. R. C. 31 Aug. 1867, n. 3161, II.

Digitized by Google

decidant. Finita missa eædem aciculæ aut vittæ auferri possunt, ut inserviant pro celebratione missæ (1).

Planetæ plicatæ tribuuntur majoribus ecclesiis ad distinctionem minorum. Plicantur ante pectus, olim ob commoditatem ministrandi, quando totum corpus ambiebant, et nunc vel ad servandum vestigium antiqui ritus, vel ad differentiam casulæ sacerdotalis. Diaconus ante evangelium et subdiaconus ante epistolam eamdem deponunt, ad significandum, eamdem sibi per se non competere, neque in ordine ad proprium ministerium.

160. Superpelliceum et rochettum differunt in eo, quod superpelliceum amplum sit, manicas habeat admodum amplas, et a pectore nullo modo sit scissum aut dissectum (2); rochettum autem minus amplum sit, et manicas angustas habeat. Superpelliceum, quod et cotta dicitur, est vestis communis omnibus clericis; rochettum autem est vestis dignitatis : et ideo in decreto S. R. C. ab Urbano VIII approbato, quod ponitur initio missalis « prohibetur usus rochetti, » exceptis tamen quibus de jure competit; et præter hoc » statuitur et declaratur, nemini licere inservire, aut assis- » tere in celebratione missarum, aut divinorum officiorum » cum rochetto, neque cum cotta habente manicas angustas » adinstar rochetti : et idem servandum est in concionibus. » Item in decreto 10 Jan. 1852, in Cenomanen., declaratur « tum ad sacramenta administranda, tum ad suscipiendam » primam tonsuram et minores ordines, necessario super- » pelliceo utendum » (3).

Rochettum competit (4) prælatis sæcularibus, non autem prælatis regularibus, neque aliis sacerdotibus sæcularibus, sed superpelliceum tantum, nisi his ex privilegio apostolico usus rochetti concessus sit, prout pluribus capitulis canonicorum præsertim cathedralium indultus est (5).

(1) Merati p. 4, tit. 1, n. 4.
(2) Gavantus mensura s. supell. s. Carolus de suppellectili ecclesiast. lib. 2.
(3) N. 2993, 5.
(4) Rub. in ritu celeb. tit. 1, n. 2.
(5) Vid. dec. 17 Mart. 1629, n. 495; 14 Nov. 1654, n. 977; Vid. *Praxis Pontif.* tom. 1, n. 30 et 31.

Digitized by Google

Illi tamen, qui ex privilegio usum rochetti habent, in Sacramentorum administratione, benedictionibus, aliisque functionibus, pro quibus per rubricas superpelliceum præscribitur, superpelliceum etiam induere debent sive intra sive extra propriam ecclesiam (1). In choro autem, processionibus aliisque, in quibus habitum choralem induunt, « etiamsi gaudeant indulto deferendi rochettum tam in pro» pria quam in alienis ecclesiis, hujusmodi tamen aliorumque » canonicalium insignium usum extra propriam ecclesiam » licitum esse dumtaxat, quando capitulariter incedunt, vel » assistunt, et peragunt sacras functiones; non autem si » intersint uti singuli, nisi speciale privilegium nedum col» legium comprehendat, verum etiam singulariter et dis» tincte ad personas extendatur » declaravit S. R. C. (2). Item in concionibus aliisque functionibus, in quibus per rubricas superpelliceum non præscribitur, privilegiati rochetto uti possunt, sed tantum in propria ecclesia (3).

Not. tamen S. R. Congregationem ad preces Rmi Episcopi Massen., quibus exponebat, quod mos vigeret, ut clerus universus, ne exceptis quidem parvulis clericis, rochetto uterentur, ac proinde s. Sedis oraculum exquirebat, num adhuc sibi super hoc usu silentio insistendum sit, ne turbas excitet, siquidem admodum antiqua consuetudo hæc perhibetur; vel potius teneatur hunc usum tollere, deficiente privilegio, rescripsisse, *non esse inquietandos* (4).

161. Biretum licet non numeretur inter paramenta sacra, opportuno tamen hoc loco recensetur. Generaliter adhibetur in accessu ad sacras functiones et recessu ab iisdem, deponendo tamen ad quascumque inclinationes et genuflexiones, nisi sacerdos calicem portet, quando illud tantum deponit, dum flectit utroque genu.

(1) S. R. C. 31 Maji 1817, n. 2578, dub. addit. 1; 17 Sept. 1822, n. 2622; 16 Ap. 1831, n. 2680.

(2) Dec. gen. 31 Maji 1817, n. 2579.

(3) S. R. C. 31 Maji 1817, n. 2578, dub. addit. 2.

(4) 27 Feb. 1847, n. 2935.

Digitized by Google

Numquam tamen adhiberi potest 1° in actuali ministerio (1), nisi in concione, auditione confessionum, in choro quando sedetur, in processionibus, quæ fiunt sine ss. Sacramento et sine reliquia s. Crucis.

2° Neque biretum, neque pileolus parvus adhiberi potest in delatione ss. Sacramenti ad infirmos, sive de die sive de nocte, sive sub prætextu alicujus infirmitatis sive non (2). Unde consuetudo deferendi ss. Sacramentum per viam capite cooperto a S. R. Congregatione declaratur abusus eliminandus (3); et Cavalieri (4) infert, sacerdotem reumate vel alia infirmitate laborantem debere a deferendo ss. Sacramento abstinere, et id muneris alteri committere, vel aperto nihilominus incedere capite, nisi ipsi indultus fuerit usus pileoli (5), qui concedi quidem solet in itinere, non tamen intra civitatem vel oppidum : additque idem clar. auctor Episcopum posse concedere licentiam deferendi pileolum in itinere, solamque dispensationem per civitatem vel oppidum esse juris apostolici.

3° Nec bireti, nec pileoli usus permittitur in celebratione missæ; unde in dec. Urbani VIII in missali apposito mandatur : « nemo audeat uti pileolo in celebratione missarum » sine expressa licentia Sedis apostolicæ, non obstante qua» cumque contraria consuetudine » (6). Si non detur recursus ad summum Pontificem, in casu necessitatis ea licentia obtineri potest ab Episcopo ex regulis generalibus. Item eum sacerdotem, qui gravissimo afflictus morbo, missam celebrans, caput usque ad præfationem pileolo tegeret, detractumque iterum post communionem capiti imponeret, a

(1) S. R. C. 10 Jan. 1693, n. 1891; 4 Ap. 1699, n. 2027, 7; 14 Jun. 1845, n. 2895.

(2) S. R. C. 23 Aug. 1695, n. 1931.

(3) S. R. C. 31 Aug. 1872, n. 3275, II.

(4) Tom. 4, dec. 76, n. 3.

(5) S. R. C. 23 Maji 1846, n. 2908; 12 Sept. 1857, n. 3059, 19.

(6) Gavantus p. 2, tit. 2, litt. f; Bened. XIV, de sac. m s. 1, § 53 et in epist. apud Cavalieri t. 5 in fine n. 22; s. Alph. de Ligorio l. 6, n. 397; Quarti p. 2, tit. 2, d. 3; Hippolytus a Portu p. 1, tit. 2, rub. 2, n. 2.

Digitized by Google

peccato immunem putat Sylvius (1) : neque enim apostolica sedes videtur eam sibi licentiam ita reservasse, ut illicitum voluerit declarare, quod quis in casu extraordinario, qui supervenit, vel propter morbum minime diuturnum fecerit. Hæc approbari videntur a Benedicto XIV et s. Alph. de Ligorio, et merito extenduntur ad delationem ss. Sacramenti ad infirmos, pro qua casus extraordinarius ex longo itinere et nimio frigore facilius accidere potest.

4° Non tantum in delatione ss. Sacramenti et celebratione missæ, sed nec in quibusvis ecclesiasticis functionibus sacerdotes et etiam canonici quibus alias permittitur pileoli usus, eodem umquam uti possunt, nisi hoc fuerit specialiter indultum (2).

Notanda est differentia inter biretum et pileolum parvum : nam ut ex dictis patet, biretum in missa et in delatione ss. Sacramenti numquam permittitur, sed pileolus aliquando cum licentia vel ex necessitate.

Hac occasione pariter notandum, in celebratione prohibitum esse, uti coma supposititia, vulgo perucca, quia in canone *Nullus* de Consec. dist. 1. statuitur : « Nullus Epis» copus, presbyter, diaconus ad solemnia missarum cele» branda præsumat..... velato capite altari Dei assistere, » quoniam et apostolus prohibet, viros velato capite orare » in ecclesia; et qui temere præsumpserit, communione » privetur. » Qua prohibitione coma fictitia, quæ vere caput cooperit, comprehenditur (3). Dispensatio eamdem deferendi infra missam, spectat ad Pontificem, sed extra missam ad Episcopum (4).

(1) De sacramento Eucharistiæ q. 83, art. V.

(2) S. R. C. 14 Jun. 1845, n. 2895. Vid. *Praxis Pontificalis* tom. I, n. 16 et 32.

(3) S. R. C. 4 Ap. 1699, n. 2027, 4 et 5.

(4) Vid. Bened. XIV, de syn. diœc. 1, 11, c. 9, et instit. 34, § 4 et 96; Lucius Ferr. coma fictitia; s. Alph. de Ligorio l. 6, n. 398; Le Brun p. 1, art. 2; Janssens p. 3, tit. 10, § 1, n. 25 et 26; Humbertus a Præcipiano 2ª ep. past. syn. Belg. t. 2, pag. 424; Clericatus de sacrif. m. decis. 50, n. 38; Richaudeau ch. II, n. XIV et XVI; Cuppinus de externis ad M. requisit. n. 31-33.

Digitized by Google

162. Not. usum sacrarum vestium, albæ, dalmaticæ, pluvialis et similium non permitti laicis, licet regularibus (1). Quoad superpelliceum autem, quamvis Baruffaldus (2) censeat illud non permitti laicis, quia proprie est vestis ecclesiastica ad usum clericorum, contrarium tamen fere communis habet consuetudo (3), et ita toleratur, saltem si clerici deficiant (4).

SACRARUM VESTIUM SIGNIFICATIO.

163. Sicut reges et magistratus non vulgari et quotidiano vestitu in publicis functionibus uti solent, sed alio augustiori, quo potestas eorum appareat, et ipsis reverentia concilietur, ita Ecclesia exemplis veteris testamenti edocta adhibuit sacras vestes, et quidem, ut docet Conc. Trid. (5), « ex Apos-
» tolica disciplina et traditione, quo et majestas tanti sacri-
» ficii commendaretur, et mentes fidelium per hæc visibilia
» religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in
» hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur. »

Sacrorum paramentorum plurimæ rationes mysticæ afferri solent, morales scilicet quoad mores, et allegoricæ quoad passionem Domini nostri, quarum quædam tantum brevitatis studio hic subjunguntur.

1° Amictus (ab amicire, quia olim caput, et nunc vestes collares tegit) significat velamen faciei Christi vel coronam spineam, et in sensu morali galeam salutis contra diabolicas tentationes, ex oratione quæ ad amictum induendum recitatur; item castigationem vocis seu linguæ custodiam, ut in ordinatione subdiaconi dicitur, quatenus collum tegit, et vox per guttur et os emittitur.

(1) S. R. C. 29 Mart. 1659, n. 1111, 6, et 11 Sept. 1847, n. 2952; 22 Ap. 1871, n. 3248, IV.
(2) Tit. 2, n. 59, et tit. 24, n. 30.
(3) Cavalieri tom. 4, dec. 66, n. 19.
(4) S. R. C. 22 Ap. 1871, n. 3248, IV.
(5) Sess. XXII, c. 5, de sac. m.

Digitized by Google

2° Alba, sic dicta a colore, denotat vestem albam, qua Christus ab Herode indutus fuit, et in ordine ad mores est symbolum innocentiæ, puritatis et sanctitatis, nec non perseverantiæ ob suam longitudinem.

3° Cingulum significat funes et flagella, quæ Christi Corpus ambierunt, et in sensu morali est signum castitatis.

4° Manipulus, sic forsan dictus a manu qua portatur significat funes, quibus Christi manus ligatæ fuerunt, et quoad mores dolorem et pœnitentiam, laborem et bona opera juxta illud ps. 125 : *Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua. Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.* Ideo collocatur in brachio sinistro, ut dextra quidem sit expeditior, sed insuper, quia dolor et labor congruunt præsenti vitæ, quæ per sinistram denotatur.

5° Stola significat funes collo Christi injectos, vel crucem humeris impositam; et in sensu morali jugum Domini et obedientiam, ad quam denotandam ambabus manibus collo imponitur et extremitatibus cinguli colligatur, quia obedientia virtus generalis est, et virtutes virtutibus sociantur.

6° Casula, sic dicta quia olim tanquam parva casa totum corpus a collo ad pedes tegebat, brachiis manibusque involutis, etiam dicta planeta seu errans, quia erat versatilis circa corpus, significat purpureum vestimentum, quo milites Christum apud Pilatum induerunt, vel tunicam inconsutilem, quam detraxerunt milites, quando cruci affigendus erat; et in sensu morali vestem nuptialem, vel quod idem est, charitatem, quæ sicut casula cæteris vestibus superinduitur, ita reliquis virtutibus excelsior est, et omnibus supereminet.

7° Dalmatica, tunicella et pluviale eamdem fere ac casula significationem habent; et superpelliceum et rochettum eamdem ac alba, quæ ad ejus usum facilitandum pro variis functionibus ad formam superpellicei aut rochetti est redacta.

Not. cum Gavanto (1) ornamenta hæc non esse virtutes, sed virtutum insignia, quibus tanquam scripturis utentes admonentur, quid debeant appetere, quid vitare et ad quid

(1) P. 2, tit. 1, in fine.

Digitized by Google

sua facta dirigere. Attendat ergo, inquit Innocentius III, sacerdos studiose, ut signum sine significato non ferat, ut vestem sine virtute non portet, ne forte similis sit sepulchro deforis dealbato, intus autem omni pleno spurcitia. Quisquis autem sacris indumentis ornatur, et honestis moribus non induitur, quanto venerabilior apparet hominibus, tanto indignior redditur apud Deum. Sacerdotalem itaque gloriam jam honor non commendet vestium, sed splendor animarum (1).

8° Mysticas significationes altaris, calicis, ejusque ornamentorum indicant hi versus :

Ara crucis, tumulique calix, lapidisque patena,
Syndonis officium candida byssus habet.

De significationibus sacrarum vestium vid. *Durand. Rat. div. lib. 3. — Durantus de rit. Eccl. lib. 2, c. 9. — Inn. III, lib. 1, c. 35 et seq.— Bona tract. ascet. c. 5, § 2.— Gavantus p. 2, tit. 1. — Bened. XIV, de sac. m. sect. 1, § 54 et seq.*

OBLIGATIO SACRARUM VESTIUM.

164. Not. 1. omnes et singulas sacras vestes sub gravi requiri in celebratione Missæ juxta Gavantum (2), Benedictum XIV (3) et alios citatos apud Quarti (4), sed eidem Quarti et aliis ibi citatis probabilius videri dari parvitatem materiæ in omissione etiam voluntaria sacrarum vestium : ex quo inferunt omissionem solius cinguli, aut solius manipuli, ut aliqui addunt, fore tantum peccatum veniale ex parvitate materiæ.

Not. 2. sacras vestes quoad hanc materiam distingui in majores et minores. Majores juxta omnes sunt alba et casula, et idem a plerisque dicitur de stola, quia stola est vestis propria sacerdotalis; reliquæ tres dicuntur minores, quarum

(1) De sac. alt. mysterio l. 1, c. 63.
(2) P. 2, tit. 1, n. 5, litt. u, in fine.
(3) De sac. m. sect. 2, § 52.
(4) P. 2, tit. 1, sect. 4, dub. 5.

Digitized by Google

infima secundum omnes est cingulum; manipulus vero et amictus strictiori jure præcipiuntur, non ita tamen rigorose, ut aliæ tres primo loco enumeratæ (1). His præmissis dicitur :

I° Certum est apud omnes, peccatum esse mortale, celebrare sine ullis vestibus sacris, quacumque etiam necessitate occurrente, nisi forte in casu vitandi mortem, non intentatam in contemptum religionis, in quo quidam putant esse licitum : quia irreverentia et scandalum tanta censentur, ut quæcumque alia necessitas aut præceptum cesset.

2° Pariter certum est apud omnes, sine gravi peccato omitti non posse albam aut casulam, nisi in gravissimo periculo vitæ propriæ vel alterius, ut dictum est in præcedente. Idem plures, qui stolam inter vestes majores referunt, de eadem censent : quia tamen aliqui stolam inter vestes minores numerant, non est improbabile, ait Quarti (2), licitum esse celebrare sine stola in gravi necessitate, ut ad communicandum infirmum, ut populus audiat missam die festivo. In hoc autem casu manipulus adhiberi potest pro stola, si manipulus longior sit, et convenienter aptari valeat, quia eadem est omnium vestium benedictio.

3° Tandem certum est gravem necessitatem excusare ad celebrandum sine solo amictu, aut cingulo, vel manipulo, et forte quidem ad celebrandum sine his omnibus, quia harum minorum vestium defectus non infert tantam irreverentiam contra Sacramentum et Sacrificium, si magis urgeat necessitas celebrandi, quod ex circumstantiis judicandum est. Quinimo juxta quosdam licet celebrare sine aliqua ex vestibus minoribus, si desint, et detur aliqua rationabilis causa celebrandi, ut fervor devotionis, opportunitas eleemosynæ sacerdoti non diviti. In casu sacerdos alio ligamine pro cingulo, prout etiam stola pro manipulo, uti posset (3).

Not. Rectores ecclesiæ teneri subministrare paramenta et

(1) Quarti loco cit. dub. 6.

(2) Loco cit. dub. 6.

(3) Præter auctores cit. vid. s. Alph. de Ligorio l. 6, n. 377; Merati p. 2, tit. 1, n. 33; Lohner p. 1, tit. 3, § 2, n. 1; Collet *Traité des ss. mystères*, ch. 10, n. 1-4.

Digitized by Google

cætera ad celebrandum necessaria sacerdotibus ecclesiæ adscriptis; Episcopum autem non posse cogere rectores, ut eadem subministrent sacerdotibus in loco commorantibus et in ecclesia celebrare volentibus, sed hortari, et rectores recte facturos, si monitionibus et hortamentis Episcopi pareant (1).

165. Ornamenta calicis omnia requiruntur de præcepto, quia spectant ad cæremonias infra missam servandas, et ut patet ex responso S. R. C. (2). Quoad corporale quidem certum est apud omnes, ut scribit s. Alph. de Ligorio (3) quod celebrare sine illo nequeat excusari a mortali, nisi gravis urgeat necessitas, et juxta Quarti (4) non nisi in casu extremæ necessitatis vitæ. Plures idem censent de palla, quia vicem corporalis subit (5); alii autem non minus probabiliter id negant (6), quia modo non eadem reverentiæ ratio currit pro palla, quæ non tangit sacras species, ac pro corporali, quod easdem tangit : adduntque aliqui, si palla desit, ejus loco posse adhiberi aliud corporale, aut hoc deficiente, purificatorium aut bursam. Non tanta tamen necessitate requiruntur bursa, velum et purificatorium, ita ut causa rationabilis sufficere possit ad celebrandum sine illis, aut similia ex profanis congruenter mundis accipienda.

166. Paramenta sacra in solemni Sacramentorum administratione cadunt sub præcepto ex Conc. Trid. (7), nam sub ritibus ab Ecclesia pro Sacramentorum administratione præscriptis comprehenduntur. Paramenta autem in benedictionibus aliisque functionibus, licet per se non sint de præcepto, absque causa tamen rationabili omitti nequeunt sine veniali, et si omitterentur cum notabili scandalo aut irreverentia, committeretur peccatum mortale contra jus divinum, naturale et contra reverentiam Deo et rebus sacris debitam (8).

(1) S. R. C. 31 Maji 1698, n. 1999; 31 Mart. 1703, n. 2107.
(2) 19 Jan. 1692, n. 1866, 2.
(3) L. 6, n. 387.
(4) P. 2, tit. 1, sect. 3, dub. 1.
(5) Quarti loco cit. dub. 2.
(6) S. Alph. de Ligorio l. 6, n. 388.
(7) Sess. VII, de sac. in genere can. 13.
(8) Ita Quarti p. 1, tit. 19, dub. 1.

Digitized by Google

MATERIA PARAMENTORUM.

Ob similitudinem materiæ tractandæ hic agetur non tantum de paramentis celebrantis, ministrorum et calicis, sed etiam de paramentis altaris, de quibus rubricæ tantum agunt titulo sequenti.

167. Qualia debent esse paramenta sacra?

R. Ex materia debita confecta, benedicta, non lacera aut scissa, decenter munda ac pulchra, prout sacrificii sanctitas et excellentia requirit.

Si ornamenta sacra ex negligentia sint scissa aut lacera vel immunda, peccatur, quinimo mortaliter, si illa, præcipue vasa sacra et corporalia, sint valde immunda (1).

Ex qua materia paramenta confecta esse debent?

R. 1° Paramenta coloris officio aut missæ convenientis, quæ sunt manipulus, stola, casula, dalmatica et tunicella, pluviale, antipendium et bursa corporalis, ex certa et determinata materia juxta rubricas confici non debent : planetæ tamen seu casulæ, stolæ et manipuli fieri non possunt ex lana, tela linea, vel gossipio vulgo percallo, coloribus præscriptis tincta aut depicta, juxta rubricas et usum omnium ecclesiarum, quæ hujusmodi paramenta, totaliter ex lana, lino vel gossipio confecta non admittunt (2); neque etiam ex gossipio vel simili materia solida, cui superimpositæ sunt filamenta vitrea, ne vitrum in minutissimas partes frangatur, et in calicem delabatur (3). His igitur exceptis fieri possunt et debent ex pannis sericis, argenteis aliisque juxta consuetudinem, etiam ex lino vel gossipio, cui fila serica superimponuntur, qualia paramenta per decreta non prohibentur,

(1) Quarti p. 1, tit. 20, d. 8; p. 2, tit. 1, s. 3, d. 1, in fine, et ibid. s. 4, d. 7; Vinitor p. 2, tit. 1, annot. 20 et 37; s. Alph. de Ligorio de cæremoniis missæ c. 2, n. 5.

(2) S. R. C. 23 Sept. 1837, n. 2769, V, 3; 23 Jun. 1892, n. 3779, 1. Monitum S. R. C. 28 Julii 1881, quo usus casularum aliorumque similium sacrorum paramentorum ex tela gossypii aut lini aut etiam lanæ confectorum illicitus declaratur, vide in Actis S. Sedis vol. XIV, fol. 144.

(3) S. R. C. 11 Sept. 1847, n. 2949.

Digitized by Google

cum usus ecclesiarum hæc communiter admittat, modo saltem sint talia, quibus vulgus communiter non utitur. Ex quacumque autem materia sint paramenta, velum tamen calicis sericum esse debet juxta rubricas (1), sicut etiam velum humerale pro subdiacono, quod vicem veli calicis supplet (2). Idem dicendum videtur de velo humerali pro deferendo ss. Sacramento et danda benedictione, quod rituale Romanum quidem tantum decens, cæremoniale autem Episcoporum etiam sericum appellant (3).

R. 2° Amictus, albæ, mappæ, corporalia, purificatoria et pallæ ex lino vel ex cannabe tantum composita esse possunt juxta Rubricas (4) et dec. gen. 15 Maji 1819 (5) ut sequitur : « Quamvis S. R. C. sub die 15 Mart. 1664 (6) reprobaverit morem, qui forte alicubi obtinuerat, conficiendi amictus, albas, tobaleas altarium, necnon corporalia et pallas ex tela quadam composita ex lino et gossipio subtilissimo, nihilominus novissimis temporibus adeo invaluit abusus, ut, constanti ecclesiæ disciplina posthabita, nonnullis in ecclesiis non alia adhibeantur supellectilia, vel ad sacrificandum, vel ad altarium usum, nisi ex simplici gossipio confecta. Ad hanc corruptelam, quam bene multi consuetudinis nomine cohonestare nituntur, radicitus evellendam, studia converterunt Em^mi et Rev^mi Dom. Cardinales sacris tuendis ritibus propositi : solliciti ideirco, ut quod usque ab Ecclesiæ primordiis quoad sacra indumenta et supellectilia ob reales et mysticas significationes inductum est, retineatur, restituatur, et in posterum omnino servetur; declararunt et decreverunt, ab antiquo more sub quolibet prætextu, colore, ac titulo non esse recedendum; et eadem sacra indumenta ac supellectilia conficienda esse ex lino aut cannabe, non autem ex alia quacumque materia, etsi

(1) Rit. celeb. m. tit. I, n. 1.
(2) Cæremoniale Ep. l. 1, c. 10, n. 5.
(3) Rit. Rom. de processione ss. Sac. et cærem. Ep. lib. 2, c. 33, n. 14.
(4) Ritus celeb. tit. I, n. 1.
(5) N. 2600.
(6) N. 1287.

Digitized by Google

munditie, candore ac tenacitate linum aut cannabem æmulante et æquante : aliqua tamen indulgentia utentes permiserunt, ut amictus, albæ, tobaleæ, mappulæ, si quæ ex gossipio habentur, adhiberi interea possint, usque dum consumantur : sed cum hujusmodi supellectilia renovanda erunt, ne ex alia materia fiant, nisi ex lino vel cannabe, præceperunt. Districte vero jusserunt, ut corporalia, pallæ ac purificatoria, post lapsum unius mensis a præsentis decreti publicatione, linea omnino sint vel ex cannabe, interdicto et vetito aliorum usu, quæ ex gossipio superexrunt. Et ita decreverunt, ac ubique locorum, si SS^mo Domino Nostro placuerit, servari mandarunt die 15 Maji 1819. Facta autem... SS. Domino Nostro relatione, Sanctitas sua decretum S. C. approbavit, confirmavit, typisque editum publicari præcepit; ac propterea jussit, ut locorum Ordinarii ejusdem observantiæ sedulo incumbant, die 18 ejusdem mensis et anni. »

Mappa ante communicantes extendenda in præfato decreto non exprimitur, eam tamen ex lino vel saltem ex cannabe etiam conficiendam esse probatur ex rubricis in ritu celebrandi missam tit. X, n. 6, et in rituali Romano in ordine administrandi s. communionem, quæ eamdem vocant *linteum* seu velum album ex lino confectum.

Not. omnes tres mappas ex lino aut cannabe esse debère, non autem unam aut duas inferiores ex gossipio, ut quidam permittunt; et 2° pallam a parte superiori et inferiori ex lino seu cannabe esse faciendam, non vero, neque a parte superiori, ex panno inaurato aut serico (1). Attamen permittitur usus pallæ a superiori parte panno serico, aut ex auro vel argento et acu depicto coopertæ, dummodo palla linea subnexa calicem cooperiat ac pannus superior non sit nigri coloris, nec referat aliqua mortis signa (2).

R. 3° Cingulum potest esse sericum aut laneum (3) et coloris

(1) S. R. C. 22 Jan. 1701, n. 2067, 6.
(2) S. R. C. 17 Jul. 1894, n. 3832, 4.
(3) S. R. C. 23 Dec. 1862, n. 3118.

Digitized by Google

paramentorum, sed juxta præsentem Ecclesiæ usum congruentius est linteum et album (1).

Rochettum et superpelliceum, licet rubricæ et decreta nihil de illis statuant, videntur tamen ejusdem materiæ esse debere ac alba, cujus usum supplent ac tenent (2).

Not. 1° quoad confectionem sacrarum vestium, usum in Ecclesia receptum et approbatum constanter esse tenendum, et omnem novum modum vitandum. Hoc patet ex litteris sequentibus : « Quum, renunciantibus nonnullis Rmis Episcopis aliisque ecclesiasticis et laicis viris, Sanctam Sedem non lateret, quasdam in Anglia, Galliis, Germania et Belgio diœceses immutasse formam sacrarum vestium, quæ in celebratione sacrosancti missæ sacrificii adhibentur, easque ad stylum, quem dicunt gothicum, elegantiori quidem opere conformasse... Sacra Congregatio legitimis protuendis ritibus præposita super hujusmodi immutationibus accuratum examen instituere haud prætermisit. Ex hoc porro examine, quamvis eadem Sacra Congregatio probe nosceret, sacras illas vestes stylum gothicum præ se ferentes præcipue sæculis XIII, XIV et XV obtinuisse, æque tamen animadvertit Ecclesiam Romanam, aliasque latini ritus per orbem ecclesias, Sede Apostolica minime reclamante, a sæculo XVI, nempe ab ipsa propemodum Concilii Tridentini ætate usque ad nostra hæc tempora illarum reliquisse usum; proindeque, eadem perdurante disciplina, nec non Sancta Sede inconsulta, nihil innovari posse censuit; uti pluries Summi Pontifices in suis edocuere constitutionibus, sapienter monentes immutationes istas, utpote probato Ecclesiæ mori contrarias, sæpe perturbationes producere posse, et fidelium animos in admirationem inducere. Sed quoniam S. R. C. arbitratur alicujus ponderis esse posse rationes, quæ præsentem immutationem persuaserunt, hinc audito SS. D. N. Pii Papæ IX oraculo, verbis amantissimis invitare censuit... ut quatenus

(1) S. R. C. 22 Jan. 1701, n. 2067, et 8 Jun. 1709, n. 2194, 3.
(2) Vid. Gardellini ad dec. n. 2600 in vol. IV coll. dec. p. 192.

Digitized by Google

in tua diœcesi hujusmodi immutationes locum habuerint, rationes ipsas exponere velit, quæ illis causam dederunt. Romæ die 21 Aug. 1863. C. Epus Portuen. et S. Rufinæ Card. Patrizi Præf. „ (1).

Not. 2° Vestes profanas ad usum sacrum licite applicari, quoniam quidquid mundanum contraxerunt, nova confectione et benedictione abstergitur.

Not. 3° Quoad ornatum permitti consuetudinem receptam et non reprobatam, qua constat extremitates albæ, rochetti, superpellicei, purificatorii, corporalis, pallæ et mapparum texto denticulato circumduci posse. In fimbriis autem et manicis albarum sub velo transparenti fundum coloratum mittere licet; sed fundum manicarum in rochettis debet esse coloris vestis talaris relativæ dignitatis (2). In paramentis nigris nullæ imagines mortuorum vel cruces albæ poni possunt (3). Stemmata gentilitia donatoris in sacris paramentis ponere non prohibetur quidem (4), si statuta diœcesana non obstent. Amictus debet habere crucem in medio partis superioris inter funiculos, vel in ipso medio, si ita confectus sit, ut funiculi mutari possint; bursa unam in parte superiori; et manipulus atque stola tres in medio et in extremis partibus (5). Crux in medio stolæ debet esse visibilis, et non nimis linteo obtegenda. Stola latior, qua utitur diaconus, dum tempore adventus et quadragesimæ deponit planetam plicatam, habere non debet intextas tres cruces (6). Prohibetur crux in medio corporalis, et tantum permittitur in extremitate anteriori, ubi altare est osculandum (7).

(1) Vid. Analecta juris Pontificii 7 ser. fol. 627.
(2) S. R. C. 12 Jul. 1892, n. 3780, 5; 24 Nov. 1899, n. 4048, 7.
(3) Cærem. Ep. lib. 2, c. 11, n. 1.
(4) S. R. C. 7 Dec. 1844, n. 2875; Collet, *Traité des ss. mystères*, ch. 10, n. 10, 11.
(5) Gavantus de mensura s. supellectilis.
(6) S. R. C. 25 Sept. 1852, n. 3006, 7.
(7) S. Alph. de Ligorio de cærem. c. 2, n. 6.

Digitized by Google

DE BENEDICTIONE PARAMENTORUM.

168. An, quomodo, sub qua obligatione, et a quo paramenta debent esse benedicta, antequam ad usum sacrum adhibeantur?

R. ad 1. Certum est de præcepto benedici debere corporale, amictum, albam, manipulum, stolam et casulam ex communi sententia, et idem dicendum est de palla, mappis, et etiam de cingulo, licet quidam contrarium censeant (1). 2° Dubitatur autem an benedici debeant pluviale, dalmatica, tunicella, superpelliceum et rochettum : quoad pluviale, dalmaticam et tunicellam affirmant Quarti et Cavalieri, item Baruffaldus quoad superpelliceum, negant vero Gavantus et Vinitor de pluviali (2). Unde dicendum est conveniens esse, quamvis non necessarium, ut prædictæ vestes benedicantur. 3° Purificatorium benedicendum non est (3) : decet tamen proprium adhibere purificatorium, quod ut ab aliis dignoscatur, convenienter crux in illius medio pingitur. Item benedici non debent velum calicis, bursa, antipendium, et manutergium (4).

Resp. ad 2. Licet quidam dicant paramenta benedici eo ipso, quo quis cum iis sive scienter sive ignoranter celebret, rescripsit tamen Sacra Rituum Congregatio (5) hoc in praxi tuto sequi non licere : ita ut illa solis Ecclesiæ precibus rite benedicantur : quamvis enim per usum sacrum dici possint sanctificari, non tamen ad hunc vel illum usum sacrum deputantur, nisi solis ab Ecclesia præscriptis precibus (idem

(1) Rub. gen. tit. XX; rit. celeb. tit. I, n. 1 et 2, et de defect. tit. X, n. 1; Bened. XIV inst. 21; Quarti p. 2, tit. 1, sect. 3, dub. 2, et sect. 4, dub. 1; Cavalieri tom. 4, dec. 182, n. 2; s. Alph. de Ligorio l. 6, n. 375, dub. 2 et n. 388.

(2) Quarti p. 1, tit. 19, dub. 2; Cavalieri tom. 4, dec. 182, n. 2 et 3; Baruffaldus in Rit. tit. 2, n. 46; Gavantus p. 1, tit. 19, n. 3, i; Vinitor p. 1, tit. 19, annot. 1.

(3) S. R. C. 7 Sept. 1816, n. 2572, 12 et 13.

(4) Gavantus p. 1, tit. 20, t. et p. 2, tit. 1, n. 1, i.

(5) 31 Aug. 1867, n. 3162, VII.

Digitized by Google

de sacris vasis dici debet) (1). Adeoque paramenta benedicenda sunt iis benedictionibus, quæ in rituali Romano seu in fine missalis assignantur, quæ sunt tres : prima pro indumentis sacerdotalibus in genere, qua omnia benedicuntur exceptis mappis, pro quibus secunda, et exceptis corporalibus et pallis, pro quibus tertia assignatur. Benedictiones in Pontificali positæ, Episcopis propriæ sunt, et a simplicibus sacerdotibus non adhibentur. Si pluviale, dalmatica, tunicella, superpelliceum et rochettum benedicantur, adhibenda est benedictio prima pro indumentis sacerdotalibus in genere, prout ponitur in rituali seu missali, absque ulla mutatione et sine nominatione rerum, quæ benedicuntur (2). Eadem prima benedictione, sed tantum simul cum aliis paramentis, etiam benedici possunt, licet non debeant, velum calicis, bursa, et antipendium. Si benedicatur unum solum indumentum, una mappa, aut corporale, omnia dicuntur in singulari; si autem plura simul, omnia in plurali.

Resp. ad 3. Indumenta sacerdotalia, quæ benedici debent, et quibus sacerdos utitur in celebratione missæ, ex communi sententia sub gravi præcepto benedicta esse debent : ita ut peccati mortalis reus sit, qui aliqua non benedicta utitur, nisi excuset materiæ parvitas, puta si solus manipulus aut solum cingulum non sit benedictum (3). Item corporale sub gravi debet esse benedictum, nisi gravis urgeat necessitas, ut certum est apud omnes (4). Et plures idem affirmant de palla, alii autem non minus probabiliter negant juxta dicta n. 165. Mappas alii censent sub gravi esse benedicendas; alii decere quidem sed de præcepto non debere benedici, et alii tandem de præcepto sub veniali tantum obligante (5). Reliqua paramenta, quæ juxta dicta supra ad 1, de

(1) Merati p. 2, tit. 1, n. 9; Quarti p. 2, tit. 1, s. 2, dub. 3; s. Alph. de Ligorio lib. 6, n. 380.

(2) Quarti p. 1, tit. 19, dub. 2, in fine; Cavalieri t. 4, dec. 182, n. 4.

(3) Lohner p. 1, tit. 3, § 2, in fine; Quarti p. 2, tit. 1, s. 4, dub. 2 et 5; Cavalieri t. 4, dec. 182, n. 1 et 2; Collet, *Traité des ss. myst.* ch. 16, n. 5.

(4) S. Alph. de Ligorio, lib. 6, n. 387.

(5) Quarti p. 1, tit. 20, dub. 8; s. Alph. de Ligorio, lib. 6, n. 375, dub. 2.

Digitized by Google

convenientia tantum benedicuntur, dici non debent sub obligatione peccati esse benedicenda.

Not. Quamvis veste non benedicta uti, per se loquendo idem fere sit ac illam omittere, quia vestis sacra non est, nisi sit benedicta, nihilominus quando ob casum necessitatis licitum est celebrare absque aliqua ex vestibus sacris, sæpe consultius erit uti veste non benedicta quam eam prorsus omittere : hoc enim majorem præbet occasionem admirationis et murmurationis (1).

Resp. ad 4. 1° Benedicere paramenta, mappas et corporalia jure ordinario pertinet ad Episcopum, ut patet ex titulo, qui præponitur his benedictionibus : id tamen ei in alia diœcesi non permittitur, nisi Ordinarii facultas accesserit (2). Neque Episcopi sine speciali indulto Sedis Apostolicæ eam facultatem aliis delegare possunt, ut expresse declaratur a S. R. C. (3) et ut contra Quarti (4) communiter tenent auctores (5). Episcopi tamen Belgii solent habere specialem delegandi simplicibus sacerdotibus facultatem benedicendi paramenta et alia utensilia ad sacrificium missæ necessaria, ubi non intervenit sacra unctio.

2° Abbates aliique pontificalium usu fruentes eadem benedicere possunt, sed tantum pro suis ecclesiis et monasteriis et non pro aliis (6).

3° Item alii regularium superiores, provinciales, rectores, priores, guardiani, ministri, aliique superiores locales quocumque nomine appellentur, eadem benedicere possunt (supposito s. Sedis privilegio, quod allegant auctores infra.

(1) Ita Quarti p. 2, tit. 1, s. 4, d. 6.

(2) Bened. XIV, inst. 21, fere in fine.

(3) 16 Maji 1744, n. 2377, 4 et 5.

(4) P. 2, tit. 1, s. 4, d. 3, et de bened. tit. 1, s. 4, dub. 5.

(5) Gavantus p. 4, tit. 19, n. 23; Venitor p. 2, tit. 1, annot. 22; Bened. XIV, inst. 21; Cavalieri t. 4, dec. 183, n. 1 et 2; Lucius Ferr. benedicere art. 1, n. 17; s. Alph. de Ligorio l. 6, n. 378, dub. 4.

(6) S. R. C. 27 Sept. 1659, n. 1131, 18; 30 Jul. 1689, n. 1815, 2; 31 Mart. 1744, n. 2376; 16 Maji 1744, n. 2377, 1 et 2.

Digitized by Google

citandi), sed tantum pro suis ecclesiis et monasteriis, et non pro aliis (1).

Notandum autem non sufficere consuetudinem, quam habent abbates aliique regularium superiores, benedicendi paramenta in usum aliarum ecclesiarum, quia S. R. C. (2) eam abrogavit, eamque non obstare declaravit; nec etiam ullum prodest privilegium, quia asserentibus monachis etiam pro aliena ecclesia ex Apostolico indulto eis licitum esse ecclesiasticam supellectilem benedicere, S. R. C. (3) mandavit exhiberi indultum authenticum ex archivio Apostolico desumptum, et interim abstinere : tale autem indultum numquam huc usque fuit ostensum. Adeoque constat de prohibitione, ne abbates aliique regularium superiores paramenta benedicant in usum aliarum ecclesiarum, sed non de privilegio; ita ut tantum in usum propriarum ecclesiarum et monasteriorum eadem benedicere valeant (4).

Notandum abbates regulariumque superiores, si paramenta pro aliis ecclesiis benedicant, peccare, quia actum prohibitum exercent.

4° Præter Episcopum, abbates et regularium superiores, nullus alius, nec vicarius, nec protonotarius, paramenta benedicere potest, nisi ex speciali indulto Apostolico (5).

169. Quando amittitur benedictio paramentorum?

R. 1° Quando ita sunt lacera aut usu trita, ut morali hominum æstimatione usui suo inservire nequeant; et 2° dum

(1) S. R. C. 13 Mart. 1632, n. 587; 18 Sept. 1666, n. 1340; 16 Maji 1744, n. 2377, 3; 31 Aug. 1867, n. 3157, 11.

(2) 18 Aug. 1629, n. 513 et 31 Mart. 1744, n. 2376.

(3) 23 Mart. 1669, n. 1383 et 31 Mart. 1744, n. 2376.

(4) Vid. Gavantus p. 4, tit. XIX, n. 22; Merati ibidem n. 26; Vinitor p. 2, tit. 1, annot. 22; Bened. XIV. Instit. 21; Lucius Ferr. benedicere art. 1, n. 19, item vasa sacra n. 1 et seq.; s. Alph. de Ligorio lib. 6, n. 378; Cavalieri t. 4, dec. 183, n. 3 et seq.; Quarti p. 2, tit. 1, sect. 4, dub. 3, et de benedict. tit. 1, sect. 4, dub. VI et VII. *Cujus ultimi corruit sententia, qua asserit regulares adhuc posse benedicere paramenta pro aliis ecclesiis*, ut videri potest apud Merati et Lucium Ferr. locis cit.; Catalanus in rit. rom. tom. 2, tit. VIII, c. 21.

(5) S. R. C. 17 Jul. 1627, n. 439; Cavalieri t. 4, dec. 183, n. 7.

Digitized by Google

amittunt formam, sub qua sunt benedicta, sive id fiat per accidens, sive ex industria ad reparationem pars quædam a toto separetur, ita ut stante hac separatione licet per brevissimum tempus, suo usui inservire nequeant; quia dum perit subjectum, necesse est perire formam ei inhærentem. Quod si vestes paulatim reficiantur et assuantur, etiam adjecta parte non benedicta, cum tunc eadem vestis moraliter censeatur manere, benedictio non deperit; quia pars addita, tanquam quid accessorium, sequitur naturam sui principalis; si autem uno actu addatur pars, quæ sit major parte benedicta, deperditur benedictio, majori parte ad se minorem trahente.

Sic amittitur benedictio albæ, si manicæ ab ea separentur; item cinguli, si rumpatur, et nulla pars sufficiat ad cingendum; una autem sufficiente, altera ei connecti potest. Amittitur benedictio, si ex benedictis alia nova fiant, v. g. amictus ex alba, stola et manipulus ex casula (1). Quando charta vel lignum, quod in his locis imponitur pallæ, eximitur, non perditur benedictio pallæ : quia, cum charta aut lignum in Italia pallæ non imponatur, sed linteum duplicatum amylo firmiter comprimatur, sequitur chartam aut lignum in palla non esse necessarium, et consequenter, quando charta aut lignum ad eam lavandam eximitur, iterumque imponitur, non deperdi ejus benedictionem, quia retinet essentialem suam formam, sub qua fuit benedicta; nisi linteum ita destruatur, ut destructione facta, calicem convenienter cooperire nequeat. Si ex una mappa fiant duæ vel tres, videtur deperdi benedictio, sicut in simili casu amittitur consecratio altaris; quia amittitur continuatio, integritas, et substantialis unitas, sub qua mappa fuit benedicta.

Not. 1° paramenta ita fracta, ut amiserint benedictionem, non sufficere reparari, sed reparata indigere nova benedictione. 2° Paramenta non amittere benedictionem, si adhibeantur ad usum profanum : quod enim semel est benedic-

(1) Bened. XIV, inst. 21; Cavalieri t. 4, dec. 187, IX.

Digitized by Google

tum, tale manet, quamdiu in eadem forma existit, nisi aliud in jure exprimatur (1).

170. Quid faciendum de paramentis sacris, quæ sunt usu trita, vel amiserunt benedictionem?

R. Ex iis quæ fuerunt benedicta alia sunt conficienda, quæ ecclesiæ usibus deservire possunt, vel comburenda sunt, et cineres in sacrarium, aut in parietem vel fossas pavimentorum projiciendi, ne pedibus conculcentur; in usus autem profanos nullatenus convertenda aut vendenda sunt : hoc enim vetant canones (2).

Ea autem quæ benedicta non fuerunt, ut candelabra, tapeta, manutergia, etc. profanis usibus applicare non est illicitum, sicut si quid ex his desit, ex profanis congruenter mundis accipi, et deinde priori usui reddi potest (3).

Paramenta integra nequeunt alienari aut oppignorari, nisi ex justa causa, et tantum in servitium alterius ecclesiæ, et ad usus sacros et pios (4).

Vasa sacra vendere aut ad usum profanum convertere similiter non licet, et majori quidem ratione, quatenus sacrificio et mysterio propius inserviunt, nisi fusa fuerint, quia tunc primam formam amittunt, et materia ut profana habetur. Quo casu licet decentius sit ex eadem materia nova vasa in usum ecclesiæ conflare fas tamen est materiam illam informem ad quodlibet opus adhibere : diversa enim est ratio de paramentis et lignis ecclesiæ, quæ quoad materiam ita alterari nequeunt (5).

Lapides et ligna ecclesiæ seu altaris diruti in usus profanos convertere aut vendere pariter non licebat juxta canones; a longo autem tempore temperatus fuit rigor illius disci-

(1) S. Alph. de Ligorio lib. 6, n. 376.

(2) Quarti p. 1, tit. 19, dub. 3; Lucius Ferr. paramenta n. 8 et seq.; Collet *Traité des ss. myst.*, ch. 10, n. 11; s. Alph. de Ligorio l. 6, n. 371. et 376; Richaudeau ch. 1, n. 8.

(3) Quarti p. 1, tit. 19, dub. 3; Busembaum apud s. Alph. de Ligorio l. 6, n. 393.

(4) Lucius Ferr. paramenta n. 11.

(5) Gardellini in dec. n. 2620 in vol. IV decr. p. 223.

Digitized by Google

plinæ, et hodie lapides et ligna ecclesiæ in usus profanos, modo non sordidos seu inhonestos, arbitrio Episcopi converti possunt (1).

171. Quibus liceat sacras vestes tangere, vid. num. 175. Sed hic notandum : 1° primam lotionem corporalium, pallarum et purificatoriorum omnino fieri debere a sacerdote, vel diacono aut saltem subdiacono, et convenienter secundam et tertiam, ita ut moniales seu piæ fœminæ corporalia, pallas et purificatoria, cum licentia etiam Ordinarii, abluere nequeant (2) saltem prima vice (3). 2° Aquam lotionis effundendam esse in sacrarium, quia eam foras ejicere, *erit operanti peccatum*, ut dicitur *De consecratione dist. 1, 40, cap. Nemo*, cui præscriptioni propter reverentiam juxta Sylvium nulla contraria consuetudine derogari potest (4). 3° Hanc lotionem faciendam esse in vase huic tantum usui destinato. 4° Lintea sacra, etiam post primam aut secundam lotionem, non esse lavanda cum linteis, quæ usui domestico inserviunt (5).

Sacrarium, quod in qualibet ecclesia esse debet, quod et piscina sacra dicitur, est locus in pariete vel sub terra defossus, et ab aliis profanis usibus separatus, in quem lotio et similia ob reverentiam projici debent (6).

DE VASIS SACRIS.

172. Quales debent esse calix et patena?

R. 1° Calix debet esse aureus vel argenteus, vel saltem

(1) Concilium Trid. sess. XXI, de reform. c. VII; Geraldi Expositio jur. Pontif. p. 2, sect. 59; Craisson. man. jur. can. n. 4790; Clericatus de sacrif. missæ decis. 46, n. 9 et seq.

(2) S. R. C. 12 Sept. 1857, n. 3059, 26.

(3) Vid. *Revue des sciences ecclésiastiques*, tom. 16, fol. 259.

(4) Vid. s. Alph. de Ligorio l. 6, n. 387; Gavantus p. 2, tit. 1, q. Merati ibid. n. 16; Quarti p. 2, tit. 1, sect. 3, dub. 6.

(5) Conferentiæ ecclesiast. diœcesis Mechliniensis 1876, de Liturgia q. IV.

(6) S. Carol. instruct. fab. lib. 1, c. 20; Neher Vera idea orn. ecclesiast. *Sacrarium*.

Digitized by Google

habere cuppam argenteam intus inauratam (1). In rubricis tamen de defectibus (2) etiam permittitur stanneus, scilicet ob paupertatem aut persecutionem; non autem æreus ob æruginem, neque vitreus ob fragilitatem, neque ligneus ob porositatem. Pes tamen, si cuppa sit aurea, argentea, aut stannea, eo modo ut dictum est, esse potest ex qualibet materia solida et munda (3).

Notandum dici cuppam argenteam, intus inauratam, et idem dicendum esse, si calix sit stanneus, cujus cuppa stannea pariter inaurari debet. Plerique tamen negant (4) hanc inaurationem sub gravi esse præceptam; probabilius tamen est (5) non eximi a veniali consecrantem in calice non inaurato, nisi paupertas excuset.

2° Consecratus, scilicet ritu et precibus ab Ecclesia præscriptis, ut dictum est num. 168 ad 2.

3° Patena debet ejusdem esse materiæ ac calix, pariter consecrata, ejusque saltem pars concava totaliter inaurata (6).

Episcopi in propria diœcesi (7) jure proprio calices et patenas consecrant, eam tamen consecrationem committere nequeunt, nec simplici sacerdoti, nec etiam abbati, licet hic ex privilegio apostolico calices in servitium propriæ ecclesiæ consecrare valeat (8).

Quoad regulares 1° certum est, illorum superiores, licet paramenta benedicere valeant, ut num. 168 dictum est, non tamen calices et alia, in quibus s. unctio adhibetur, consecrare posse, si usum pontificalium non habeant (9). 2° Abba-

(1) De consecrat. dist. 1, 45; Rub. in ritu celeb. tit. I, n. 1; S. R. C. 16 Sept. 1865, n. 3136, 4. Circa calices ex alluminio confectos vid. *Acta s. Sedis*, vol. 2, fol. 232; *Analecta* juris pont. 9 ser. fol. 1129.

(2) Tit. X, n. 1.

(3) Quarti p. 2, tit. I, sect. 2, d. 1.

(4) Quarti loco cit.

(5) S. Alph. de Ligorio l. 6, n. 370, d. 3.

(6) Quarti p. 2, tit. I, sect. 2, d. 1; Quæst. in confer. eccl. diœc. Mechl. 1873 ex Lit. 1.

(7) Quarti loco cit. s. 3, d. 3.

(8) Dec. gen. 27 Sept. 1659, n. 1131, 19; Quarti loco cit. d. 2.

(9) Quarti de bened. tit. 1, s. 4, d. 7.

Digitized by Google

tes aliosque usum pontificalium habentes, per se calices et patenas consecrare non posse, constat ex dec. S. R. C. (1), sed tantum ex privilegio apostolico (2) et pro usu ecclesiarum sibi subjectarum (3). Si pro usu aliarum ecclesiarum calices et patenas consecrent, peccant.

173. Qualia debent esse pyxis seu ciborium, remonstrantia seu ostensorium, ejusque lunula?

R. 1° Certa materia præcepta esse non videtur; sed pyxis juxta rituale Rom. (4) esse debet ex solida, decentique materia, eaque munda : ut tamen pyxis vel saltem ejus cuppa sit aurea vel argentea intus inaurata, quam maxime convenit : et ita in cæremoniali Ep. (5) dicitur aurea vel argentea saltem intus deaurata. Ipsum etiam cooperculum pyxidis ab interiori parte laudabiliter inauratur. Ob paupertatem, periculum furum, aliamve similem causam pyxis fieri potest ex stanno perpolito et intus inaurato; non tamen ex ligno, vitro aut crystallo, neque ex ære, nisi per inaurationem periculum æruginis præcaveatur (6). Idem dicendum est de lunula ostensorii (7) et de pyxide seu vase portatili deferendo ss. Viaticum destinato. Cum autem ostensorium sacras species immediate non attingat, nihil obstat, quin illud vel saltem ejus ornamenta ob paupertatem aliamve causam ex ære aut stanno efformentur (8). In summitate ostensorii crux visibilis apponi debet, prout requirunt ecclesiasticæ leges (9). Imagines autem aut statuæ sanctorum sicut in altari, in quo

(1) 13 Mart. 1652, n. 587; 16 Maji 1744, n. 2377, 1; Cavalieri t. 4, dec. 187, 1.

(2) S. R. C. 16 Maji 1744, n. cit.; 18 Aug. 1770, n. 2488; Gavantus man. Ep. abbas n. 20, 21, 22; Lucius Ferr. vasa sacra n. 1; Cavalieri loco cit. n. 2.

(3) Eadem dec. et præcipue dec. gen. 27 Sept. 1659, n. 1131, 19.

(4) De ss. Euch. Sac.

(5) Lib. 2, c. 30, n. 3.

(6) S. R. C. 31 Aug. 1867, n. 3162, VI.

(7) S. R. C. 31 Aug. 1867, n. cit. 4 Feb. 1871, n. 3234, IV.

(8) Gavantus p. 2, tit. 2, p; Quarti p. 2, tit. 2, s. 4, d. 5; Cavalieri t. 4, dec. 100, n. 3 et 4; Baruffaldus in rit. tit. 23, n. 55 et seq.

(9) S. R. C. 11 Sept. 1847, n. 2957.

Digitized by Google

ss. Sacramentum exponitur, prohibentur, sic majori adhuc ratione ab ipso ostensorio sunt removendæ.

2° Pyxis consecrari non debet (1). Quamvis vero plures negent hanc esse benedicendam, probabiliorem tamen s. Alph. de Ligorio (2) putat sententiam, quæ dicit, eam de præcepto esse benedicendam, quia in rubricis (3) vas seu ciborium in quo consecrantur hostiæ minores, dicitur benedictum; et s. Thomas dicit, quod in reverentiam tanti Sacramenti a nulla re contingatur nisi consecrata (4). Idem dicendum est de lunula remonstrantiæ. Ipsa remonstrantia, licet sacras species non tangat, laudabiliter tamen benedicitur.

Not. hæc tria prædicta posse benedici ab eo, qui habet facultatem benedicendi vestimenta sacerdotalia, idque fieri per benedictionem, quæ in missali et rituali inscribitur *benedictio tabernaculi seu vasculi pro sacrosancta Eucharistia conservanda*. In appendice ad rituale Romanum specialis etiam benedictio ostensorii proponitur.

174. Quandonam sacra vasa amittunt suam consecrationem aut benedictionem?

R. Generaliter dici potest, dum per fractionem vel aliter amittunt figuram aut formam essentialem, sub qua sunt consecrata aut benedicta, seu dum fiunt inutilia et inepta ad convenientem usum, ad quem sunt consecrata aut benedicta. Unde calix amittit consecrationem :

1° Quando in ejus fundo fit foramen, quamvis exiguum; non tamen si foramen fiat in loco superiori, ita ut sine periculo in eo consecrari possit (5).

2° Quando ita frangitur, ut non amplius vel non nisi indecenter sacrificio inservire possit, licet per breve tempus, et faciliter reparari queat. Non amittitur tamen consecratio per

(1) Gavantus et Baruffaldus loc. cit.

(2) Lib. 6, n. 385.

(3) In ritu celeb. tit. II, n. 3.

(4) Præter auctores cit. a s. Alph. de Ligorio vid. Quarti p. 2, tit. 2, d. 5, diff. 2.

(5) S. Alph. de Ligorio l. 6, n. 370.

Digitized by Google

aliquos ictus a fabro inflictos, quia per eos non notabiliter immutatur (1).

3° Quando cuppa separatur a pede, sive id fiat violenter sive non; nisi calix sit tornatilis, quia tunc sub tali forma est consecratus, et per separationem formam suam non amittit, cum partes sine novo artificio jungi queant (2)

4° Quando calix de novo inauratur, amittit consecrationem, et nova indiget (3), quia tunc superficies calicis, quæ immediate tangit s. species, non est consecrata, et ss. Sacramentum a nulla re nisi consecrata contingi debet. Certum tamen est non amitti consecrationem, si paululum decidat calicis inauratio : quinimo probabilius est, eam non amitti, si per longum usum inauratio deperdatur, quia calix semel totus consecratus, per modum unius consecratus remanet, quamdiu existit; maxime tamen decet, eum tunc de novo inaurari.

Item patena perdit suam consecrationem, si tam enormiter frangatur, ut convenienti usui amplius inservire nequeat; item si de novo ejus superficies inauretur. Pyxis amittit suam benedictionem iisdem modis, ac calix, scilicet si in cuppa tale foramen fiat, ut sit periculum, ne particulæ sacræ penetrare possint, etc. Remonstrantia et ejus lunula suam perdunt benedictionem, dum per fractionem aut aliter ad convenientem usum inepta redduntur : item lunula post novam inaurationem iterum benedici debet.

Not. 1° vasa per modicam reparationem non amittere consecrationem aut benedictionem, modo nulla fiat fractio notabilis, et 2° neque eamdem amittere, si sacrilege adhibeantur ad usum profanum, ut num. 169 de paramentis dictum est : decet tamen in posteriori casu, ut aqua benedicta laventur, priusquam adhibeantur (4).

(1) Quarti p. 2, tit. 1, s. 2, d. 5, in fine ; Lucius Ferr. calix n. 18.

(2) Locis cit. s. Alph. de Ligorio d. 4; Quarti diff. 3; Lucius Ferr. n. 12 et 13.

(3) S. R. C. 14 Jun. 1845, n. 2889; 9 Maji 1857, n. 3042, 1.

(4) Venitor p. 2, tit. 1, annot. 14; Lohner p. 1, tit. 3, § 3, n. 4, in fine Collet *Traité des ss. mystères,* ch. 9, n. 4.

Digitized by Google

175. Quibus licet tangere vasa et vestes sacras?

R. 1° Vasa sacra, dum actu continent ss. Sacramentum, extra casum necessitatis aut periculum profanationis juxta communem sententiam absque peccato mortali nulli licet tangere, præterquam sacerdoti et diacono, sive fiat nuda manu sive mediante alio instrumento.

2° Vacua vasa sacra, quæ chrismate inunguntur, ut calix et patena, post eorum consecrationem, item illa, quæ non consecrantur et tantum benedicuntur, sed ss. Sacramentum immediate attingunt, ut ciborium et lunula remonstrantiæ, post eorum usum nuda manu tangere licet sacerdoti, diacono, et subdiacono; item acolythis extra altaris ministerium, cum sacra vasa ad sacrificium præparare debeant; et si aliqua causa intercedat, omnibus clericis in minoribus ordinibus constitutis et etiam tantum tonsuratis ex diuturna consuetudine (1), quæ in Belgio tamen non existit. Laicis autem non licet, nisi in casu necessitatis vel licentiæ obtentæ, aut nisi mediante velo, sed ex communi sententia sub veniali tantum. Ante usum tamen a laicis tangi possunt ciborium, remonstrantia, ejusque lunula, licet modo benedicta; item remonstrantia post usum, quia sacras species immediate non attingit, sed cum sacræ particulæ in eam facile decidere possint, valde convenit, ut laici ab illius tactu abstineant. In casu reparationis, quam exigunt sacra vasa, a laicis licite tangi possunt, quia adest causa rationabilis (2) : quidam tamen consulunt, in casu petendam esse licentiam ab Episcopo (3).

3° Vestes sacras cuique tangere licet, exceptis corporali, palla, et purificatorio, quæ cum in celebratione adhibita fuerint, extra necessitatem aut obtentam licentiam, sub veniali licite tangi non possunt, nisi a quibus vacua sacra vasa tangi permittuntur; ante usum tamen et post lotionem a laicis tangi, ulterius lavari, et refici possunt (4).

(1) Bened. XIV, inst. 34, § 4; Fornici p. 1, c. 4, in fine.
(2) Cavalieri t. 4, dec. 187, n. 12.
(3) Gardellini in dec. 2620 in vol. IV coll. decr. p. 223.
(4) Vid. Quarti p. 2, tit. 1, s. 2, d. 6, et s. 3, d. 6; Lucius Ferr. calix n. 21-26 et vasa sacra n. 8-14; s. Alph. de Ligorio, lib. 6, n. 382; Merati p. 2, tit. 1, n. 16.

Digitized by Google

Episcopi est, concedere licentiam tangendi vacua vasa sacra et corporalia (1).

Titulus XX.

De præparatione altaris et ornamentorum ejus.

DE ALTARI.

Rub. *Altare, in quo sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrandum est, debet esse lapideum, et ab Episcopo, sive ab Abbate facultatem a Sede Apostolica habente consecratum, vel saltem ara lapidea, similiter ab Episcopo, vel Abbate, ut supra, consecrata, in eo inserta, quæ tam ampla sit, ut Hostiam et majorem partem Calicis capiat. Hoc Altare operiatur etc.* (num. 179).

176. Altare debet esse lapideum, constare autem potest ex quacumque specie lapidea, sive marmorea sive non marmorea, sive unius sive mixti coloris, sive lapis ordinarius sit sive pretiosus, dummodo sit verus lapis (2).

Altare distinguitur in summum seu majus et minus, in privilegiatum et non privilegiatum, et in fixum et portatile.

Altare dicitur fixum et portatile duplici modo : 1° fixum est, cujus structura parieti, columnæ aut pavimento immobiliter adhæret, sive ejus mensa sit altare fixum stricte dictum, sive ad modum altaris fixi, quod potest esse ex muro confectum cum ara lapidea, quæ portatilis vocatur (3).

(1) S. R. C. 29 Maji 1694 apud Analecta juris Pontif. 8 ser. n. 2530. Istud decretum non prostat in collectione authentica.

(2) Pasqualigus quæst. 668, n. 7. S. R. C. 29 Apr. 1887, n. 3674.

(3) S. R. C. 31 Aug. 1867, n. 3162, I.

Digitized by Google

Convenit, ut in ecclesia etiam solummodo benedicta, unum saltem altare hoc modo confectum erigatur; et convenit quidem, ut ipsum sit altare principale (1). Item pro altari privilegiato *Sanctitas Sua edixit et declaravit sufficere, ad constituendam qualitatem altaris fixi, ut in medio altaris stabilis et inamovibilis, licet non consecrati, lapis consecratus etiam amovibilis ponatur* (2).

Portatile autem seu mobile est, cujus mensæ ex ligno confectæ, ara lapidea et portatilis imponitur (3). Tale etiam est, quod ad tempus in aliquo ecclesiæ loco erigitur occasione mensis Maji aut alicujus solemnitatis, et peracta solemnitate removetur : quale altare Ordinarii arbitrio permittitur, dummodo ejus basis in circuitu et ab omni parte ita obstruatur, ut altaris portatilis imaginem præ se non ferat, caveatur ne defuncti sepulchro immineat, et absit periculum cujuscumque irreverentiæ (4).

2° Altare dicitur fixum et portatile altero modo, de quo in sequentibus tantum agitur, scilicet : altare fixum est lapis, altaris superficiem tegens, qui lapideæ structuræ inferiori conjungitur, et cum ea unum totum efficit, sive inferior hæc structura omni ex parte obstruatur, sive tabula lapidea ab anteriori parte v. g. columnis, quæ stipitis locum habent, innitatur, modo ipsa tabula lapidea omni ex parte stipiti adhæreat (5); stipes lateritius esse potest; ut autem altare consecrandum sit lapideum, oportet, ut etiam in ejus stipite saltem latera seu columellæ, quibus mensa sustentatur, sint ex lapide (6).

Portatile autem seu ara lapidea est simplex lapis consecratus, qui absque nexu, mensæ altaris ex ligno aliave materia confectæ inseritur.

(1) Idem decretum.
(2) Declaratio S. C. Indulg. 26 Mart. 1867, in Actis S. Sedis vol. III, fol. 99. Item Decr. authent. 27 Sept. 1843, n. 324; 20 Mart. 1846, n. 334.
(3) S. R. C. 31 Aug. 1867, n. cit.
(4) S. R. C. 3 Dec. 1661, n. 1219; 23 Maji 1778, n. 2510; 11 Sept. 1847, n. 2951, 6.
(5) S. R. C. 20 Dec. 1864, n. 3126.
(6) S. R. C. 7 Aug. 1875, n. 3364; Martinucci lib. VII, c. XVIII, n. 2.

Digitized by Google

Not. altare portatile, et etiam tabulam superiorem altaris fixi debere constare ex uno et integro lapide, et non pluribus lapidibus ad formam unius unitis, et quidem de validitate consecrationis (1). Si lapis enormiter fractus fuerit, et postea firmiter cæmentatus, valide ac licite consecrari non potest (2). Si lapis altaris fixi debite consecratus, non sit tantæ longitudinis, ut integram mensæ superficiem tegat, alii lapides vel tabulæ ab utroque latere adjungi possunt.

Altare fixum et portatile differunt 1° in magnitudine : lapis enim altaris fixi ordinarie totam superficiem tegit; portatilis autem lapis, licet æque magnus esse possit (3), sufficiens tamen est, modo hostiam et majorem partem calicis capiat. 2° In conjunctione cum mensa altaris : lapis altaris fixi structuræ inferiori cæmento conjungitur, et adhæret; portatilis autem conjungi non debet, sed de loco in locum transferri, ac modo in uno, modo in alio altari servire potest. 3° In positione reliquiarum, quæ pro altari portatili recondendæ sunt in sepulchro in parte superiori ipsius lapidis ante medium effosso, et claudendæ cum parvo operculo ex lapide etiam confecto (4). Ita ut sepulchrum altaris portatilis non sit claudendum calce, cera sigillari, neque alia materia, licet etiam sigillo episcopali munita, sed operculo lapideo; pro fixo autem collocari possunt vel in medio tabulæ altaris a parte superiori, vel in stipite infra tabulam seu mensam altaris, scilicet a parte anteriori aut posteriori, vel in medio summitatis stipitis (5). 4° In unctionibus, quæ tantum fiunt in superficie altaris portatilis; in fixo autem altari alia præterea adhibetur unctio, qua lapis in angulis conjungitur cum inferiori stipite, atque hoc nexu non solus lapis, sed integrum altare consecratum censetur : ita ut, licet lapis tantæ exten-

(1) S. R. C. 17 Jun. 1843, n. 2862; 8 Jun. 1894, n. 3829, 2.
(2) S. R. C. 19 Maji 1896, n. 3907, 3.
(3) Quarti p. 1, tit. 20, dub. 5.
(4) S. R. C. 31 Aug. 1867, n. 3162, II; 15 Dec. 1882, n. 3567, 1 et 28 Julii 1883, n. 3585, 1; 10 Maji 1890, n. 3726, 1; 31 Mart. 1887, n. 3671; 13 Jun. 1899, n. 4032, III.
(5) Pontific. de consec. altaris.

Digitized by Google

sionis foret, ut mensam altaris æquaret, si tamen numquam conjunctus et unitus fuisset cum inferiori structura, et per sacram unctionem quodammodo in angulis colligatus, haberet tantum rationem altaris portatilis et non fixi (1).

Not. 1° In ecclesia tantummodo benedicta altare posse consecrari, priusquam ipsa ecclesia consecretur (2). 2° Altare majus pro ecclesia consecranda omnino debere esse fixum, et cum ecclesia consecrandum (3). Si autem ecclesia nova indigeat consecratione, et altare majus debite consecratum sit, aliquod ex minoribus altaribus una cum ecclesia consecrari potest (4). Præter illum autem casum altaria portatilia generaliter esse permissa juxta rubricas hujus tituli, etiam non obstante constitutione synodali, dummodo altare ligneum cum sacro lapide, parieti colligatum, amovibile non sit, et altaris portatilis imaginem non præ se ferat (5). 3° Basim altaris fixi ab omni parte obstruendam esse, non quidem ut sit omnino plena et nihil vacuum sub altare remaneat, sed ita ut nulla foramina aut fenestellæ ad aliquid conservandum habeantur (6); quamvis tamen in medio aliquod spatium vacuum relinqui possit, sub quo reconduntur capsæ sacrarum reliquiarum ita dispositæ, ut fidelium oculis diebus saltem solemnioribus appareant (7). 4° Altare seu aram lapideam portatilem in medio mensæ esse ponendam, non nimis ab anteriori parte removendam, et aliquantulum elevandam, ut ejus limites facile dignosci possint, et ne detur periculum consecrandi extra eamdem. Item aram lapideam in altari, in quo consecrantur hostiæ pro communione, tam amplam esse debere, ut etiam pyxidem capiat.

(1) Gardellini in dec. 2599, in vol. IV coll. decr. p. 191.

(2) S. R. C. 12 Sept. 1857, n. 3059, 15.

(3) S. R. C. 19 Sept. 1665, n. 1321; 3 Mart. 1866, n. 3142; 19 Maji 1896, n. 3907, 1.

(4) S. R. C. 31 Aug. 1872, n. 3269, I.

(5) S. R. C. 10 Nov. 1612, n. 303; 3 Dec. 1661, n. 1219; *Nouvelle Revue théol.*, 1879, fol. 259-267.

(6) S. R. C. 28 Sept. 1872, n. 3282.

(7) S. R. C. 20 Dec. 1864, n. 3126.

Digitized by Google

177. Quando altare perdit consecrationem?

R. 1° Tam fixum quam portatile perdit consecrationem per fracturam enormem seu notabilem (1). Fractura censetur enormis : 1° si tabula fuerit in duas vel plures notabiles partes divisa, ita ut continuationem, integritatem et substantialem unitatem amittat; etiamsi tenui tantum scissura laboret, quæ per medium integrum lapidem decurrit (2) : et 2° si per fractionem divisa sit aliqua ex illis partibus, in quibus peculiares unctiones fuerunt adhibitæ, subtiles candelæ accensæ, thus crematum, seu si pars fracta contineat unam ex lateralibus crucibus, ab episcopo in altaris consecratione specialiter benedictis (3).

Sicut altare perdit consecrationem per fracturam, sic etiam per abrasionem serra, ascia aliisve instrumentis factam, prout ecclesia juxta plures eam amittit, quando omnis crusta simul absumitur, quamvis parietes non corruant (4).

Altare tamen non perdit consecrationem per modicam fracturam in uno aut altero cornu; neque si aliqui tantum lapides structuræ inferioris ab altari fixo dimoveantur, modo ipsum altare moraliter integrum maneat. In casu levis fracturæ partes avulsæ tanquam inutiles removendæ sunt.

2° Tam fixum quam portalile amittit consecrationem, si remotæ sint reliquiæ; si sepulchrum apertum fuerit, licet iterum clausum; si fractum sit sepulchrum vel ejus operculum seu parvus ille lapis qui claudit repositorium reliquiarum, aut etiam solummodo si hoc operculum amotum fuerit (5). Tale igitur altare, cujus sepulchrum eo modo est violatum,

(1) Lib. III Decretal. tit. 40, c. III *Quod in;* S. R. C. 3 Mart. 1821, n. 2612.

(2) S. R. C. 31 Aug. 1867, n. 3162, III; 23 Junii 1879, n. 3497.

(3) S. R. C. 6 Oct. 1837, n. 2777; Gardellini in dec. 2612 in vol. IV coll. decr. p. 201.

(4) Quarti p. 3, tit. X, n. 2, dub. 7; Conferentiæ eccl. Mechlinien. 1878 de Lit. q. VI.

(5) S. R. C. 7 Dec. 1844, n. 2876 et 2880; 23 Maji 1846, n. 2911; 23 Sept. 1848, n. 2991; 14 Mart. 1861, n. 3106; 31 Aug. 1867, n. 3162, V; 25 Sept. 1875, n. 3379; 3 Sept. 1879, n. 3504; Lib. III Decretal. tit. 40, c. 1. *Ad hæc.*

Digitized by Google

iterum consecrari debet, antequam in eo celebretur, nisi Sedes Apostolica indulgeat, ut vel sola reliquiarum repositione reconcilietur, vel super eodem celebretur, donec novæ apponantur Sanctorum reliquiæ (1).

Sigillum episcopale quod olim super sepulchrum cera hispanica imprimebatur tamquam testimonium consecrationis, inviolati sepulchri et authenticitatis reliquiarum, non tamen erat quid essentiale consecrationis altaris portatilis, uti patet ex pontificali, in quo de altaris portatilis consecratione neque mentio fit sigilli episcopalis sepulchro apponendi; istud sigillum hodie, ex quo sepulchrum disponitur in superficie aræ portatilis, non amplius apponendum, declaravit et rescripsit S. R. C. (2). Vetera autem altaria portatilia, in quibus sigillum super sepulchrum hispanica cera impressum non existit, seu deletum est, consecrationem non amiserunt, nisi fractum sit sepulchrum vel ejus operculum seu parvus ille lapis, qui claudit repositorium reliquiarum, aut etiam solummodo si hoc operculum amotum fuerit; neque nova indiget consecratione, modo ex continuo usu vel aliter certo constet, altare debite esse consecratum (3). Si autem sigillum episcopale deletum sit, et ex continuo usu vel aliter certo non constet, altare debite esse consecratum, ut si altare extra usum fuerit, a laicis servatum, etc., nova indiget consecratione.

3° Altare fixum, non autem portatile, perdit consecrationem per amotionem lapidis seu mensæ superioris a sua basi (4), nisi integrum altare sine amotione ab inferiori structura alio transferatur (5). Idem dicendum erit, si abscissa fuerit aliqua

(1) S. R. C. 1 Maji 1668, n. 1955; 27 Feb. 1847, n. 2941; 23 Sept. 1848, n. 2991, 3; 25 Sept. 1875, n. 3379.

(2) S. R. C. 10 Maji 1890, n. 3726, III.

(3) S. R. C. 31 Aug. 1867, n. 3162, IV; 5 Dec. 1861, n. 2991; 31 Aug. 1867, n. 3162, IV.

(4) Lib. III Decretal. tit. 40, c. I *Ad hæc,* et c. III. *Quod in dubiis;* S. R. C. 15 Maji 1819, n. 2599; 6 Oct. 1837, n. 2777; 20 Martii 1869, n. 3198; 23 Febr. 1884, n. 3605, VII.

(5) Gardellini in dec. 2599 in vol. IV coll. decr. p. 191; Quarti p. 1, tit. 20, dub. 5; De Angelis, Prælect. juris can. lib. III, tit. 40, n. 5.

Digitized by Google

ex partibus in angulis, in quibus chrismatis unctiones factæ sunt ad conjungendam tabulam cum stipite : si enim per amotionem lapidis a stipite altare fixum fiat execratum, quia conjunctio tabulæ et stipitis, quæ per unctionem facta est, dividitur, sic etiam dicendum est, perdi consecrationem per absscissionem partis, in qua aliqua ex his unctionibus facta est, quia eadem conjunctio frangitur.

Not. altare fixum non posse destrui sine permissione Episcopi (1).

4° Altare fixum, non autem portatile, profanatur, dum ecclesia polluitur, quia est pars ecclesiæ, non tamen dum ecclesia simpliciter amittit consecrationem per destructionem parietum, quia destructio tantum afficit objectum destructum (2).

5° Altare etsi consecrationem non perdat, profanatum tamen censetur, et in eo celebrari nequit, dum defuncti cadaver sub eo est sepultum, donec alio transferatur (3); nisi tamen altare cadaveri non immineat, sed distantia trium cubitorum, quod est fere unum metrum longitudinis, inter ipsum altare et cadaver sepultum intercedat, etsi sepulchri ornatus propius ad suppedaneum altaris extendatur (4).

Celebrari similiter non licet in altari, si lectus desuper apponatur, et in eo dormiatur (5). Censet tamen Quarti (6) id jure communi per se loquendo non prohiberi, sed nihilominus non esse faciendum ob majorem decentiam et reverentiam sacrificii, et si tamen fiat, lectum esse ponendum, ne altari directe correspondeat, sed ad latus, quanto distantius fieri potest.

(1) Lucius Ferr. altare n. 37; Quarti p. 1, tit. 20, dub. 2.

(2) Lucius Ferr. altare n. 31.

(3) S. R. C. 11 Jun. 1629, n. 508; 13 Feb. 1666, n. 1333, 5; 7 Jul. 1766, n. 2479; 28 Sept. 1872, n. 3283; 2 Apr. 1875, n. 3339; s. Alph. de Ligorio lib. 6, n. 369.

(4) S. R. C. 12 Jan. 1897, n. 3944, II; 30 Aug. 1901, Vicen. 2.

(5) S. R. C. 11 Maji 1641, n. 756; 12 Sept. 1840, n. 2812; 27 Jul. 1878, n. 3460.

(6) P. 3, tit. 10, n. 1, sect. III, dub. 4, diff. 1.

Digitized by Google

Item celebrari non licet in altari, in quo ea die celebravit Episcopus proprius in sua diœcesi, nisi cum ejusdem Episcopi licentia saltem tacita (1).

Not. altare privilegiatum non eodem modo amittere privilegium sicut altare suam consecrationem : perdita enim consecratione altaris sive fixi sive portatilis, alius lapis consecratus imponi potest, quin privilegium altaris privilegiati deperdatur; quinimo altare destructum, et iterum in eadem ecclesia et sub eodem titulo constructum, privilegium retinet (2).

178. Not. reliquias, quæ altari includuntur, 1° martyrum esse debere (3), et solum permitti, ut cum his confessorum reliquiæ uniantur, illorum præsertim, in quorum honorem ecclesia vel altare dedicatur; 2° partem aliquam corporis reponendam esse, non autem vestes, aut quid aliud hujusmodi; 3° plurium sanctorum reliquias ponendas esse, ut verba celebrantis *Quorum Reliquiæ hic sunt,* verificentur (4).

DE MAPPIS ET ANTIPENDIO ALTARIS.

Rub. *Altare operiatur tribus mappis, seu tobaleis mundis, ab Episcopo, vel alio habente potestatem, benedictis, superiori saltem oblonga, quæ usque ad terram pertingat, duabus aliis brevioribus vel una duplicata. Pallio quoque ornetur coloris, quoad fieri potest, diei festo vel officio convenientis.*

---

179. Juxta has Rubricas et de defect. tit. X, n. 1, tres requiruntur mappæ; disputatur autem, sub qua obligatione

(1) Gavantus p. 1, tit. 20, f; Bauldry p. 3, tit. 15, n. 14; Bissus c. n. 227.
(2) Decr. auth. S. C. Indulg., 23 Apr. 1714, n. 52; 24 Apr. 1843, n. 317; 20 Mart. 1846, n. 334; *Analecta juris Pontif.* 8 ser. fol. 2124, § 19.
(3) S. R. C. 6 Oct. 1837, n. 2777.
(4) S. R. C. 15 Apr. 1867, n. 3155.

Digitized by Google

requirantur : communis sententia (1) docet ex rigore præcepti, et ad vitandum peccatum mortale, sufficere duas præter corporale, vel unam duplicatam. Item juxta plures in necessitate cum una tantum mappa licite celebrari potest, ut ad dandum viaticum, aut ut populus audiat missam in die festo (2).

Not. chrismale seu pannum lineum ceratum, qui juxta pontificale (3) infra mappas super altare ponitur, pro mappa numerari non posse; tum quia in pontificali a tobaleis distinguitur, tum quia non habet qualitates mapparum, quæ debent esse mundæ et dealbatæ.

Mappæ debent esse 1° ex lino vel cannabe, ut dictum est n. 167. 2° Benedictæ, n. 168. 3° Superior ita longa, ut ab utraque parte altaris ad terram pertingat (4), nisi altare per modum tumbæ confectum sit, et antipendio non ornetur : quo casu sufficit, ut mensam altaris tegat. Duæ aliæ breviores esse possunt, modo sacrum lapidem cooperiant. 4° Debent esse dealbatæ et mundæ, n. 167.

Not. mappas, ut ab omni pulvere, cera, aliisve sordibus mundæ conserventur, finitis missis, purissima scopula ad eum usum destinata prius purgandas esse, et deinde tela viridi aut aliis stragulis contegendas esse : quæ tamen stragulæ infra missam aliasve functiones sacras in altari numquam relinquendæ sunt, sed post accensos cereos omnino removendæ, quia juxta Rub. huj. tit. in fine, super altare nihil omnino poni potest, quod ad missæ sacrificium vel ipsius altaris ornatum non pertinet (5).

Quando, exposito ss. Sacramento, candelabra extra missam supra mensam altaris ponuntur, convenit mappas cooperiri alia mappa alba et munda, ut ipsæ mappæ a maculis præserventur.

(1) Quarti p. 1, tit. 20, dub. 8.

(2) Vid. Quarti loco cit.; s. Alph. de Ligorio l. 6, n. 375; Collet *Traité des ss. mystères,* ch. 8, n. 10.

(3) De altaris consecratione.

(4) S. R. C. 9 Jun. 1899, n. 4029, 1.

(5) S. R. C. 2 Jun. 1883, n. 3576.

Digitized by Google

180. Antipendium seu pallium requiritur, ut anterior pars altaris decenter ornetur, nisi altare auro vel lapide pretioso ornatum, aut per modum tumbæ confectum sit. Debet esse coloris convenientis, ut dictum est n. 148. Non benedicitur n. 168. Ejus materiam vide n. 167, et quando mutandum n. 154.

DE CRUCE ALTARIS.

Rub. *Super Altare collocetur Crux in medio, et candelabra saltem duo cum candelis accensis hinc et inde in utroque ejus latere.*

---

181. I. Crux super altare collocatur, ut ab ejus aspectu sacerdoti celebranti et populo assistenti passio Christi in memoriam revocetur, cujus passionis hoc sacrificium viva est imago et realis repræsentatio, mortem cruentam Salvatoris nostri incruente exprimens, tanquam idem sacrificium, quod in cruce oblatum est, quamvis diverso modo offeratur (1).

II. Crucem sub veniali requiri in altari, in quo celebratur, communis est opinio (2), nisi 1° habeatur necessitas; 2° nisi in altari adsit magna statua ss. Crucifixi, quæ sufficiens est (3). Et idem dicendum est de cruce depicta in majori tabula altaris, dummodo Crucifixus primum locum obtineat præ cæteris omnibus quæ in eadem tabula exprimuntur (4). 3° Exposito ss. Sacramento infra missam, quælibet ecclesia relinquitur in sua praxi : ita ut si habeatur consuetudo crucem non apponendi, apponi non debeat (5); et si consuetudo

(1) Bona rer. lit. l. 1, c. 25, n. 8.

(2) Bened. XIV, de sac. m. s. 2, § 101; Merati p. 1, tit. 20, n. 8; Cavalieri t. 4, dec. 285, n. 1, 2, 3.

(3) S. R. C. 16 Jun. 1663, n. 1270.

(4) Bened. XIV, constit. *Accepimus* 16 Jul. 1746; Quarti p. 1, tit. 20, dub. 10; Cavalieri loco cit. n. 6 et 7.

(5) S. R. C. 2 Sept. 1741, n. 2363, 1; Bened. XIV, in cit. constit.; Cavalieri t. 4, dec. 287 et 288.

Digitized by Google

habeatur, crux apponenda sit. Ea autem cautela servanda est, ut crux numquam impediat aspectum ss. Sacramenti expositi; ita ut ss. Sacramentum semper sit in altiori et eminentiori loco, quam crux ipsa, saltem si fieri possit (1).

III. Crux non potest esse ita tenuis et exigua, ut ipsius sacerdotis et populi assistentis oculos pene effugiat; sed debet esse adeo magna, ut celebrans et populus eamdem commode aspicere possint (2). Monitum S. Rituum Congregationis vulgarunt *Ephemerides Liturgicæ*, mense Junio 1900, enixe adhortans ad hujus observantiam legis omnes quorum interest, illorumque conscientiam gravari, si id neglexerint, in eorumdem mentem redigens.

Convenit ut sit ex eodem metallo seu materia, ex qua sunt candelabra, et opere præalta, ita ut pes crucis æquet altitudinem vicinorum candelabrorum, et tota crux ipsa candelabris superemineat (3).

Rubricæ in ritu celeb. m. tit. II, n. 2, et cæremoniale Ep. imaginem Crucifixi nominant, atque appositio crucis cum imagine Crucifixi communi Ecclesiæ consuetudini consentanea est; certo convenit, ut crux cum imagine Crucifixi apponatur, hancque ideo sententiam probandam nemo sapiens dubitabit (4).

IV. Crux poni debet in medio altaris inter candelabra, quia est principale objectum altaris, et ad eamdem oculorum elevationes, inclinationes, omnesque reverentiæ dirigendæ sunt.

In medio igitur altaris seu in loco crucis statua vel imago B. M. V. aut alterius sancti collocari nequit, quia rubricæ præscribunt crucem ibi collocandam saltem pro tempore missæ; et præterea debitus etiam inverteretur ordo, cum statua in principali altaris loco posita, principale quoque altaris objectum videretur, ac reverentiæ, inclinationes et oculorum elevationes ad eamdem potius dirigi censerentur,

(1) Cavalieri tom. 4, dec. 288, n. IV.
(2) Bened. XIV, in cit. constit.
(3) Cærem. Ep. lib. 1, c. 12, n. 11; Gavantus p. 1, tit. 20, u.
(4) Ita Bened. XIV, cit. const., Cavalieri t. 4, dec. 285, V.

Digitized by Google

quam ad crucem, quæ exigua, ut fieri solet, in loco inferiori ante imaginem, vel superiori post eam apponitur (1).

Quid autem faciendum in altari, ubi erigitur tabernaculum ss. Sacramenti, quod in medio altaris positum esse debet, ut dicetur tom. 3, n. 180? Parva enim crux, collocata super tabernaculum non sufficit (2). Crucem in medio candelabrorum ante tabernaculum apponi posse, supponere videntur decreta citata : cum autem crux hoc loco posita impedire possit quominus ostium tabernaculi aperiatur et pyxis aut ostensorium extrahatur, ibidem ante tabernaculum opportune collocari vix potest. Quum vero decreta solummodo declarent, parvam crucem super tabernaculo infra missam positam non sufficere, et nullibi prohibeant crucem majorem super tabernaculum; nihil obstat, quatenus ibidem ponatur crux major cum imagine crucifixi, satis visibilis populo et celebranti, vel in summitate ejus vel potius magis a parte anteriori, ut celebrans eamdem commode aspicere valeat.

Quod si ob aliquam causam accidentalem crux posita inter candelabra removenda sit, alia tempore missæ in loco inferiori et apto apponenda est, sed visibilis tam populo quam celebranti (3).

Not. non tolerari posse usum statuendi crucem super throno, et in eo præcise loco, super quo publicæ adorationi in ostensorio exponitur ss. Sacramentum, nec usum crucem ipsam superimponendi corporali, quod expositioni inservit (4).

V. Etsi rubricæ et decreta, quæ crucem in altari exigunt, disponant de tempore missæ, convenit tamen ut crux permanenter collocetur saltem in altari majori, cui in transitu juxta rubricas facienda est reverentia, quæ ad solum crucifixum dirigitur, nisi expositum sit ss. Sacramentum, quando extra missam crux amovenda est, saltem si commode fieri possit (5).

(1) S. R. C. 17 Sept. 1822, n. 2621, 7.

(2) S. R. C. 16 Jun. 1663, n. 1270, 1; 17 Sept. 1822, n. cit. Bened. XIV, loco cit.

(3) S. R. C. 17 Sept. 1822, n. cit.

(4) S. R. C. 2 Jun. 1883, n. 3576.

(5) Cavalieri t. 4, dec. 290, IV; Gardellini instr. Clem. § 30, n. 6.

Digitized by Google

DE LUMINE.

182. Primis Ecclesiæ sæculis dum in antris et cryptis vel tempore noctis sacra fiebant, lumen necessitate naturali adhibebatur; quando officium divinum publice et clara luce celebrari inceptum est, hæc necessitas quidem desiit; Ecclesia tamen lumine uti perseveravit, in quibusdam quidem ad antiquitatis vestigium servandum, uti sunt cerei, qui in officio tenebrarum triduo sacro in triangulo accenduntur, non tamen in omnibus officiis ob hanc rationem, ut quidam volunt, sed ob alias rationes spirituales, scilicet ad lætitiam et solemnitatem augendam, fidem et devotionem excitandam, item in signum et typum Christi, qui est lux illuminans omnem hominem, atque in reverentiam et honorem sacrorum mysteriorum (1).

183. Quale debet esse lumen?

R. 1° Ex cera (2), nisi aliud ex indulto apostolico permittatur (3). Hæc obligatio cereos in sacrificio missæ adhibendi, communiter dicitur esse gravis : ita ut sub mortali illicitum sit lumine ex sebo aut oleo uti, quia talis usus est indecentissimus, et ab universali Ecclesiæ consuetudine alienus. Communiter tamen etiam dicitur, in necessitate licitum esse celebrare cum lumine ex sebo aut oleo, modo absit scandalum et celebrandi detur necessitas sufficiens ad excusandum a mortali v. g. ut detur viaticum moribundo, aut ut populus audiat sacrum de præcepto (4).

Not. 1° candelas non tantum in sacrificio missæ, sed etiam in expositione ss. Sacramenti, et generaliter omnes, quæ supra mensam altaris vel eidem quomodocumque imminentes adhibentur (5), item illas quæ benedicuntur in festo purifica-

(1) Vid. Micrologus cap. XI; Le Brun, *Traité prélim.*, art. 5; Pouget *Inst. cath.* p. 3, sect. 2, c. 6, § 3.

(2) Rub. de defect. tit. X, n. 1, et S. R. C. 16 Sept. 1843, n. 2865; 10 Dec. 1857, n. 3063; 4 Sept. 1875, n. 3376.

(3) S. R. C. 7 Sept. 1850, n. 2985.

(4) Quarti p. 1, tit. 20, dub. 11; s. Alph. de Ligorio lib. 6, n. 394, dub. 1.

(5) S. R. C. 20 Jun. 1899, n. 4035, 6.

Digitized by Google

tionis B. M. V. atque cereum paschalem, ex cera esse debere; alias tamen, quæ in diebus solemnibus extra altare accenduntur ad augendam solemnitatem, ex alia etiam materia decenter composita esse posse (1). 2° Candelas metallicas vel ligneas, quarum extremitati parvi cerei affiguntur, sacræ liturgiæ non convenire, sed posse tolerari (2). Notetur 3° Quum non una esset sententia circa interpretationem decreti a S. R. C. lati 9 Julii 1864 (3) in una plurium diœcesium super usu petrolei et oleorum quæ ex vegetabilibus habentur pro nutriendis lampadibus ecclesiarum, nonnulli putaverunt posse petroleum adhiberi in ecclesiis proprio arbitrio et extra casum necessitatis, dummodo non adhiberetur ante ss. Eucharistiam vel ante imagines sacras. Quum autem Sacra Rituum Congregatio opportune postea rescripserit lucem electricam ad cultum adhiberi non posse; ad depellendas autem tenebras, Ecclesiasque splendidius illuminandas, adhiberi posse, cauto tamen ne modus speciem præ se ferat theatralem (4) : concludere licet luminare, adhibitum in ecclesiis ob defectum lucis, etiam adhiberi posse ex petroleo et ex gaz.

Resp. 2° Perinde est, an cerei sint ex cera alba, an ex communi seu flava : juxta ceremoniale tamen Episcoporum adhibendi sunt ex cera communi in missa et officio defunctorum, in parasceve Domini et in matutinis tenebrarum. Convenire etiam potest, ut in officio de tempore adventus et quadragesimæ cerei flavi adhibeantur, albi vero in festis et solemnitatibus, et præcipue exposito ss. Sacramento ac in ejus processione, in qua etiam in feria sexta parasceves juxta cæremoniale funalia alba adhibenda sunt, etiamsi cerei altaris sint ex cera communi (5).

184. Quot cerei in missa requiruntur?

R. 1° Requiruntur duo, sed sub veniali tantum, ut proba-

(1) Vid. Gardellini instr. Clem. § 6, n. 2 in vol. IV coll. decr.
(2) S. R. C. 11 Maji 1878, n. 3448.
(3) N. 3121.
(4) S. R. C. 4 Jun. 1895, n. 3859.
(5) Cærem. Ep. lib. 1, c. 12, n. 11; lib. 2, c. 10, n. 2 et 41; c. 11, n. 1 et 7; c. 22, n. 4; c. 25, n. 2 et 30.

Digitized by Google

bilius et communius putat s. Alph. de Ligorio (1) : ita ut non tantum necessitas sed quælibet causa etiam solius devotionis, sufficiat ad celebrandum cum unico cereo, si duplex non habeatur. Non desunt etiam probati auctores, qui in necessitate unicum lumen ex oleo vel sebo sufficere contendunt (2).

Not. si duo lumina circa reliquiam super altare expositam collucescant, duo saltem alia lumina requiri super gradus altaris, dum in eodem divina officia persolvuntur (3).

2° Pro missis stricte privatis plures quam duo cerei in altari accendi nequeunt; sed quoad missas lectas conventuales et parochiales vel similes diebus solemnioribus, et quoad missas quæ celebrantur loco solemnis atque cantatæ occasione celebritatis et solemnitatis plures quam duo accendi possunt (4). Ita ut non liceat missam privatam stricte dictam celebrare cum quatuor candelis accensis, non tantum simplicibus sacerdotibus, sed nec canonicis et dignitatibus (5), nec vicariis generalibus (6), nec etiam abbatibus aliisque usu pontificalium gaudentibus, qui Episcopo sunt inferiores (7). Pro missis autem privatis Episcoporum decet in festis solemnibus accendi quatuor candelas, in aliis festis non ita solemnibus et feriis sufficiunt duæ (8).

Si tenebræ sint, candela juxta usum communem prope missale apponi potest, modo candelabrum ejus non sit formæ palmatoriæ seu bugiæ episcopalis (9).

3° Pro missis solemnibus numerus candelarum non determinatur : juxta cæremoniale episcoporum lib. 1, c. 12, n. 24 sufficiunt quatuor, et in festis simplicibus et feriis per annum

(1) Lib. 6, n. 394, dub. 3. Ita etiam Quarti p. 1, tit. 20, dub. 21.
(2) Vid. Lohner p. 1, tit. 3, § 1, V, ad 3.
(3) S. R. C. 20 Mart. 1869, n. 3204.
(4) S. R. C. 12 Sept. 1857, n. 3059, 9, et 6 Feb. 1858, n. 3065.
(5) S. R. C. 19 Jul. 1659, n. 1125.
(6) S. R. C. 7 Aug. 1627, n. 441; 5 Jul. 1631, n. 567.
(7) S. R. C. 27 Sept. 1659, n. 1131; 27 Apr. 1818, n. 2583; 29 Aug. 1872, n. 3262.
(8) Cærem. Ep. lib. 1, c. 29, n. 4.
(9) S. R. C. 10 Sept. 1701, n. 2079, 3; 31 Maji 1817, n. 2578; nota in decr. 2578, 3, in vol. IV coll. decr. p. 160.

Digitized by Google

etiam duæ. In missis vero simpliciter cantatis sine sacris ministris, plures quam duæ adhiberi possunt (1), in missis cantatis de *Requiem* saltem quatuor sunt accendendæ (2), et in solemnibus cum diacono et subdiacono videntur sex accendendæ, quia in ritu celebrandi missam totidem supponuntur adesse, cum præscribatur trina incensatio ab utraque parte altaris, prout distribuuntur candelabra. Quatuor tamen in missis minus solemnibus etiam adhiberi solent; et licet aliqui censeant, non ultra sex accendi posse, quia septem tantum accenduntur in missa pontificali Episcopi proprii, plures tamen quam sex juxta Gavantum etiam accendi possunt, modo non ultra sex in linea recta ponantur (3).

4° Exposito ss. Sacramento, numerus luminum pietati facientis expositionem remittitur, ita tamen, ut abundare quidem liceat, numquam autem deficere in convenienti saltem numero. In instructione Clementina (4) præscribuntur viginti continuo ardentes; in institutione 30ª Benedicti XIV duodecim; in decreto Innocentii XI, 20 Maji 1682, decem ex cera candida (5); et in decreto S. R. C. 15 Mart. 1698 (6) declaratur, in altari ad minus sex candelas accensas esse retinendas præter alia lumina ex oleo vel adipe, quæ extra altare collucent; et juxta horum locorum praxim ad minus sex requiruntur, ita ut ss. Sacramentum hic numquam sit exponendum, nisi sex saltem cerei in altari ardeant. Juxta plures sex cerei quidem sufficiunt ad expositionem privatam, non autem ad publicam, ad quam duodecim, sexdecim vel etiam viginti ad minus requirunt. Dignitas Sacramenti, cui satis honoris deferri nequit, hunc certo numerum et etiam majorem exigit, et si facultas permittat, eumdem servare vel etiam superare magnopere præstat. Attamen cum juxta citatum S. R. C. decretum in expositione publica de qua

(1) S. R. C. 25 Sept. 1875, n. 3377, 1.
(2) S. R. C. 12 Aug. 1854, n. 3029, 7.
(3) P. 1, tit. 20, x.
(4) Pro precibus 40 horarum § 6.
(5) Synodicon Belg. tom. 2, fol. 382.
(6) N. 1992.

Digitized by Google

agitur, sex tantum cerei in altari ardere debeant, et in missa etiam solemnissima sex sufficiant, cumque rubricæ et decreta generalia nihil præcipiant; vix dicere auderem, sex non sufficere, saltem ubi ea est consuetudo, nisi statuta synodalia aut episcopalia aliud præscribant (1). Optandum tamen ut præterea quatuor etiam ardeant candelæ a lateribus tabernaculi seu ostensorii.

Not. plures illas candelas, juxta instructionem Clementinam § 6, disponi sequenti ordine, scilicet tres ad quodlibet latus, prout ad latus crucis collocari solent, octo a parte superiori, duæ in magnis candelabris in plano prope gradus altaris, et quatuor a lateribus ostensorii, coram quo nullum omnino lumen poni potest. Si plures adhuc apponantur, hinc inde inter candelabra distribui possunt, modo non ultra sex in æquali et recta linea ponantur.

185. An unquam licet celebrare sine ullo lumine?

R. Negative sine indulto apostolico (2), ut communiter dicitur, neque ut detur viaticum, neque ut populus missam de præcepto audiat (3). Si autem omne lumen infra missam extinguatur, et id accidat post consecrationem, sacerdos missam perficere debet, quia hoc majoris est obligationis; meliusque est in celebrando pergere, sive lumen statim accendi possit sive non, quia missa post consecrationem interrumpenda non est; quidam tamen volunt aliquo tunc tempore expectandum esse, donec lumen accenditur (4). Si extinctio luminis accidat ante consecrationem, et accendi nequeat, quidam dicunt, post inceptum canonem aut etiam post oblationem continuandum esse, quia juxta illos carentia

(1) Not. instructionem Clem. extra Romam non obligare, institutiones Bened. XIV dirigi ad Clerum Bononiensem, et decretum Innoc. XI ad regulares Archidiœcesis Mechl. Vid. Gardellini in instr. Clem. § 6, n. 1-11; Cavalieri t. 4, dec. 116 et 117; *Revue des sciences ecclésiastiques*, 1861, fol. 183.

(2) S. R. C. 7 Sept. 1850, n. 2985.

(3) Merati p. 1, tit. 20, n. 9; Quarti p. 1, tit. 20, dub. 11, diff. 3; s. Alph. de Ligorio l. 6, n. 394.

(4) S. Alph. de Ligorio loco cit.

Digitized by Google

luminis est minoris considerationis, quam talis abruptio (1); plures tamen censent ante consecrationem a celebratione omnino desistendum esse (2).

Not. 1° sicut sine lumine celebrare non licet, sic etiam nec missam incipere, antequam duo cerei ardeant; nec illos extinguere, antequam ultimum evangelium sit lectum. 2° Si ob aliquam causam candelæ accensæ manere nequeant, illas lanternis includi posse; vel candelas in tali necessitate collocari posse in aliquo circa altare angulo, ubi per ventum non extinguuntur (3).

Juxta rubricas hujus tituli et in ritu celebrandi missam tit. 8, n. 6 accendendus est cereus seu intorticium ab elevatione usque ad communionem. Ut communiter dicitur, nulla hujus est obligatio, et hæc rubrica non est præceptiva, sed directiva tantum. Rescripsit S. R. C. servari posse consuetudinem non accendendi hunc cereum, etiam quamvis commode fieri possit (4). Non collocatur super altare, sed imponitur candelabro aliive instrumento infra gradus altaris a parte epistolæ circa locum, ubi genuflectit minister inserviens (5).

DE TABELLIS, MISSALI, CAMPANULA, AMPULLIS.

Rub. *Ad Crucis pedem ponatur tabella Secretarum appellata. In cornu Epistolæ cussinus supponendus Missali, et ab eadem parte Epistolæ paretur cereus, ad elevationem Sacramenti accendendus, parva campanula, ampullæ vitreæ vini et aquæ, cum pelvicula, et manutergio mundo, in fenestella seu in parva mensa ad hæc præparata.*

(1) Janssens p. 3, tit. 10, § 1, n. 12.

(2) Quarti et s. Alph. de Ligorio loc. cit.; Lohner p. 1, tit. 3, § 1, n. 5; Collet *Traité des ss. mystères,* ch. 8, n. 17.

(3) Janssens p. 1, tit. 20, n. 27.

(4) 9 Jun. 1899, n. 4029, 2.

(5) Vid. *Revue des sciences ecclésiastiques,* tom. 12, fol. 330; conferentiæ eccl. Diœc. Mechl. 1870, fol. 46.

Digitized by Google

186. Tabellæ in altari collocantur pro majori celebrantis commoditate. Mediam tantum præscribit rubrica; laterales autem usus et commoditas introduxit. Extra missam ab altari amoveantur (1).

Not. juxta Quarti (2) ea, quæ in hac rubrica præscribuntur de tabella, cussino, campanula, ampullis, manutergio esse materiam instructionis, et non præcepti; si tamen inde resultet aliqua difformitas vel indecentia contra reverentiam sacrificii, committi peccatum veniale contra præceptum naturale peragendi sacrificium cum debita reverentia.

187. Missale sub gravi requiritur juxta communem sententiam, quia memoria fallax est, et sic celebrans exponitur periculo errandi, quod in re tanti momenti omnino cavendum est. Unde quidam censent numquam licitum esse celebrare sine missali; alii autem dicunt sacerdotem quandoque posse celebrare sine missali, si haberi nequeat, gravis urgeat necessitas, et ob præteritam experientiam absit morale periculum errandi, modo, ad notam effugiendam, alium librum loco missalis in altari habeat. Juxta hanc posteriorem opinionem quidam insuper putant, licite celebrare sacerdotem, qui ob visus debilitatem memoriter missam diei scit et recitat, modo videat, quantum satis est, ad reliquas missæ actiones peragendas; sed vide num. 68, ubi in dispensatione additur, *dummodo orator non sit omnino cæcus, et memoriter non recitet*, ex quibus verbis dicendum videtur, dispensatione opus esse, si quis ita cæcus sit, ut memoriter recitare debeat (3).

Missale quod adhibetur debet esse missale proprium illius ecclesiae vel oratorii ubi missa celebratur, seclusis peculiaribus ritibus ordinum propriis, juxta tradita nn. 95-101.

188. Rubricæ præscribunt cussinum supponendum missali; communi autem usu in his locis pro illo adhibetur pulpitum vel legile. Decet ut cussinus aut pulpitum tegatur

(1) S. R. C. 20 Dec. 1864, n. 3130.

(2) P. 1, tit. 20, dub. 12.

(3) Vid. Quarti p. 2, tit. 2, dub. 2; s. Alph. de Ligorio l. 6, n. 390; Lohner p. 1, tit. 3, § 1, n. 6; Collet, *Traité des ss. myst.*, ch. 12, n. 1 et 2.

Digitized by Google

velo coloris missæ convenientis, nisi legile sit argenteum vel affabre elaboratum (1).

189. Parva campanula pulsatur infra missam, ut adstantibus, qui celebrantem videre et audire nequeunt, partes principaliores innotescant, et ut hoc signo omnes excitentur ad devotionem et attentionem. Ex rubricarum præscripto campanula infra missam tantum bis pulsari debet, scilicet ad *Sanctus* et ad elevationem ss. Sacramenti. Communiter hic etiam pulsari solet ante consecrationem, quasi ad præmonendum fideles de instanti consecrationis momento, ante *Pater Noster* et ad *Domine, non sum dignus*. Item in pluribus etiam locis pulsatur ante missam, vel ad altare, vel potius ad januam sacristiæ. Præterea alicubi pulsatur ad offertorium, quod tamen vix probandum videtur. Omittenda autem est pulsatio campanulæ, etiam ad elevationem, in missis quæ celebrantur tempore 1° quo fiunt processiones per ecclesiam; 2° quo fiunt absolutiones defunctorum ad feretrum; 3° tempore precum 40 horarum, adorationis perpetuæ aliarumque ss. Sacramenti expositionum (2). 4° Omittitur pulsatio in missis privatis quæ, infra officium divinum in choro, celebrantur ad altaria lateralia, quæ sunt in conspectu chori, ne officium per genuflexiones interrumpatur. In altari majori, dum in choro cantantur horæ canonicæ, missæ privatæ non celebrentur. In ecclesiis, in quibus plures simul celebrantur missæ, omnino cavendum est, ne nimis diu, neque pluries pulsetur quam oportet : frequens enim et continua pulsatio attentionem magis impedit quam excitat. In his et similibus circumstantiis campanula pulsetur ad elevationem et ad *Sanctus*, quæ duæ solæ pulsationes in rubricis præscribuntur.

190. Ampullæ vini et aquæ in rubricis dicuntur vitreæ, quales certo sunt optimæ, tum ob munditiem, tum ad distinctionem vini ab aqua; sufficit tamen juxta usum communem (3), ut sint ex qualibet materia, qua vinum et aqua debite et

(1) Cærem. Ep. lib. 1, c. 12, n. 15; Praxis Pontif. tom. 1, n. 95.
(2) S. R. C. 31 Aug. 1867, n. 3157, 10; Gardellini instr. Clem. § 16.
(3) S. R. C. 28 Apr. 1866, n. 3149.

Digitized by Google

honeste ministrari possunt, v. g. ex auro, argento, stanno, non autem ex ære ob æruginem. Pelvicula ex quacumque materia honesta esse potest, quia de ea nihil præscribitur neque notatur.

Not. 1° ampullam vini per litteras aut alias notas diligenter distinguendam esse ab ampulla aquæ. 2° Ampullas mundas servandas esse. Quocirca præcipue stanneæ singulis ad minus quindenis mundandæ sunt : quam turpe enim est, pro sacrificii donis vasculis uti, quibus ob immunditiem persona tantisper honesta ad bibendum uti detrectaret.

Campanula et ampullæ præparandæ sunt in fenestella in muro fabricata seu in parva mensa, quæ parva dicitur respective ad credentiam, quæ pro missa solemni major requiritur, quatenus plura imponenda sunt; tam parva tamen esse non debet quam potest, sed tanta ut campanula, ampullæ, pelvicula et manutergium commode et decenter superponantur. Biretum ponitur in gradibus altaris vel alio loco opportuno.

DE ORNATU ALTARIS.

Rub. *Super Altare nihil omnino ponatur, quod ad Missæ Sacrificium, vel ipsius Altaris ornatum non pertineat.*

191. Ut altare juxta rubricas sit instructum, sufficit, ut altaris mensa tribus mappis sit cooperta, et antipendio ornata; ut crux in medio collocetur, et candelabra saltem duo cum candelis hinc et inde in utroque latere crucis ponantur, atque ut ad crucis pedem tabella statuatur. Et certo multo laudabilius est, altare illis tantum esse ornatum, quam aliis quæ minus decent. In minoribus altaribus duo candelabra sufficiunt; in majori autem altari extra casum expositionis ss. Sacramenti sex sunt apponenda, non duo cum pluribus

Digitized by Google

brachiis, sed tria distincta ab utroque latere in linea recta (1). Si sex aut quatuor apponantur candelabra, non sint omnino inter se æqualia, sed paulatim, quasi per gradus ab utroque altaris latere surgentia, ita ut ex eis altiora sint immediate hinc inde a lateribus crucis posita (2); nisi æqualia candelabra ex communi consuetudine in aliqua diœcesi adhiberi soleant (3). Candelabra etiam pro missis privatis parieti affixa esse non possunt, neque poni extra altare, etiamsi illud fere tangant, neque supra ipsam mensam altaris a latere missalis in cornu epistolæ aut evangelii, sed super altare ab utroque crucis latere collocata esse debent (4). Non convenit, candelabra tempore missæ et officii esse cooperta (5); respondit tamen S. R. C. id tolerari posse exceptis diebus solemnibus (6).

Gradus super altare fieri possunt, in quibus crux, candelabra aliaque ornamenta ponuntur, qui gradus plures aut pauciores esse possunt pro libito et circumstantiis, modo celebrationem non impediant, et crux et candelabra non videantur potius extra altare, quam supra illud posita (7).

In ornatu altaris et ecclesiæ habenda est ratio temporis et loci ac personarum (8). Quocirca tempore lætitiæ, in festis et solemnitatibus flores aliaque decentia et pulchra ornamenta conveniunt; et contra tempore quadragesimæ et adventus, aliisque pœnitentiæ diebus, ac generaliter, dum color niger aut violaceus adhibetur, non decet præter crucem et candelabra ornamenta alia apponere, exceptis tamen dominica tertia adventus et quarta quadragesimæ, missa in cœna Domini et sabbato sancto, quæ cum lætitia celebrantur.

Convenit in altari collocare imaginem illius sancti, in

(1) S. R. C. 16 Sept. 1865, n. 3137, 4; *Rev. des sciences eccles.* tom. 11, fol. 85.
(2) Cærem. Ep. l. 1, c. 12, n. 11.
(3) S. R. C. 21 Jul. 1855, n. 3035, 7.
(4) S. R. C. 16 Sept. 1865, n. 3137.
(5) S. R. C. 12 Sept. 1857, n. 3059; 31 Aug. 1872, n. 3266.
(6) 16 Sept. 1865, n. 3137; *Revue des sciences ecclés.*, tom. 12, fol. 254.
(7) Gavantus et Bauldry de mensuris s. supell. gradus; Bissus g. 57.
(8) Cærem. Ep. l. 1, c. 12, n. 1.

Digitized by Google

cujus honorem est consecratum, ne illius memoria depereat, a quo tanquam peculiari titulo nuncupatur; alterius autem sancti imaginem in principali loco altaris ponere non decet, et prohiberi videtur (1).

Imagines et reliquiæ sanctorum, exposito ss. Sacramento, in altari collocari non possunt (2) : alio tempore, si super altare exponantur, juxta crucem vel inter candelabra collocantur juxta rubricas (3), digniores a cornu evangelii et prope crucem : numquam tamen poni permittuntur in medio altaris, ita ut crucem in medio inter candelabra ponendam impediant (4); neque etiam super tabernaculum ss. Sacramenti, ita ut idem tabernaculum pro basi inserviat (5), quod etiam intelligendum est de reliquiis s. crucis aliorumque instrumentorum dominicæ passionis (6); neque ante ipsius tabernaculi ostiolum (7).

Imagines beatorum nondum canonizatorum in ecclesiis et oratoriis, inconsulta Sede Apostolica, nullatenus exponi, et ubi indultum fuerit per Sedem Apostolicam, in pariete tantum, non autem in altari collocari possunt (8). Ubi tamen indultum est missam de aliquo beato celebrare, ejusdem imaginem in altari exponere licet (9).

Nemini licet ullo in loco vel ecclesia etiam exempta, aliquam insolitam ponere vel ponendam curare imaginem, nisi ab Episcopo probata fuerit (10). Quapropter Urbanus VIII (11) prohibuit « imagines sculpere aut pingere, vel sculpi aut pingi » facere, aut antehac sculptas, pictas, et alias quomodolibet » effictas tenere, seu publico aspectui exponere, aut vestire,

(1) S. R. C. 27 Aug. 1836, n. 2752, 7; 11 Mart. 1837, n. 2762.
(2) Vid. tom. II, n. 25.
(3) In ritu celeb. missam tit. IV, n. 5.
(4) Bened. XIV, const. 16 Jul. 1746 *Accepimus*.
(5) S. R. C. 3 Apr. 1821, n. 2613, 6.
(6) S. R. C. 12 Mart. 1836, n. 2740, 1.
(7) S. R. C. 6 Sept. 1845, n. 2906.
(8) Dec. Alexandri VII S. R. C. 27 Sept. 1659, n. 1130.
(9) S. R. C. 17 Apr. 1660, n. 1156, 1.
(10) Conc. Trid. sess. 25, de s. imaginibus.
(11) 15 Mart. 1642, n. 810.

Digitized by Google

» cum alio habitu et forma, quam in catholica ecclesia ab » antiquo tempore consuevit, nec etiam cum habitu peculiari » alicujus ordinis regularis... ac ut imagines aliter pictæ, » vel sculptæ ab ecclesiis et aliis locis quibuslibet amoveantur, et deleantur, vel reducantur et reformentur ad habitum » et formam in ecclesia catholica et apostolica ab antiquo » tempore consuetam » præcepit. Et ita S. R. C. (1) prohibuit in altari ponere imaginem B. M. V. titulo conceptionis sub forma, quam refert numisma Parisiis anno 1830 cusum, et eamdem tantum permisit, si sit juxta veterem morem expressa (2). Similiter, inconsulta Sede Apostolica, non permisit simulacra seu statuas D. N. J. C. suum cor sacratissimum monstrantis B. Margaritæ Alacoque ad ejus pedes provolutæ (3). Permisit autem imagines seu simulacra B. M. V. sub titulo *de Lourdes* et *de la Salette,* nec non immaculatæ Conceptionis, lucis radios e manibus emittentis, servatis cautelis a Concilio Tridentino sess. 25 de invocatione, veneratione, reliquiis et sacris imaginibus præscriptis (4).

Imagines benefactorum seu virorum in dignitate ecclesiastica constitutorum in ecclesia exponere non licet (5).

(1) 27 Aug. 1836, n. 2752, 7.
(2) Vid. Lucius Ferr. imagines n. 8-22, et habitus n. 37, 38 et 67.
(3) S. R. C. 12 Maji 1877, n. 3420.
(4) S. R. C. 12 Maji 1877, n. 3419, I.
(5) S. R. C. 2 Mart. 1641, n. 733.

Digitized by Google

PARS II.

RITUS SERVANDUS IN CELEBRATIONE MISSÆ.

Titulus I.

DE PRÆPARATIONE SACERDOTIS CELEBRATURI.

Rub. 1. *Sacerdos celebraturus Missam, prævia Confessione Sacramentali, quando opus est, et saltem Matutino cum Laudibus absoluto, Orationi aliquantulum vacet : et Orationes inferius positas pro temporis opportunitate dicat.*

192. Præparatio ante missam duplex distingui potest, remota et proxima.

Remota consistit : 1° in confessione sacramentali, circa quam hic notandum est hanc non esse faciendam a sacerdote sacris vestibus induto, sed antequam se iis induat : iis enim indutus repræsentat figuram Christi, non peccatoris; 2° in jejunio naturali; 3° in recitatione matutini cum laudibus; 4° in dispositione corporis. Si sacerdotes veteris legis totum corpus lavare deberent, et Christus Dominus laverit pedes discipulorum, certo convenit, ut sacerdos ad altare non accedat

Digitized by Google

impexis crinibus, illotis vultu ac manibus, lutosis calceis, vestibus laceris et obsoletis; item ut, juxta rubricas n. 2, sit *indutus vestibus sibi convenientibus, quarum exterior saltem talum pedis attingat.* Requiritur igitur vestis talaris, et etiam aliæ sacerdoti convenientes, quales sunt nigræ, modestæ, et minime mundanæ. Ad vestes sacerdoti congruentes spectant collare ecclesiasticum, tonsura, crines concisi (1), sicut etiam caligæ et calceamenta, quibus publice uti solent probati clerici loci seu diœceseos (2).

Not. 1° Sacerdotem, munia sacra peracturum, semper togam talarem induere debere; 2° in sacristiis togas talares esse appendendas in usum sacerdotum extraneorum; 3° togam tam longam esse debere, ut saltem talum pedis attingat, ne dum celebrans incumbit altari aut illud osculatur, medietas tibiarum cum scandalo assistentibus appareat; caudam autem habere non posse adinstar Prælatorum Romanæ curiæ.

193. Præparatio proxima consistit : 1° in oratione, 2° ordinatione missalis, 3° lotione manuum, 4° præparatione calicis et 5° vestitu ipsius sacerdotis, quæ, ut liquet ex rubricis, eo ipso ordine peragenda sunt.

Not. 1° juxta rubricas supra allatas, orationi aliquantulum vacandum esse, et recitandos quinque psalmos cum reliquis orationibus in missali positis : quod licet optimum sit consilium, non tamen cadit sub præcepto, cum per rubricas remittatur arbitrio sacerdotis (3); quamvis tamen omissio orandi ante celebrationem, ratione finis aut motivi pravi, prout sæpe est negligentia aut animi torpor, culpa veniali non careat : et ita putat s. Alph. de Ligorio (4) sacerdotem, qui sine ulla præparatione saltem domi facta, ad sacrificandum accedit, ab aliqua culpa non esse excusandum. Ut autem præscripto rubricarum satisfiat, sufficit orationes præparatorias in missali positas devote recitare : plures tamen salu-

(1) Vid. conc. Trid. sess. XIV, c. 6, de reform.; Epist. Humberti Archiep. Mechl. 1700. Syn. Belg. tom. 2, fol. 418.
(2) S. R. C. 31 Aug. 1872, n. 3268, III.
(3) Gavantus p. 2, tit. 1, c; Quarti p. 2, tit. 1, s. 1, dub. 4.
(4) Lib. 6, n. 410, dub. 2.

Digitized by Google

berrimo huic exercitio quartam horæ partem impendunt, alii etiam semihoram; si quis desideret, quid expediat, gustet, et experietur.

Not. 2° licet quinque psalmi aliæque preces præparatoriæ in missali assignatæ non sint de præcepto, et iisdem aliæ orationes substitui queant; eas tamen quibuscumque aliis precibus merito præferri, quia ab Ecclesia præ aliis precibus huic præparationi accommodantur et a summo pontifice Leone XIII, 20 Decembris 1884, indulgentiis ditatæ fuerunt. 2° Antiphonas *Ne reminiscaris*, et *Trium puerorum* ante ps. *Benedicite* post missam, duplicari in festis duplicibus tantum, juxta rubricam positam ad easdem antiphonas; et ad libitum juxta ritum vel officii vel missæ duplicari posse a sacerdote qui missam officio non conformem celebrat (1). 3° Iisdem antiphonis tempore paschali addi *Alleluja*. 4° Versum *Gloria Patri* in fine psalmorum, non esse omittendum tempore passionis, neque mutandum ante missam de *Requiem*, quia hi psalmi non spectant ad missam aut officium, sed sunt preces privatæ.

LOTIO MANUUM, PRÆPARATIO CALICIS, VESTITUS CELEBRANTIS.

Rub. *Deinde accedit ad locum in Sacristia, vel alibi præparatum, ubi paramenta, aliaque ad celebrationem necessaria habentur; accipit Missale, perquirit Missam, perlegit, et signacula ordinat ad ea, quæ dicturus est. Postea lavat manus, dicens orationem inferius positam. Deinde præparat Calicem (qui debet esse vel aureus, vel argenteus, aut saltem habere cuppam argenteam, intus inauratam, et simul cum patena itidem inaurata, ab Episcopo consecratus) : super ejus os ponit purificatorium mundum, et super illud Patenam cum Hostia integra, quam leviter extergit, si opus est, a fragmentis, et eam tegit parva palla linea, tum velo serico : super velo ponit bursam coloris paramentorum, intus haben-*

(1) S. R. C. 27 Jan. 1899, n. 4011, 2.

Digitized by Google

tem Corporale plicatum, quod ex lino tantum esse debet, nec serico vel auro in medio intextum, sed totum album, et ab Episcopo, vel alio habente potestatem, simul cum palla benedictum.

2. *Quibus ita dispositis, accedit ad paramenta, quæ non debent esse lacera, aut scissa, sed integra, et decenter munda, ac pulchra, et ab Episcopo itidem vel alio facultatem habente, benedicta : ubi calceatus pedibus, et indutus vestibus sibi convenientibus, quarum exterior saltem talum pedis attingat, induit se, si sit Prælatus sæcularis supra rochettum; si sit Prælatus regularis, vel alius Sacerdos sæcularis, supra superpelliceum, si commode haberi possit, alioquin sine eo, supra vestes communes, dicens ad singula singulas Orationes inferius positas.*

3. *Ac primum accipiens Amictum circa extremitates, et chordulas, osculatur illud in medio, ubi est Crux, et ponit super caput, et mox declinat ad collum, et eo vestium collaria circumtegens, ducit chordulas sub brachiis, et circumducens per dorsum, ante pectus reducit, et ligat. Tum Alba induitur, caput submittens, deinde manicam dextram brachio dextro, et sinistram sinistro imponens, Albam ipsam corpori adaptat, elevat ante, et a lateribus hinc inde, et cingulo per ministrum a tergo sibi porrecto, se cingit. Minister elevat Albam super cingulum circumcirca, ut honeste dependeat et tegat vestes; ac ejus fimbrias diligenter aptat, ut ad latitudinem digiti vel circiter, super terram æqualiter fluat. Sacerdos accipit Manipulum, osculatur Crucem in medio, et imponit brachio sinistro. Deinde ambabus manibus accipiens Stolam, simili modo deosculatur, et imponit medium ejus collo, ac transversando eam ante pectus in modum Crucis, ducit partem a sinistro humero pendentem ad dextram, et partem a dextro humero pendentem ad sinistram. Sicque utramque partem Stolæ extremitatibus cinguli hinc inde ipsi cingulo conjungit.*

4. *Si Celebrans sit Episcopus, non ducit Stolam ante pectus in modum Crucis, sed sinit hinc inde utrasque extremitates pendere : et antequam accipiat Stolam, accipit parvam Crucem pectoralem, quam osculatur, et collo impositam,*

Digitized by Google

sinit ante pectus chordulis pendere. Manipulum quoque non accipit ante Stolam, nisi in Missis Defunctorum, sed accipit ad Altare, cum in Confessione dicit. Indulgentiam, *illumque prius osculatur.*

Postremo Sacerdos accipit Planetam.

5. *Si sit Episcopus, vel Abbas, ut supra, habens usum Pontificalium, et solemniter celebret, accipit paramenta, et alia ut in Pontificali et Cæremoniali.*

---

194. Paramenta semper induenda sunt in sacristia vel alio loco ad hoc præparato, et numquam ad altare : solis Episcopis, sive solemniter sive privatim celebrent, competit paramenta de altari sumere; non autem inferioribus habentibus usum pontificalium, nisi in pontificalibus celebrent (1). Si in casu necessitatis, deficiente sacristia aut mensa separata, in altari ponantur, numquam in medio, sed in cornu evangelii collocanda sunt (2). Ad altare vero, in quo ss. Sacramentum est expositum, nullus omnino sumere et similiter exuere debet paramenta, sed deficiente sacristia, in loco remoto induenda aut exuenda sunt (3).

Not. Abbates, prælatos, aliosque quoscumque Episcopis inferiores in missis privatis a simplicibus sacerdotibus discrepare non posse (4).

195. Rubricæ supra, hæc quatuor facienda præscribunt : 1° accipiendum missale, 2° missa inquirenda, 3° perlegenda, ad videndum num aliquid notandum vel mutandum sit, 4° signacula ordinanda. Sacerdos postea *lavat manus*, scilicet integras, et non tantum extremitates indicis et pollicis, ut

(1) Dec. Urbani VIII, initio missalis, et S. R. C. 17 Jun. 1673, n. 1480.

(2) Gavantus p. 2, tit. 1, n. 2.

(3) Cærem. Ep. lib. 2, c. 33, n. 30; Merati p. 2, tit. 2, n. 15; Catalanus in cærem. Ep. lib. 1, c. 12, § 15. n. 5.

(4) S. R. C. 27 Sept. 1659, n. 1131, 21; 27 Apr. 1818, n. 2583, 6; 27 Aug. 1822, n. 2624, 24, et plura alia. Vid. Gardellini in dec. 2578, 6, in vol. IV coll. decr. p. 161.

Digitized by Google

ad *Lavabo*. Hæc lotio juxta quosdam non est de præcepto, sed juxta alios obligat sub veniali, nisi manus sint valde immundæ, quando, ut communiter dicitur, obligat sub gravi ob reverentiam ss. Sacramenti (1).

Not. 1° rubricas non quidem præscribere, decere tamen, ut diaconus et subdiaconus manus lavent, saltem si mundas non habeant, antequam sacro assistant. 2° Manus esse lavandas ante et post administrationem Communionis, Baptismi et Extremæ Unctionis, propter contactum ss. Sacramenti aut s. Olei. 3° Convenire etiam, ut manus laventur, antequam pyxis aut remonstrantia, continens ss. Sacramentum, tangenda sit. 4° Olim in usu fuisse, ante missam non tantum manus, sed et os abluere; quod pia consuetudo adhuc observat, et rubricæ de defect. tit. IX, n. 3 innuunt.

196. *Præparat calicem.* 1° Imponitur purificatorium, pendens cum suis extremitatibus ab utraque parte calicis. 2° Super illud cochlear parvum, ubi est in usu, non autem infra, ne noceat calicis inaurationi. 3° Desuper patena, in cujus medio ponitur hostia, ita ut pedes Crucifixi hostiæ impressi respiciant anteriorem partem calicis. Hostia digitis aut purificatorio a pulvere aut fragmentis, si opus sit, prævie extergitur, et duplex linea, major et minor, cum patena super illam in his locis duci solet, ut in fractione facilius dividatur. 4° Palla. 5° Velum, quo calix undequaque vel saltem in parte anteriori cooperitur (2). Si calix a posteriori parte velo totaliter cooperiatur, pars anterior supra bursam replicari potest, ut calix commodius capiatur et deferatur. 6° Bursa cum apertura versus illam calicis partem, qua ad altare portatur.

Not. super calicem non esse ponenda manutergium, sudarium, clavem tabernaculi, nec quid aliud; et hæc omnia a ministro ad altare deferenda esse (3).

Perspicilla pariter super calicem conferenda non sunt, sed

(1) Quarti p. 2, tit. 1, sect. 1, dub. 5; s. Alph. de Ligorio lib. 6, n. 409.
(2) S. R. C. 12 Jan. 1669, n. 1379.
(3) S. R. C. 1 Sept. 1703, n. 2118.

Digitized by Google

vel faciei decenter imponenda, vel ministro relinquenda. Circa horum usum ulterius notandum est : sacerdos ea bene firmet, ne cadant; iis non utatur a consecratione usque ad communionem, si fieri potest; dum se vertere debet, ea ante osculum altaris deponat, super altare quidem, non autem super corporale, sicut plures docent auctores (1). His tamen non obstantibus, præferrem perspicilla imposita retinere, quia juxta morem hodiernum in necessario illorum usu nihil indecens vel indignum reperitur, et contra juxta rubricas generales tit. XX *super altare nihil omnino* ponendum est, *quod ad missæ sacrificium, vel ipsius altaris ornatum non pertineat;* et si ab offertorio seu consecratione necessaria non forent, ipsa ministro servanda porrigerem.

197. Sacerdos paramenta induendo, recitat orationes in missali præscriptas : quas orationes quidam sub gravi recitandas esse volunt, sed non satis probabiliter, ait s. Alph. de Ligorio, cum non sit materia gravis : ita ut dicendum sit, illas per se non cadere sub præcepto, vel tantum sub obligatione levi (2).

198. Circa assumptionem paramentorum observandum : 1° Convenit, ut sacerdos se signet, antequam manus lavet, vel antequam amictum accipiat. 2° Si alba ante pectus sit aperta, eam ligaminibus circa collum colligare debet, et si opus sit, ambas manicas aciculis figere potest, ne supra manus decidant. Alba nimis sursum trahi nequit, cum vestes tegere et ad latitudinem digiti vel circiter supra terram fluere debeat, id est, ita ut latitudo digiti vel circiter mediet inter terram et extremitatem albæ. 3° Cingulum non circa superiorem partem pectoris, sed circa renes circumducere debet (3). 4° Manipulum imponit brachio sinistro supra cubitum juxta Lohner (4), quia sic minus impedit sacerdotem in suis func-

(1) Gavantus p. 2, tit. 5, rub. 1, litt. o; Bissus P, n. 128, et S, n. 20; Bauldry, p. 3, tit. 15, n. 13; s. Alph. de Ligorio de cæremoniis missæ, c. 6, n. 2.

(2) Vid. s. Alph. de Ligorio l. 6, n. 410, dub. 3; Gavantus p. 2, tit. 1, n. 2, b, in fine; Lohner p. 6, tit. 1, n. 4, b; Quarti p. 2, tit. 1, s. 4, dub. 8.

(3) Bened. XIV, de sac. m. sect. 1, § 42.

(4) P. 6, tit. 1, n. 7, 1.

Digitized by Google

tionibus, sed juxta Gavantum (1) infra cubitum, et non longius a manu, uti hic fieri solet; ne autem decidat, aciculis vel chordulis firmari potest. 5° Medium stolæ collo, non autem tergo imponit (2), et ducit prius partem ejus a sinistro humero pendentem ad dextram, et deinde partem a dextro humero pendentem ad sinistram; ita ut pars dextra in pectore ponatur super sinistram. 6° Planetam accipit absque osculo, et funiculos, si adsint, ante pectus infra planetam colligat.

Not. 1° sacerdotem infra casulam in medio vel a parte dextra sudarium album cingulo appendere posse (3); sed cum illud non sit ornamentum, convenire quoque ut exterius non appareat.

2° Sacerdotem, dum sacris induitur vestibus, vel vestitus in sacristia expectat, nemini posse loqui, neque loquentibus aures præbere, sed orationi et meditationi incumbere debere.

Titulus II.

DE INGRESSU SACERDOTIS AD ALTARE.

Rub. 1. *Sacerdos omnibus paramentis indutus, accipit manu sinistra Calicem, ut supra præparatum, quem portat elevatum ante pectus, bursam manu dextra super Calicem tenens, et facta reverentia Cruci vel imagini illi, quæ in Sacristia erit, capite cooperto accedit ad Altare, ministro cum Missali, et aliis ad celebrandum necessariis (nisi ante fuerint præparata) præcedente superpelliceo induto. Procedit autem oculis demissis, incessu gravi, erecto corpore. Si vero contigerit eum transire aute Altare majus, capite cooperto faciat ad illud reverentiam : si ante locum Sacramenti, genu-*

(1) P. 2, tit. 1, n. 3, 1.

(2) Gavantus p. 2, tit. 1, rub. 3, litt. n; Praxis Pontif. tom. 2, n. 81; Quæstiones in conf. eccl. Diœc. Mechl. 1874, Lit. V.

(3) Gavantus p. 1, tit. 20, 1; Bauldry p. 3, c. 11, art. 3, n. 10.

Digitized by Google

flectat. Si ante Altare, ubi celebretur Missa, in qua elevatur, vel tunc ministratur Sacramentum, similiter genuflectat, et detecto capite illud adoret, nec ante surgat, quam Celebrans deposuerit Calicem super Corporale.

---

199. Sacerdos omnibus paramentis indutus, accipit manu dextra biretum, et se cooperit; deinde sinistra accipit calicem ad nodum; imponit palmam dextræ extensis et junctis omnibus digitis super bursam, ne quid de calice decidat; sic tenet calicem elevatum ante pectus, ita ut sit aliquod spatium inter pectus et calicem, nec tamen ita removeatur calix a pectore, ut sacerdos inter se et calicem terram aspiciat, ad gressus dirigendos, sed ultra calicem respiciat. Calicem tenens et capite cooperto facit reverentiam capitis cruci vel imagini sacristiæ, scilicet profundam si fiat cruci, mediam si non adsit crux sed imago B. M. V., et parvam tantum si solummodo habeatur imago patroni vel alterius sancti; si autem per abusum nulla ponatur crux vel imago, nullam etiam facit reverentiam. Facta dicta reverentia, accedit ad altare eo modo, quo supra in rubricis præscribitur. Sacerdos eundo ad altare certo mentaliter orare potest; sed non conveniunt auctores, an ei preces vocales recitare liceat, v. g. *Ego volo celebrare missam* etc., quæ oratio ante missam dicenda consulitur : negat Merati (1) sed affirmant Cavalieri et Quarti (2), quia nulla obstat prohibitio. Sacerdos ad januam sacristiæ accipere potest aquam benedictam, et cum eadem se signare, si commode fieri queat; sin minus abstinere debet (3). Si sacristia sit retro altare, et egressus ex parte epistolæ et evangelii, a sacristia e parte evangelii egrediendum, e parte epistolæ ad illam accedendum (4).

Not. Calicem ex dispositione rubricarum hujus tituli in

(1) P. 2, tit. 2, n. 6.
(2) Cavalieri t. 5, c. 7, n. 28; Quarti quæst. procem. sect. 6, p. 2.
(3) S. R. C. 27 Mart. 1779, n. 2514, 4.
(4) S. R. C. 12 Aug. 1854, n. 3029, 12.

Digitized by Google

missa privata ad altare deferri debere ab ipsomet celebrante, licet etiam sit in dignitate constitutus, ut patet ex decretis citatis n. 194 in nota, nisi adsit justa causa, ut senectus aut infirmitas, ratione cujus celebrans calicem ad altare commode deferre non potest. Si celebrans calicem non deferat, procedit ad altare junctis ante pectus manibus.

200. Quas reverentias sacerdos in accessu ad altare facere debet?

R. Hæ reverentiæ distingui possunt quadrupliciter. 1° Ratione ss. Sacramenti, ratione cujus 1° si transeat tabernaculum clausum ss. Sacramentum actualiter continens, unico genu flectere debet. 2° Si transeat tabernaculum vel altare, in quo ss. Sacramentum est expositum licet in pyxide tantum, vel mensam, in qua sacra Communio distribuitur; utroque genu cum capitis inclinatione flectere debet (1), sed statim surgere : neque enim in casu distributionis s. Communionis, nisi forte unus tantum vel alter sit communicandus, permanet genuflexus, donec terminatur distributio, sed post genuflexionem mox surgit et procedit (2). 3° Si obviet sacerdoti ss. Sacramentum deferenti, utroque similiter genu et cum capitis inclinatione flectere debet, donec ille e conspectu vel quasi e conspectu transierit (3). 4° Si detur benedictio cum ss. Sacramento, similiter genuflectit utroque genu, et ante non surgit, quam ostensorium vel pyxis deposita fuerit.

Not. in his casibus genuflectendum esse, non tantum dum quis directe transit ante tabernaculum seu ss. Sacramentum, sed etiam dum transit a latere ejusdem, dummodo in transitu videantur.

2° Ratione altaris, quod si sacerdos transeat, et sit altare majus, caput et humeros illi profunde inclinare debet; si autem non sit altare majus, nullam per se reverentiam facere debet. 2° Si in altari, quod transit, quodcumque sit, celebre-

(1) S. R. C. 7 Maji 1746, n. 2390, 4.
(2) S. R. C. 5 Jul. 1698, n. 2002, 14.
(3) Cavalieri t. 4, dec. 178, 3.

Digitized by Google

tur missa, et sit inter consecrationem et communionem, unico genu flectere debet; si in pluribus altaribus, quæ præterit, adsit ss. Sacramentum, saltem genuflectit ad illa, quæ directe vel proxime pertransit; si transeat infra consecrationem, flectit utroque genu cum capitis inclinatione, donec celebrans calicem super corporale deposuit; si autem transeat ante consecrationem aut post communionem, nullam reverentiam facit, nisi sit altare majus.

3° Ratione reliquiæ, quæ si sit s. Crucis et loco principali super altare exposita, unico genu flectere debet; solum vero caput inclinare, si sit recondita intra custodiam (1). Et cum spinæ coronæ Domini, aliaque dominicæ passionis instrumenta, eodem cultu honorari soleant, eædem reverentiæ ante has reliquias faciendæ esse videntur. Ante alias autem reliquias sanctorum etiam expositas, specialis reverentia non est facienda, nisi sit reliquia insignis, cui convenit caput inclinare (2).

4° Ratione personæ sacerdos etiam salutatus, neminem, quisquis sit, salutare potest, nisi transeat ante prælatos aut principes, quibus, modo ss. Sacramentum non sit expositum, caput inclinat, plus minusve prout eorum dignitas postulat (3). Quando transit ante chorum vel per medium ejus salutare debet clericos, qui in eo sunt (4). An et quibus personis debeatur reverentia ad altare et infra missam, dicetur t. II, n. 37 et 41. Si occurrat sacerdoti redeunti ab altari cum vel sine sacris ministris, illi locum cedere, et dextram dare debet, ita ut uterque per dextram suam partem procedat.

201. Not. 1° prædicta de recessu ab altari et aliis similibus casibus etiam esse intelligenda.

Not. 2° magistratum, dominum loci aliosque sæculares in transitu salutandos esse capite tecto a celebrante et sacris

(1) S. R. C. 7 Maji 1746, n. 2390; 18 Febr. 1843, n. 2854.

(2) Gavantus p. 2, tit. 2, n. 1, e; Cavalieri t. 5, c. 7, n. 29; Hippolitus a portu p. 1, tit. 2, rub. 1, n. 12.

(3) Gavantus p. 2, tit. 3, rub. 2, m; Merati p. 2, tit. 2, n. 8; Cavalieri loco cit.

(4) Merati p. 2, tit. 2, n. 8.

Digitized by Google

ministris, ab aliis vero non indutis sacris vestibus capite detecto (1) : ad quascumque autem alias capitis inclinationes et genuflexiones biretum semper deponendum esse, nisi sacerdos calicem portet, in quo casu numquam illud deponit, nisi utroque genu flectere debeat. Si calicem non deferat, biretum deponit, antequam se inclinet aut genuflectat. Si autem calicem deferat, et utroque genu flectere debeat; cum tunc caute se gerere debeat, ne dum manum a bursa amovet, aliquid de calice cadat; posita adhuc dextra super bursam et capite bireto cooperto, prius flectit utroque genu; et dum est genuflexus, deponit biretum, quod ministro porrigere, vel ipsemet tenere potest manu dextra cum parte aperta bireti versus se; et posita iterum dextra cum vel sine bireto super bursam, caput profunde inclinat; post quam inclinationem repositis prius in capite bireto et deinde dextra super bursam, surgit et tecto capite procedit : ita ut aperto capite non sit surgendum, neque caput detegendum, quousque sacerdos sit extra conspectum ss. Sacramenti; neque etiam ex sacristia aperto capite eundum sit ad altare, et vicissim ab altari ad sacristiam, si sacerdos ss. Sacramentum expositum transire debeat : præscribunt enim rubricæ et decreta, ut sacerdos tecto capite ad altare accedat et ab eo recedat, atque in sola flexione utriusque genu caput detegat. Aliud tamen est, quando sacerdos non portat calicem; tunc enim cum manus impeditas non habeat, caput suum semper detectum habere debet, quamdiu est in conspectu ss. Sacramenti : item quando celebrat in ipso altari, in quo ss. Sacramentum est expositum, in accessu et recessu caput detectum habere debet, licet calicem deferat, quamdiu est in conspectu ss. Sacramenti, ut dicetur tom. II, n. 33.

DE AGENDIS AB ACCESSU AD ALTARE USQUE AD PSALMUM JUDICA.

Rub. 2. *Cum pervenerit ad Altare, stans ante illius infimum gradum, caput detegit, biretum ministro porrigit, et*

(1) S. R. C. 27 Aug. 1836, n. 2753, 3 et 4.

Digitized by Google

Altari, seu Imagini Crucifixi desuper positæ profunde se inclinat. Si autem in eo sit Tabernaculum ss. Sacramenti, genuflectens, debitam facit reverentiam. Tunc ascendit ad medium Altaris, ubi ad cornu Evangelii sistit Calicem, extrahit Corporale de bursa, quod extendit in medio Altaris, et super illud Calicem velo coopertum collocat, bursam autem ad cornu Evangelii. Si in Altari paramenta accipit, hoc idem facit antequam descendat ab Altari, ut Missam inchoet.

3. *Si est consecraturus plures Hostias pro Communione facienda, quæ ob quantitatem super Patenam manere non possunt, locat eas super Corporale ante Calicem, aut in aliquo Calice consecrato, vel vase mundo benedicto, ponit eas retro post Calicem, et alia Patena, seu palla cooperit.*

4. *Collocato Calice in Altari, accedit ad cornu Epistolæ, Missale super cussino aperit, reperit Missam, et signacula suis locis accommodat. Deinde rediens ad medium Altaris, facta primum Cruci reverentia, vertens se ad cornu Epistolæ, descendit post infimum gradum Altaris, ut ibi faciat Confessionem.*

---

202. Cum sacerdos pervenerit ad altare, stans ante infimum gradum, caput manu dextra detegit; et cum biretum ministro porrexerit, dextram ut antea super bursam reponit; tum cruci altaris facit profundam corporis inclinationem; si autem in altari sit tabernaculum continens ss. Sacramentum, flectit unico genu in plano (1), sed absque inclinatione capitis aut corporis : item flectit unico genu, si reliquia s. Crucis in principali loco altaris sit exposita; et utroque genu, quando ss. Sacramentum in altari patenter est expositum. Facta reverentia et totaliter erectus, ascendit ad medium altaris, ascensum cum dextro pede incipiens; ibi statim sistit calicem ad cornu evangelii, et mox manibus ante pectus junctis, caput cruci profunde inclinat (2). Post factam inclinationem accipit

(1) S. R. C. 12 Nov. 1831, n. 2682, 47.

(2) Hæc capitis inclinatio in rubricis non præscribitur, fit tamen laudabiliter, ut dictum est n. 125, ad 18.

Digitized by Google

bursam de calice, et ex ea non excutiendo aut demittendo sed dextra manu extrahit corporale; tum bursam ad cornu evangelii juxta tabellam collocat erectam cum apertura versus mensam vel versus medium altaris. Deinde ambabus manibus extendit corporale scilicet primo plicaturas laterales, tum plicaturam posteriorem seu superiorem versus tabellam, quam, si corporale ita amplum sit, eidem superimponit, et ultimo plicaturam anteriorem seu inferiorem, quam sic extendit, ut, si altare sit portatile, lapidem consecratum tegat, ne detur periculum extra lapidem consecrandi, et si sit altare fixum, ad antipendium aut prope extremitatem mensæ perveniat, ut manus post consecrationem intra corporale commodius teneantur, digito tamen ab extremitate mensæ distet, tum ut aliquod spatium habeatur ad altare in medio osculandum sine attactu hostiæ, tum ne fimbriæ corporalis vestibus adhæreant, et calicem loco dimoveant (1). Extenso corporali, celebrans calicem, superimposita dextra, sinistra ad nodum accipit, et collocat super mediam corporalis plicaturam, velumque illius

(1) In Belgio et Gallia anterior corporalis plicatura hoc loco revoluta seu clausa relinquitur usque ad offertorium, ne particulæ sacræ, forte super corporali relictæ, per velum calicis dispergantur, et deperdantur. Hæc praxis non convenit suprapositis rubricis n. 2, juxta quas celebrans *corporale extendit in medio altaris,* neque verbis cæremonialis Episcoporum. (Lib. I, cap. IX, 3.)

Patet Rubricam utriusque citati codicis significare corporale extendendum esse in initio ad Missam privatam, sicuti post versum *Et incarnatus* in solemniori. Quod evincitur ex unius et alterius codicis citatione; Cæremonialis enim Episcoporum citatio *per se* locum aliter non invenisset, cum dubium non solemniorem sed privatam Missam pro objecto haberet. Nunc autem tali se ratione explicat Cæremoniale Ep., ut unam tantum possit interpretationem admittere de toto scilicet corporali extendendo, et alteram de tribus tantum extendendis partibus nonnisi ægre patiatur. En textualia verba : « *Extrahit ex bursa corporale,* QUOD EXPLICAT ET EXTENDIT. » *(Lib. 1, c. IX, n. 3.)* Ergo et Rubrica Missalis eodem sensu intelligenda videtur, ut nempe sacerdos totaliter extendere corporale debeat in Missa privata ab initio, sicut Diaconus in solemniori post verba *Et incarnatus.* Periculum dispergendi particulas sacras etiam præcaveri potest, calicem ita cooperiendo, ut velum pedem calicis quidem contegat, sed per corporale non perfluat. (Cfr. Ephem. Lit. III, 1889, pag. 157 et seq.)

Digitized by Google

decenter adaptat. Si sacerdos deficiente sacristia, aut alia justa ex causa, sine qua, ut dictum est n. 194, id fieri non potest, in altari paramenta acceperit; similiter extendit corporale, et collocat calicem, antequam descendat, ut missam inchoet.

Not. cum nonnumquam particulæ consecratæ remaneant super corporali, necesse esse, ut hostia semper ponatur in eadem plicatura eodemque loco corporalis, ut sic particulæ in uno sacrificio relictæ, in alio colligantur et sumantur : quod facile observari potest, si corporale semper eodem modo plicetur et extendatur; ita ut sacerdotes plicantes corporale post communionem, prius revolvant partem ejus anteriorem et deinde posteriorem; extendentes vero ante missam, semper extendant plicaturam superiorem versus tabellam, et ad se alteram inferiorem. Item cavendum est, ne corporale adhibitum unquam excutiatur, aut ita explicetur, ut particulæ sacræ, si remanserint, deperdantur.

203. Si consecrandæ sint hostiæ minores, et paucæ sint, uti quinque aut etiam decem; ponuntur super patenam, sed subtus hostiam majorem, dum hæc in sacristia imponitur. Si plures consecrandæ sint, quæ ob multitudinem super patena menere nequeunt, ponuntur super corporale ante calicem, ut supra in rubricis n. 3 dicitur; ita ut post offertorium inter calicem et hostiam majorem jaceant, sicque omnia signa super eas fiant; defectu autem sufficientis spatii inter calicem et hostiam, ad offertorium poni possunt ad latus hostiæ majoris versus cornu evangelii. Si hostiæ consecrandæ ponantur in calice vel pyxide, ponuntur non a latere calicis vel hostiæ, nisi ob angustiam loci vel lapidis consecrati, sed retro post calicem, ita ut ad offertorium linea recta ponantur hostia, calix et pyxis.

Hostia ponenda in remonstrantia, consecrari potest super corporali posita, vel etiam in remonstrantia, vel in lunula, maxime si in ea difficile aptari possit (1). Si consecretur super corporali, ponitur ante missam super patenam, et post obla-

(1) Cavalieri t. 4, dec. 153, n. 12.

Digitized by Google

tionem inter calicem et hostiam sacrificii; si in lunula, hæc ad oblationem ponitur inter calicem et hostiam et defectu spatii juxta hostiam a latere evangelii; et si in remonstrantia, hæc ab initio missæ ponitur retro post calicem, uti modo de pyxide dictum est.

Not. celebrantem remonstrantiam, patenam aut pyxidem cum hostiis minoribus, ad altare simul cum calice afferre non posse, sed hæc vel antea vel a ministro esse deferenda.

204. Collocato calice super corporali, manibus junctis ante pectus, caput cruci profunde inclinat (1); et manibus ante pectus junctis manentibus, accedit ad cornu epistolæ, vertens in incessu latus sinistrum totaliter ad altare. Stans in cornu epistolæ versus missale clausum, illud aperit per seipsum (hoc enim in missis privatis ministro non permittitur) (2), missam reperit, et signacula suis locis accommodat. Deinde manibus iterum junctis, et latus dextrum totaliter vertens ad altare, redit ad medium altaris, ubi caput cruci inclinat, ut in rubricis præscribitur, et sine ulla mora (quam quidam gratis faciunt ad recitandam aliquam orationem, aut renovandam intentionem) se totaliter vertens per suam dextram, per medium altaris descendit post infimum gradum; si autem plures dentur gradus in diversos ordines distributi, sufficit descendere post ultimum gradum primi ordinis : si altare non habeat gradus, nihilominus sacerdos aliquantulum recedere debet, ita ut inter se et altare sit aliqua distantia (3).

Not. 1° juxta quosdam sacerdotem descendentem ab altari, parum de medio altaris ad cornu evangelii recedere debere, ne directe descendendo, cruci vel tabernaculo tergum vertat; sed cum id non observetur ad *Dominus vobiscum* et similia, nec in descendendo servandum esse videtur. Aliud tamen est, si expositum sit ss. Sacramentum, quando in descendendo sicut ad *Dominus vobiscum* et alia, versus cornu evangelii parum est recedendum, ne tergum ss. Sacramento vertatur.

(1) Non præscribitur, sed fit laudabiliter, ut dictum est n. 125, ad 18.
(2) S. R. C. 7 Sept. 1816, n. 2572, 5.
(3) Merati p. 2, tit. 2, n. 18, in fine.

Digitized by Google

Not. 2° sacerdotem in altari numquam lateraliter, sed semper directe incedere debere, id est vertendo totaliter latus suum ad altare : ita ut transiens a cornu evangelii ad medium altaris, et a medio altaris ad cornu epistolæ latus suum sinistrum ad altare totaliter conversum habeat; et contra transiens a cornu epistolæ ad medium, aut a medio ad cornu evangelii, latus suum dextrum ad altare totaliter convertat.

205. Quid faciendum sacerdoti, dum infra suam missam ss. Sacramentum elevatur, aut in tabernaculo movetur?

R. Si hæc fiant, antequam sacerdos inceperit dicere *In nomine Patris* etc. aut postquam finierit evangelium in fine missæ, debet utroque genu in loco in quo est, flectere, donec calix super altare, aut ss. Sacramentum depositum fuerit, vel e conspectu transierit; si autem inceperit dicere *In nomine Patris* etc. usque ad finitum evangelium in fine missæ, non debet nec potest advertere quemcumque in alio altari celebrantem, aut ss. Sacramentum moventem, sed missam suam continuate prosequi debet usque ad finem (1). Si vero in ipso altari habeatur tabernaculum, in quo ss. Sacramentum movetur; genu utroque flectit etiam infra missam, modo non sit infra canonem, et modo aliquam orationem aut partem non inceperit, et necdum finierit : si enim canonem inceperit, non potest interrumpere missam et genuflectere; et si orationem, epistolam, evangelium aut aliam partem inceperit, præstat etiam non genuflectere, donec finierit : in omni tamen casu, quo est in medio altaris, parum a medio recedere potest, etiam infra canonem nisi actione impediatur. Item in missa solemni post signum crucis initio missæ nec celebrans nec ministri debent advertere quemcumque in alio altari celebrantem (2) : quod tamen intelligendum est juxta Lohner (3) de casu, quo missam prosequantur, non autem si sedeant : tunc enim si in proximo aliquo altari ante eorum conspectum ss. Sacramentum elevaretur, deferretur aut ministraretur,

(1) Rub. tit. III, n. 4.
(2) Rub. tit. III, n. 4.
(3) P. 6, tit. 3, n. 2, e.

Digitized by Google

decere videtur, ut caput saltem aperiant et inclinent; vel potius genuflexi illud adorent (1). Vid. tom. 2, n. 35.

Titulus III.

—

DE PRINCIPIO MISSÆ ET CONFESSIONE FACIENDA.

Rub. 1. *Sacerdos cum primum descenderit sub infimum gradum Altaris, convertit se ad ipsum Altare, ubi stans in medio, junctis manibus ante pectus, extensis et junctis pariter digitis, et pollice dextro super sinistrum posito in modum Crucis (quod semper servatur, quando junguntur manus, præterquam post Consecrationem) detecto capite, facta prius Cruci, vel Altari profunda reverentia, vel, si in eo sit Tabernaculum ss. Sacramenti, facta genuflexione, erectus incipit Missam.*

2. *Si celebraturus sit coram summo Pontifice, sistit se ante infimum gradum Altaris a cornu Evangelii ante ipsum Pontificem, ubi genuflexus expectat : accepta benedictione erigit se, et stans aliquantulum versus ad Altare, incipit Missam. Si autem sit coram Cardinali, Legato Sedis Apostolicæ, aut Patriarcha, Archiepiscopo, et Episcopo in eorum residentiis vel loco jurisdictionis, stans ante infimum gradum a cornu Evangelii ut supra expectat : dato signo, facit profundam reverentiam Prælato, et versus ad Altare incipit Missam.*

3. *Si autem solemniter celebret coram Summo Pontifice, aut alio ex Prælatis prædictis in Ecclesiis eorum jurisdictionis, stans a sinistris Prælati, facit cum eo Confessionem, et alia servat, ut in Pontificali et Cæremoniali Romano ordinatur.*

4. *Stans igitur Celebrans ante infimum gradum Altaris,*

(1) Castaldus l. 2, s. 8, c. 2, n. 2.

Digitized by Google

ut supra, producens manu dextra a fronte ad pectus signum Crucis, dicit intelligibili voce : In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen. *et postquam id dixerit, non debet advertere quemcumque in alio Altari celebrantem, etiamsi Sacramentum elevet, sed continuate prosequi Missam suam usque ad finem. Quod item observatur in Missa solemni, et simul etiam a Ministris.*

5. *Cum seipsum signat, semper sinistram ponit infra pectus : in aliis benedictionibus cum est ad Altare, et benedicit oblata, vel aliquid aliud, ponit eam super Altare, nisi aliter notetur. Seipsum benedicens, vertit ad se palmam manus dextræ, et omnibus illius digitis junctis et extensis, a fronte ad pectus, et ab humero sinistro ad dextrum, signum Crucis format. Si vero alios, vel rem aliquam benedicit, parvum digitum vertit ei, cui benedicit, ac benedicendo totam manum dextram extendit, omnibus illius digitis pariter junctis et extensis quod in omni benedictione observatur.*

9. *Postquam dixerit* In nomine Patris, *etc. ut supra, jungens iterum manus ante pectus, pronuntiat clara voce Antiphonam* Introibo ad Altare Dei. *Minister retro post eum ad sinistram genuflexus, et in Missa solemni Ministri hinc inde stantes prosequuntur :* Ad Deum qui lætificat juventutem meam. *Deinde Sacerdos eodem modo stans incipit, et prosequitur cum Ministro, vel Ministris alternatim Psalmum :* Judica me Deus, *usque ad finem, cum* Gloria Patri. *Quo finito, repetit Antiphonam,* Introibo, *cum Ministris ut supra. Qui Psalmus numquam prætermittitur, nisi in Missis Defunctorum, et in Missis de Tempore a Dominica Passionis inclusive usque ad Sabbatum Sanctum exclusive, in quibus semel tantum dicta Antiphona* Introibo, *cum Ministris ut supra, Sacerdos statim subjungit v.* Adjutorium nostrum, *etc. ut infra. Cum in fine Psalmi dicit* Gloria Patri, *etc. caput Cruci inclinat.*

7. *Repetita Antiphona* Introibo, *dextra manu producens signum Crucis a fronte ad pectus, dicit* v. Adjutorium nostrum in nomine Domini. R. Qui fecit Cœlum et terram. *Deinde Altari se profunde inclinans, junctis manibus dicit*

Digitized by Google

Confiteor Deo, *ut in ordine Missæ : et prosequitur eodem modo stans inclinatus, donec a Ministro vel Ministris dictum sit* Misereatur. *Cum incipitur a Ministris* Confiteor, *se erigit. Cum dicit :* mea culpa, *ter pectus dextra manu percutit, sinistra infra pectus posita.*

8. *Si est coram Pontifice, Cardinali, Legato Sedis Apostolicæ, vel Patriarcha, Archiepiscopo, et Episcopo in eorum Provincia, vel Civitate, vel Diœcesi constitutis, ubi dicit,* vobis fratres, *dicat :* tibi Pater, *similiter in fine, ubi dicit,* vos fratres, *dicat :* te Pater, *quod dicens Summo Pontifici, genuflectit, aliis Prælatis profunde se inclinat.*

9. *Dum Minister, et qui intersunt (etiamsi ibi fuerit Summus Pontifex) respondent* Confiteor *dicunt :* tibi Pater, te Pater, *aliquantulum conversi ad Celebrantem.*

10. *Facta a circumstantibus Confessione, Celebrans stans respondet :* Misereatur vestri, *etc. Deinde producens manu dextra a fronte ad pectus signum Crucis, dicit:* Indulgentiam, *etc. : et si est Episcopus, vel Abbas, ut supra, accipit manipulum, osculando illum in medio. Et stans inclinatus, junctis manibus prosequitur :* Deus tu conversus, *et quæ sequuntur in ordine Missæ, clara voce usque ad Orationem :* Aufer a nobis, *etc. et cum dicit* Oremus, *extendit et jungit manus.*

11. *Et tunc, si coram Summo Pontifice, aut aliis Prælatis, ut supra, celebret, facta Summo Pontifici genuflexione, aliis Prælatis profunda reverentia, accedit ad medium Altaris ante infimum gradum, et ibi incipit secreto,* Aufer a nobis, *ut in ordine Missæ.*

---

206. Sacerdos, cum descenderit ultra infimum gradum altaris, convertit se per latus dextrum seu versus cornu epistolæ ad altare; ubi stans in medio, junctis ante pectus manibus, facit profundam corporis inclinationem; vel genuflexionem unico genu super infimum gradum, si in altaris tabernaculo reconditum sit ss. Sacramentum, aut in altari exposita sit reliquia s. crucis, et utroque genu, si ss. Sacramentum sit expositum. Erectus, absque ulteriori inclinatione

Digitized by Google

missam incipit, se signando et alta voce dicendo *In nomine* etc. Dum se signat, sinistram ponit infra pectus, et dextra physice tangit primo frontem dicens *In nomine Patris,* deinde pectus dicens *et Filii,* tum humerum sinistrum dicens *et Spiritus,* et tandem humerum dextrum dicens *Sancti.* Dicens *Amen,* jungit manus ante pectus, easque junctas tenet usque ad *Adjutorium nostrum;* interim cum ministro ad sinistram genuflexo utroque genu, alta voce alternatim recitat antiphonam *Introibo,* psalmum *Judica,* cum *Gloria Patri,* atque antiphonam repetit. Dum dicit *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto* caput profunde inclinat. Quando psalmus *Judica* prætermittitur, semel tantum dicit antiphonam *Introibo* post factum signum crucis, et statim subjungit *Adjutorium.*

Repetita antiphona *Introibo,* dicit *Adjutorium;* et sinistra infra pectus posita, se signat, dicens, dum tangit frontem *Adjutorium,* pectus *nostrum,* humerum sinistrum *in nomine,* et dextrum *Domini.* Deinde iterum jungit manus ante pectus, et postquam minister responderit *Qui fecit* etc. corpus profunde inclinans, dicit *Confiteor Deo,* et junctis ante pectus manibus, ac eodem modo stans inclinatus, prosequitur; dum dicit *mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa,* sinistra infra pectus posita, dextra pectus ter percutit, scilicet semel ad singula dicta *mea culpa :* deinde junctis iterum manibus, manensque inclinatus, totum absolvit. Minister respondet *Misereatur,* in cujus fine sacerdos adhuc profunde inclinatus, dicit *Amen;* quo dicto, minister incipit *Confiteor,* et sacerdos a profunda inclinatione se totaliter erigit, non autem antea. Dum minister dicit *tibi Pater* et *te Pater,* aliquantulum se convertit ad celebrantem ob dignitatem patris et sacerdotis; celebrans autem in missa privata nullatenus se convertit ad ministrum.

Facta a ministro confessione, sacerdos adhuc stans erectus et junctis manibus, respondet absque ulla inclinatione vel conversione ad ministrum *Misereatur vestri* etc. et a ministro dicto *Amen,* eodem modo stans, sinistra infra pectus posita, se signat in fronte dicens *Indulgentiam,* in pectore dicens

Digitized by Google

absolutionem, in humero sinistro dicens *et remissionem*, et in dextro dicens *peccatorum nostrorum :* et junctis iterum manibus reliquum absolvit. Minister respondet *Amen.*

Postea sacerdos, manus ante pectus junctas retinens, sed corpore mediocriter inclinato, eadem clara voce dicit, *Deus tu conversus* et quæ sequuntur in ordine missæ, alternatim cum ministro, usque ad *Oremus* inclusive ante *Aufer a nobis.* Dum dicit *Dominus vobiscum* non extendit manus, sed junctas retinet; cum vero dicit *Oremus,* extendit et jungit manus ante pectus : quod verbum *Oremus* profert eadem alta voce et corpore adhuc mediocriter inclinato.

Not. 1° cavendum esse, ne sacerdos vel minister dicere incipiat, antequam alter suum versum finierit.

2° *Confiteor* recitandum esse sine additione alicujus sancti patroni aut fundatoris (1), nisi a S. R. C. specialiter concedatur (2).

Titulus IV.

AUFER, INTROITUS, KYRIE ELEISON ET GLORIA IN EXCELSIS.

Rub. 1. *Dum dicit :* Aufer a nobis *etc. Celebrans junctis manibus ascendit ad medium Altaris, et ibi inclinatus, manibusque item junctis super eo positis, ita ut digiti parvi dumtaxat frontem, seu medium anterioris partis tabulæ, seu mensæ Altaris tangant, residuo manuum inter Altare et se retento, pollice dextro super sinistrum in modum Crucis posito (quæ omnia semper observantur, cum manus junctæ super Altare ponuntur) secreto dicit :* Oramus te Domine *etc.*, *et cum dicit :* Quorum reliquiæ hic sunt, *osculatur Altare in medio, manibus extensis æqualiter hinc inde super eo positis : quod semper servatur, quando osculatur Altare; sed post*

(1) S. R. C. 13 Feb. 1666, n. 1332, 5; 12 Jun. 1704, n. 2142.
(2) S. R. C. 3 Mart. 1731, n. 2297.

Digitized by Google

Consecrationem pollices ab indicibus non disjunguntur. In omni etiam deosculatione sive Altaris, sive libri, sive alterius rei, non producitur signum Crucis pollice vel manu super id, quod osculandum est.

2. *Osculato Altari, accedit ad cornu ejus sinistrum, id est Epistolæ : ubi stans versus Altare, et producens a fronte ad pectus signum Crucis, incipit intelligibili voce Introitum Missæ, et prosequitur junctis manibus. Cum dicit* Gloria Patri, *tenens junctas manus, caput inclinat versus Crucem. Cum repetit Introitum, non signat se, ut prius, et eo repetito, junctis manibus ante pectus accedit ad medium Altaris : ubi stans versus illud similiter manibus junctis, dicit eadem voce ter* Kyrie eleison, *ter* Christe eleison, *et iterum ter* Kyrie eleison, *alternatim cum ministro. Si minister, vel qui intersunt, Celebranti non respondeant, ipse solus novies dicit.*

3. *Dicto ultimo* Kyrie eleison, *Sacerdos stans in medio Altaris, et manus extendens, elevansque usque ad humeros (quod in omni manuum elevatione observatur), voce prædicta incipit, si dicendum sit :* Gloria in excelsis. *Cum dicit* Deo, *jungens manus, caput Cruci inclinat : quo erecto, stans junctis manibus ante pectus, prosequitur usque ad finem. Cum dicit :* Adoramus te, Gratias agimus tibi, *et* Jesu Christe, Suscipe deprecationem nostram, *et iterum* Jesu Christe, *caput Cruci inclinat. Cum dicit in fine* Cum sancto Spiritu, *seipsum a fronte ad pectus signat, interim absolvens,* In gloria Dei Patris. Amen.

---

207. *Aufer a nobis.* Postquam sacerdos, adhuc inclinatus, dixerit *Oremus,* se elevat, et totaliter erectus ascendit ad medium altaris, manibus ante pectus junctis manentibus, interea secreta voce dicens *Aufer a nobis* etc., sic quidem, ut ascendendo incipiat orationem, et absolvat perveniendo ad medium altaris. Quapropter, si nulli vel pauci sint gradus altaris, lente incedere, et contra si plures sint gradus, lente recitare debet.

Digitized by Google

208. *Oramus te Domine.* Cum sacerdos ad medium altaris pervenerit, corpus suum mediocriter inclinat, manus junctas ponit super altare, ut dictum est n. 137, et secreto recitat *Oramus te, Domine,* etc. : dum dicit *quorum reliquiæ hic sunt,* manibus æqualiter extra corporale extensis et ex parte palmæ totaliter super altare positis, physice tangendo osculatur altare in medio ante calicem, et non ad latus, ut dictum est n. 130. Post osculum altaris orationem prosequitur, interea se erigit, et totaliter erectus, junctisque ante pectus manibus, absque ulteriori capitis inclinatione accedit ad cornu epistolæ, sinistrum latus totaliter vertendo ad altare.

Not. 1° cornu epistolæ olim vocatum fuisse dextrum, et cornu evangelii sinistrum ex parte sacerdotis ad altare conversi; sed contra cornu epistolæ nunc vocari sinistrum, et cornu evangelii dextrum respectu Crucifixi in altari collocati.

2° Sacerdotem post osculum altaris vel inclinationem, discessurum e loco, vel se ad populum versurum, aut genuflexurum, prævie se totaliter erigere debere, antequam incipiat incedere, vel se ad populum vertere, aut genuflectere.

209. *Introitus.* Dum sacerdos pervenit ad cornu epistolæ, ibi stans erectus, et facie versa ad altare seu missale, alta voce incipit introitum, sub illius primis verbis dextra se signans, sinistra interim infra pectus posita; et deinde manibus iterum ante pectus junctis, prosequitur usque ad finem. Dum dicit *Gloria Patri,* caput profunde inclinat versus crucem altaris, et inclinatum tenet usque ad *Spiritui Sancto* inclusive; facie autem reversa ad missale, dicit *Sicut erat.* Deinde repetit introitum usque ad psalmum exclusive, sed absque signo crucis. De introitu in missa defunctorum dicetur tom. II, n. 1.

Not. 1° introitum in missis de tempore passionis eodem modo dici, omissis versibus *Gloria Patri* et *Sicut erat.* 2° Totum introitum dicendum esse ad cornu epistolæ, non autem memoriter recitandum accedendo ad cornu epistolæ vel redeundo ad medium altaris. 3° Sacerdotem caput suum inclinare versus crucem, si ss. nomen Jesu in introitu occurrat; et versus librum seu nomen in libro expressum vel

Digitized by Google

versus statuam seu imaginem in loco principali altaris expositam, si occurrat nomen Mariæ aut Sancti, cujus missa celebratur : nisi illa nomina ponantur in primis introitus verbis, sub quibus crux facienda est, quæ semper erecto et numquam inclinato capite fieri debet.

210. *Kyrie eleison.* Introitu totaliter repetito usque ad psalmum, junctis ante pectus manibus, dextrum latus totaliter ad altare vertendo, accedit ad medium altaris. Ibi in medio stans, caput profunde inclinat (1), erecto mox capite, et non prius, dicit alta voce, et junctis ante pectus manibus, alternatim cum ministro ter *Kyrie eleison*, ter *Christe eleison*, et iterum ter *Kyrie eleison*, prius incipiendo et ministro respondente. Si minister vel adstantes non respondeant, sacerdos solus novies dicit.

Not. 1° *Kyrie eleison* dicendum esse alternatim cum ministro, et non confuse et indistincte, ut quandoque fieri solet non tam ministrorum quam sacerdotum culpa; 2° *Kyrie eleison* tantum incipiendum esse, cum sacerdos ad medium altaris pervenerit, non autem dum a cornu epistolæ ad medium accedit.

211. *Gloria in excelsis.* Sacerdos, dicto ultimo *Kyrie eleison*, stans erectus in medio altaris, et manus ante pectus junctas habens, clara voce dicit *Gloria in excelsis*, manus interim extendens, elevansque usque ad humeros, ut dictum est n. 140. Verba autem ita lente sunt proferenda, ut sacerdos sub illis manus suas commode extendendo elevare, aut elevando extendere possit. Dum dicit *Deo*, manus ante pectus jungit, et caput cruci profunde inclinat. Erecto capite et manibus ante pectus junctis, eadem alta voce prosequitur hymnum usque ad finem. Dum dicit : *Adoramus te, Gratias agimus tibi, Jesu Christe, Suscipe deprecationem nostram, Jesu Christe*, caput cruci profunde inclinare, et inclinatum tenere debet, donec omnia hæc verba integre pronuntiaverit. In fine hymni se signat a fronte ad pectus, dum dicit *Cum Sancto Spiritu*, et ab humero sinistro ad dextrum, dum dicit *In gloria Dei Patris. Amen.*

(1) Non præscribitur, sed fit laudabiliter, ut dictum est n. 125, ad 18.

Digitized by Google

Not. 1° sacerdotem, dum dicit *Gloria in excelsis*, non caput aut oculos elevare, neque manus super altare deponere, antequam eas elevet; 2° neque in fine manus jungere ad vocem *Amen*, cum rubrica expresse præscribat, omnia hæc verba *In gloria Dei Patris. Amen.* sub cruce esse absolvenda; neque easdem jungere post *Amen* ante osculum altaris, quia hæc junctio non requiritur ad complendum signum crucis, et non tantum non est præscripta per rubricas, sed etiam superflua est, cum manus immediate disjungendæ sint (1).

Titulus V.

DE ORATIONE.

Rub. 1. *Dicto Hymno* Gloria in excelsis, *vel si non sit dicendus, eo omisso, Celebrans osculatur Altare in medio, manibus hinc inde super eo, ut supra, extensis: tum illis ante pectus junctis, et demissis ad terram oculis, vertit se a sinistro latere ad dextrum versus populum, hoc est, per eam partem, quæ respicit cornu Epistolæ, et extendens ac jungens manus ante pectus, ut prius, dicit voce prædicta:* Dominus vobiscum, *vel, si sit Episcopus,* Pax vobis *(quod dicitur tantum hoc loco, quando dictus est hymnus* Gloria in excelsis), R. Et cum Spiritu tuo : *et junctis ut prius manibus revertitur per eamdem viam ad librum, ubi eas extendens et jungens ante pectus, caputque Cruci inclinans, dicit,* Oremus; *tum extendit manus ante pectus, ita ut palma unius manus respiciat alteram, et digitis simul junctis, quorum summitas humerorum altitudinem distantiamque non excedat; quod in omni extensione manuum ante pectus servatur. Stans autem,*

(1) Vid. dec. S. R. C. 12 Nov. 1831, n. 2682, 29; Merati p. 2, tit. 4, n. 12.

Digitized by Google

ut supra, extensis manibus, dicit Orationem. Cum dicit, Per Dominum nostrum, *jungit manus, easque junctas tenet usque ad finem. Si aliter concluditur oratio,* Qui tecum, *vel* Qui vivis, *cum dicit* In unitate, *jungit manus.*

2. *Cum nominatur nomen JESUS, caput versus Crucem inclinat : quod etiam facit, cum nominatur in Epistola. Et similiter ubicumque nominatur nomen beatæ Mariæ, vel Sanctorum, de quibus dicitur Missa, vel fit commemoratio; item in Oratione pro Papa, quando nominatur, semper caput inclinat, non tamen versus Crucem; nisi in loco principali Altaris habeatur simulacrum vel imago B. M. V. aut Sancti, ad quam caput inclinatur. Si plures Orationes sint dicendæ, idem in eis, in voce, extensione manuum et capitis inclinatione, quod supra dictum est, observatur.*

3. *Si altare sit ad Orientem, versus populum, Celebrans versa facie ad populum, non vertit humeros ad Altare, cum dicturus est :* Dominus vobiscum, Orate fratres, Ite Missa est, *vel daturus benedictionem; sed osculato Altari in medio, ibi expansis et junctis manibus, ut supra, salutat populum, et dat benedictionem.*

---

212. Dicto hymno *Gloria,* vel si non dicatur, dicto ultimo *Kyrie eleison,* celebrans osculatur altare in medio, prout n. 130 dictum est : tum manibus ante pectus junctis, et ipse totaliter erectus et non prius, absque ulteriori capitis inclinatione, demissis ad terram oculis, totaliter se vertit ad populum per suam dextram seu per eam partem, quæ respicit cornu epistolæ : totaliter ad populum conversus, ita ut facies populum, et dorsum medium altaris directe respiciat, ibidem stans et non ante, alta voce dicit *Dominus vobiscum,* manus interim ante pectus extendens ac jungens, ut dictum est n. 139. Dicto *Dominus vobiscum,* et junctis iterum ante pectus manibus, sacerdos statim se vertit per suam sinistram, et non revertendo ad medium altaris, immediate transit ad cornu epistolæ.

Not. 1° sacerdotem se ad populum vertere non oculis clau-

Digitized by Google

sis sed demissis seu terram aspiciendo, maximeque cavere debere, ne oculis apertis ecclesiam circumspiciat, caput vel manus populo inclinet, vel ei arrideat. 2° Se aliquantulum ab altari removere, ne cum dorso innitatur altari, et casula indecore et cum detrimento complicetur. 3° Se manus extendere et jungere, dum stat facie conversa ad populum, non autem in ipso conversionis actu.

213. Sacerdos stans in cornu epistolæ, alta voce dicit *Oremus*, sub hac voce manus extendens, et jungens ante pectus, simulque caput cruci altaris inclinans, aliquantulum sed sine motu pedum se vertendo ad crucem, ut dictum est n. 139; tum facie ad librum reversa, manibus ante pectus extensis, alta voce legit orationem. Si oratio concludatur *Per Dominum nostrum*, sub his verbis manus ante pectus jungit; et dicens *Jesum Christum*, faciem aliquantulum vertens ad crucem altaris, caput ei profunde inclinat; facie autem ad missale reversa, conclusionem absolvit, manus usque ad finem junctas tenens. Si oratio non concludatur *Per Dominum nostrum*, sed *Qui tecum vivit*, aut aliter, ita ut ss. nomen Jesu non exprimatur, non fit inclinatio capitis, sed manus tantum junguntur dum dicitur *in unitate*, et usque ad finem junctæ tenentur. Si plures orationes sint dicendæ, prima tantum et ultima cum sua conclusione terminantur, et ante primam et secundam tantum dicitur *Oremus;* eadem autem in illis omnibus servanda sunt. Vid. n. 86. Item de inclinationibus faciendis ad ss. nomen Jesu, ad nomina Mariæ et Sanctorum, atque Papæ vid. n. 122, 125 et 126.

Not. 1° Sacerdotem manus junctas habere debere usque ad finem conclusionis orationis : adeoque tempore conclusionis non esse folia vertenda, sed conclusione finita tantum. 2° Sacerdotem folia vertere posse vel una vel utraque manu; si autem una id faciat, altera non potest esse in aëre suspensa, sed super missale vel altare est ponenda.

214. Quod rubrica supra n. 3 præscribit : *Si Altare sit ad orientem* etc. intelligendum est de casu, quo celebrans ante faciem suam habet non solum crucem altaris, sed etiam

Digitized by Google

populum : quod si autem ante se et a tergo circumstantes habeat puta clerum seu moniales in choro, et populum a tergo; sacerdos omnia dicere debet, ut alias sese convertendo ad populum (1).

DE PLURIBUS ORATIONIBUS ET LECTIONIBUS QUÆ QUANDOQUE LEGUNTUR.

Rub. 4. *In Quatuor Temporibus, vel alias, quando dicendæ sunt plures Orationes cum Prophetiis, dicto* Kyrie eleison *in medio Altaris, revertitur ad cornu Epistolæ, ubi stans ante librum, extensis et junctis ante pectus manibus, caput Cruci inclinans, dicit* Oremus, Flectamus genua, *et illico manibus super Altare extensis, ut seipsum ad Altare sustineat, genuflectit, et sine mora surgens, eadem voce ministro respondente* Levate, *manibus extensis dicit Orationem ut supra, et in conclusione eas jungit. Dum autem legit Prophetias, tenet manus super librum vel Altare positas, ut mox dicetur de Epistola.*

215. In Missa de tempore singulis feriis quartis et sabbatis omnium quatuor temporum, item feria quarta ante dominicam passionis et hebdomadæ sanctæ; sacerdos, dicto introitu, accedit ad medium altaris, ibique dicit *Kyrie eleison*, ut num. 210 dictum est. Dicto ultimo *Kyrie eleison*, caput cruci profunde inclinat (2), et deinde revertitur ad cornu epistolæ, ubi stans ante missale, alta voce dicit *Oremus*, interim manus ante pectus extendens et jungens, caputque cruci inclinans : et manibus mox super altare extensis, ita ut missale sit in medio manuum, flectens unico genu (3) alta

(1) Vinitor p. 2, tit. 5, annot. 10, et tit. 12, annot. 4; Bissus S. n. 20, § 25.

(2) Inclinatio non præscribitur, sed fit laudabiliter, ut dictum est n. 125, ad 18.

(3) Merati p. 2, tit. 5, n. 15.

Digitized by Google

voce dicit *Flectamus genua;* et ministro alta voce respondente *Levate*, sine mora surgit : tum manibus ab altari levatis, et ante pectus extensis, ut alias, dicit orationem, eamque concludit, sicut num. 213 dictum est. In quatuor temporibus pentecostes non dicitur *Flectamus genua*, sed post *Oremus* immediate subjungitur oratio.

Dicta oratione legit prophetiam seu lectionem et versus sequentes, tenens manus super missale vel altare positas, ut num. seq. dicetur de epistola. Eodem modo omnes sequentes orationes et lectiones dicendæ sunt. Post singulas lectiones respondetur *Deo gratias*, præterquam in fine quintæ lectionis Danielis in sabbatis quatuor temporum, et in fine lectionum feriæ sextæ in parasceve et sabbati sancti.

Finitus omnibus orationibus et lectionibus, manibus junctis redit ad medium altaris; ibique dicit, si dicendum sit, *Gloria in excelsis;* caput autem non inclinat in accessu ad medium altaris, sed tantum dum dicit *Deo* post *Gloria in excelsis :* si non sit dicendum *Gloria*, statim osculatur altare, dicit *Dominus vobiscum*, et ordinario modo prosequitur orationes, epistolam etc.

Not. sacerdotem, dicto introitu, non posse in cornu epistolæ statim dicere *Kyrie eleison :* sed ad medium altaris accedere debere, ut ibi dicat *Kyrie eleison;* et deinde redire ad cornu epistolæ, ad dicendas orationes et lectiones.

Titulus VI.

DE EPISTOLA, GRADUALI ET ALIIS USQUE AD OFFERTORIUM.

Rub. 1. *Dictis orationibus, Celebrans positis super librum vel super Altare manibus, ita ut palmæ librum tangant, vel (ut placuerit) librum tenens, legit Epistolam intelligibili voce, et respondetur a ministro* Deo gratias : *et similiter stans eodem modo prosequitur Graduale, Alleluja, et Tractum ac*

Digitized by Google

Sequentiam, si dicenda sint. Quibus dictis, Sacerdos, si privatim celebret, ipsemet, seu minister portat librum Missalis ad alteram partem Altaris in cornu Evangelii, et dum transit ante medium Altaris, caput Cruci inclinat, et Missale sic locat, ut posterior pars libri respiciat ipsum cornu Altaris, et non ad parietem, sive ad partem ejus contra se directam.

2. *Locato Missali in Altari, Celebrans redit ad medium Altaris, ibique stans junctis manibus ante pectus, levatisque ad Deum oculis et statim demissis, tum profunde inclinatus, dicit secreto,* Munda cor meum, *et* Jube Domine benedicere, Dominus sit in corde meo, *ut in ordinario. Quibus dictis, vadit ad librum Missalis, ubi stans versus illum, junctis manibus ante pectus, dicit intelligibili voce,* Dominus vobiscum. R. Et cum spiritu tuo. *Deinde pollice dextræ manus signo Crucis signat primo librum super principio Evangelii, quod est lecturus, postea seipsum in fronte, ore, et pectore, dicens* Sequentia, *vel* Initium sancti Evangelii *etc.* R. Gloria tibi Domine. *Tum junctis iterum manibus ante pectus, stans ut supra, prosequitur Evangelium usque ad finem. Quo finito, minister stans in cornu Epistolæ post infimum gradum Altaris, respondet* Laus tibi Christe : *et Sacerdos elevans parumper librum, osculatur principium Evangelii, dicens :* Per Evangelica dicta *etc. præterquam in Missis defunctorum, et nisi celebret coram Summo Pontifice, Cardinali, et Legato Sedis Apostolicæ, vel Patriarcha, Archiepiscopo, et Episcopo, in eorum residentiis; quo casu defertur cuilibet prædictorum osculandus liber; et Celebrans tunc non osculatur illum, nec dicit* Per Evangelica dicta. *Cum autem nominatur* Jesus, *caput versus librum inclinat; et eodem modo versus librum genuflectit, cum in Evangelio est genuflectendum.*

3. *Dicto Evangelio, stans in medio Altaris versus Crucem elevans et extendens manus, incipit (si dicendum sit)* Credo : *cum dicit* In unum Deum, *jungit manus, et caput Cruci inclinat : quo erecto, stans ibidem junctis ante pectus manibus, ut prius, prosequitur usque ad finem. Cum dicit,* Jesum Christum, *caput Cruci inclinat. Cum dicit,* Et incarnatus

Digitized by Google

est, *usque ad* Et homo factus est *inclusive, genuflectit. Cum dicit* Simul adoratur, *caput Cruci inclinat. Cum dicit* Et vitam venturi sæculi. Amen, *producit sibi manu dextra signum Crucis a fronte ad pectus.*

---

216. *Epistola, graduale* etc. Sacerdos, dictis orationibus, manus disjungens, ambas separatas super librum ponit ex parte palmæ; vel melius, ne liber sordescat, super altare ab utroque latere libri et ex parte parvi digiti, ita ut palmæ librum seu ejus pulpitum ab utraque parte tangant, et pollices super librum ponantur; vel si placuerit, manibus suis librum ab utraque parte tenere potest. Manibus ita depositis, alta voce legit epistolam, in cujus fine vocem aliquantulum inflectit in signum, ut minister respondeat *Deo gratias.* Similiter eodem modo stans, ac manus tenens, eadem alta voce prosequitur graduale, *Alleluja,* versus, tractum et sequentiam, si dicenda sint. De inclinationibus et genuflexionibus infra epistolam aut tractum faciendis vid. n. 116, 122, 125 et 126. In casu genuflexionis celebrans manus ex parte palmæ et ab utraque parte missalis super altare deponit.

217. *Translatio missalis.* Epistola cum reliquis recitata, missale transferendum est ad cornu evangelii. In missa privata juxta rubricas indifferens est, an ipsemet celebrans, an minister librum transferat; convenientius tamen, si possit, fit a ministro. Si ipse sacerdos librum deferat, hoc facit antequam ad medium altaris accedat, et dum transit ante medium, caput cruci profunde inclinat : missale autem sic locat, non ut in cornu epistolæ positum erat, sed ut posterior pars libri respiciat ipsum cornu altaris; ita ut sacerdos evangelium legens, et versus librum stans, faciem suam quasi mediam ad populum conversam habeat. Si minister missale deferat : post responsum *Deo gratias,* accedit per planum ad cornu epistolæ juxta latus celebrantis; et dum celebrans lectionem absolvit, missale cum cussino seu pulpito ambabus manibus accipit, illud transfert per planum, advertens ne

Digitized by Google

tergum vertat altari, genuflectens in transitu ante medium altaris, et missale in cornu evangelii locat, ut modo de sacerdote dictum est.

218. *Munda cor* etc. Sacerdos, si minister missale deferat, graduali et reliquis in cornu epistolæ recitatis, junctis ante pectus manibus accedit ad medium altaris; si autem ipse missale transferat, eo in cornu evangelii locato, manibus ante pectus junctis redit ad medium altaris : ibidem stans, manibus ante pectus junctis manentibus, levatis ad crucem oculis et statim demissis, tum corpore profunde inclinato, manus inter se et altare ante pectus junctas tenens, sed cum iisdem altare non tangens, secreto dicit *Munda cor* etc., *Jube Domine* etc., *Dominus sit* etc., quibus orationibus integre recitatis, erectus absque ulteriori capitis inclinatione, junctis manibus transit ad cornu evangelii.

Not. 1° Inspectis verbis rubricarum, *levatis ad Deum oculis, et statim demissis, tum profunde inclinatus, dicit, Munda cor* etc. dicendum videtur, sacerdotem *Munda cor* tantum incipere posse, postquam profunde fuerit inclinatus; attamen eum posse incipere prædicta verba cum elevatione oculorum, patebit ex dicendis n. 234 et n. 239. Numquam tamen *Munda cor* incipere potest, antequam ad medium altaris accesserit, et oculos elevare inceperit.

Not. 2° Celebrans in missa semper dicit *Jube Domine*, quia Deum alloquitur; diaconus autem in missa solemni *Domne* ad distinctionem, quia ab homine petit benedictionem.

219. *Evangelium.* Sacerdos in cornu evangelii, manibus ante pectus junctis, facie ad cornu altaris seu ad populum aliquantulum conversa, habens latus sinistrum fere versum ad populum et dextrum ad altare, stans versus librum oblique quoque in altari positum, alta voce dicit *Dominus vobiscum;* deinde disjungens manus, ponit sinistram super missale (1), et pollice dextræ manus signo crucis signat primo librum super principium Evangelii, quod est lecturus; tum sinistra infra pectus posita, seipsum signat in fronte, ore et

(1) S. R. C. 7 Sept. 1816, n. 2572, 11.

Digitized by Google

pectore; dicens dum librum signat *Sequentia* aut *Initium*, et dum seipsum signat in fronte ore et pectore *Sancti Evangelii secundum N.* Quatuor illæ cruces formandæ sunt non extremitate pollicis neque ejus ungue, sed interiori pollicis parte ungui opposita, reliquis quatuor digitis extensis, sibi junctis et a pollice separatis, palma manus ad librum aut sacerdotem conversa. Lineæ crucis tantum parvæ esse debent, ita ut linea recta non frontem, et linea transversa non os excedat, et reliquæ in eadem longitudine ducantur : lineæ tamen minime rotundæ, sed rectæ et distinctæ esse debent, ita ut prima linea ducatur a parte superiori, et reducto pollice ad medium primæ lineæ factæ, formetur linea transversa a parte sinistra ad dextram. Nihil in his signationibus super nasum aut mentum faciendum est, sed pollex a fronte sine attactu nasi immediate ad os, et ab ore sine attactu menti immediate ad pectus est ducendus. Quod notandum est illis, qui pro crucibus figuras quasdam rotundas, aut unam quasi lineam a fronte ad pectus ducunt absque ulla crucis specie. Responso a ministro *Gloria tibi Domine,* sacerdos, manibus iterum ante pectus junctis, prosequitur evangelium usque ad finem : quo finito minister respondet *Laus tibi Christe;* et sacerdos utraque manu parumper elevans librum sine cussino aut pulpito, libro ad os deportato, non capite ad librum demisso, osculatur principium evangelii ad locum, quem initio signavit, interea secreto dicens *Per evangelica dicta* etc. Si opus est, invertit paginam, ut habeat principium evangelii, quod legit, et modo osculari debet. Perinde est, sive oratiunculam *Per evangelica dicta* totam dicat ante vel post deosculationem, sive prima verba *Per evangelica dicta* proferat ante deosculationem, et reliqua *deleantur nostra delicta* post eamdem; ultimus autem modus præferendus esse videtur (1).

Dum nominatur *Jesus* in evangelio, caput versus librum est inclinandum, et eodem modo versus librum est genuflectendum, si fieri debeat; nisi ss. Sacramentum in altari sit expositum : etenim quotiescumque in lectione Evangelii cele-

(1) Merati p. 2, tit. 6, n. 8.

Digitized by Google

brans pronuntiat nomen Jesu debet versus ss. sacramentum inclinationem facere (1). Pariter, exposito Sanctissimo, genuflexio infra evangelium versus ss. Sacramentum facienda est (2).

220. *Credo.* Dicto *Per evangelica dicta* etc. et missali cum cussino aut pulpito locato prope corporale, sacerdos manibus ante pectus junctis procedit ad medium altaris : ubi absque prævia capitis inclinatione, stans erectus, alta voce dicit *Credo,* si dicendum sit; extendens et elevans manus, easque ante pectus jungens, dum dicit *Credo in unum* (ut ad *Gloria* dictum est), et caput profunde inclinans dum dicit *Deum.* Deinde capite erecto, junctis ante pectus manibus prosequitur usque ad finem. Caput inclinat, dum dicit *Jesum Christum* et *simul adoratur.* Item genuflectit unico genu, manibus hinc inde super altare extra corporale positis, dum dicit *Et incarnatus est :* ita autem lente genuflectit, ut genuflexionem incipiat, dum prædicta verba incipit, et in ipsa genuflexione, quæ tamen sine mora esse debet, absolvat *Et homo factus est,* ac surgens dicat *Crucifixus.* In fine dum dicit *Et vitam* etc. sinistra infra pectus posita, dextra se signat a fronte ad pectus, dicens *Et vitam,* et ab humero sinistro ad dextrum, dicens *Venturi sæculi. Amen.* Notanda sunt hic eadem, quæ in fine n. 211 ad *Gloria* dicta sunt. 2° Genuflexio ad *Incarnatus est* corpore et capite erectis, non autem corpore et capite inclinatis facienda est.

Titulus VII.

DE OFFERTORIO ET ALIIS USQUE AD CANONEM.

DE OFFERTORIO ET OBLATIONE HOSTIÆ.

Rub. 1. *Dicto Symbolo, vel si non sit dicendum, post Evangelium Celebrans osculatur Altare in medio, et junctis*

(1) S. R. C. 30 Nov. 1895, n. 3875, 4.
(2) Memoriale rit. pro min. eccl. de cœna Dom. c. 2, § 1, n. 21. S. R. C. 13 Febr. 1892, n. 3767, 25.

Digitized by Google

manibus ante pectus, ibidem a manu sinistra ad dextram (ut dictum est supra) vertit se ad populum, et extendens ac jungens manus dicit Dominus vobiscum; *et junctis manibus revertitur per eamdem viam ad medium Altaris, ubi extendens et jungens manus, caputque Cruci inclinans dicit* Oremus; *tum junctis ut prius manibus, dicit Offertorium, et omnia, quæ usque ad finem Missæ in medio Altaris dicenda sunt, dicit ibidem stans versus ad Altare, nisi aliter ordinetur.*

2. *Dicto Offertorio, discooperit Calicem, et ad Cornu Epistolæ sistit, et manu dextra amovet parvam pallam desuper Hostiam, accipit Patenam cum Hostia, et ambabus manibus usque ad pectus eam elevatam tenens, oculis ad Deum elevatis, et statim demissis, dicit,* Suscipe sancte Pater, *etc.*

3. *Si fuerint aliæ Hostiæ non super Patenam, sed super Corporale, vel in alio Calice, seu vase pro Communione populi consecrandæ; Calicem illum, seu vas dextra discooperit, et intentionem suam etiam ad illas offerendas et consecrandas dirigens, dicit ut supra,* Suscipe *etc. ut in ordine Missæ. Quo dicto, Patenam utraque manu tenens, cum ea facit signum Crucis super Corporale, et deponit Hostiam circa medium anterioris partis Corporalis ante se, et Patenam ad manum dextram aliquantulum subtus Corporale; quam exterso Calice, ut dicetur, cooperit purificatorio. Si autem adsit vas seu Calix cum aliis Hostiis, ipsum cooperit alia Patena, vel Palla.*

---

221. *Offertorium.* Dicto symbolo, vel si non sit dicendum, post evangelium sacerdos redux ad medium altaris, osculatur altare in medio, extensis hinc inde manibus extra corporale; tum junctis ante pectus manibus, se vertit ad populum, et alta voce dicit *Dominus vobiscum*, extendens et jungens manus eodem modo, ut n. 212 dictum est : quo dicto, junctis ante pectus manibus, revertitur per eamdem viam seu versus cornu epistolæ ad medium altaris; ubi, sine inclinatione præmittenda, statim dicit *Oremus*, sub hac voce

Digitized by Google

manus ante pectus extendens, et jungens, simulque caput profunde inclinans : capite erecto, et manibus ante pectus junctis manentibus, alta voce ex missali legit offertorium, manens in medio altaris, sed facie ad librum conversa.

222. Si in missa fiat oblatio fidelium, facienda est dicto offertorio, antequam calix detegatur (1).

In hac oblatione minime adhibenda est patena, ut osculanda præbeatur, neque purificatorium ad patenam tergendam : dedecet enim patenam, quæ manibus laicorum attingi non potest, ipsis præbere osculandam, illam sine ablutione prævia in missa statim adhibere, et in eamdem licet sordidatam ss. Sacramentum recipere. Sed osculanda præberi potest tabella pacis, crux, aut sacra aliqua imago (2). Si usus seu potius abusus patenam adhibendi ita invaluerit, ut abrogandus timeatur, saltem adhiberi debet patena non consecrata cum manutergio distincto a purificatorio.

Ad hanc oblationem celebrans, dicto offertorio, se vertit ad populum, et stat in suppedaneo in medio altaris, vel si opus sit, ad infimum gradum descendit; pro oblationibus tamen laicorum convenientius se statuit in medio plani ad ingressum presbyterii. Ecclesiam autem circumire nequit ad recipiendas oblationes. Celebrans quidquam dicere non debet; interea autem cantari potest offertorium, et si opus est, etiam cum repetitione et pausa (3).

Not. 1° in his oblationibus, exclusis affectu avaritiæ, importunitate precum et aliis hujusmodi vitiis, nihil reprehensibile esse, cum sint monumenta et imitationes antiqui ritus, et insuper in pias causas dentur, nempe in sustentationem ministrorum, fabricæ, confraternitatum aut aliorum juxta

(1) S. R. C. 26 Jan. 1658, n. 1052; Gavantus p. 2, tit. 7, rub. 5, q; Bissus O, n. 4; Vinitor p. 2, tit. 7, annot. 2; Quarti p. 2, tit. 7, s. 3, d. 1; Cavalieri tom. 5, c. 13, n. 6 et seq.; Dumoulin p. 1, art. 7, n. 3, et p. 2, de oft. sacerd. c. 3, n. 1; Bouvry hoc loco.

(2) Bauldry p. 3, c. 11, art. 7, n. 10; Merati p. 2, tit. 7, n. 21; Vinitor p. 4, tit. 2, annot. 39; Cavalieri tom. 5, c. 13, n. 14; De Conny liv. 2, art. 22.

(3) Cavalieri locis cit.

Digitized by Google

usum loci (1). Unde parochus has oblationes abrogare aut negligere nequit, nisi gravis causa suadeat, sed tamen nec etiam facile inducere potest, tum ne oblocutionibus et avaritiæ suspicioni causam præbeat, tum quia usum oblationum in missis, nostris temporibus non habet Ecclesia Romana, nisi in consecrationibus Episcoporum, benedictionibus Abbatum, ordinationibus et similibus (2).

223. *Discooperitio calicis.* Sacerdos, dicto offertorio, accipit utraque manu velum calicis ad ejus extremitates anteriores, vel posteriores ut usus hic habet, illud de calice tollit, et retrahit extra corporale versus cornu epistolæ, ibique ministro tradit plicandum, vel ipsemet plicat, ita ut pars exterior sola appareat, et ita plicatum collocat ad cornu epistolæ, prope sed extra corporale. Tum manu sinistra super altare extra corporale posita, dextra accipit calicem ad nodum, eumque ad cornu epistolæ sistit extra corporale ante velum : deinde dextra pallam de calice tollit inter pollicem et reliquos digitos, eamque contra tabellam versus cornu epistolæ vel super velum calicis ponit.

224. *Oblatio hostiæ.* Sacerdos post depositam pallam, sinistram super altari positam retinens, accipit de calice patenam cum hostia inter pollicem et digitos dextræ manus, eamque perductam ad medium altaris ante pectus suum, accipit etiam sinistra, sic quidem, ut patenam teneat circa circumferentiam respicientem ipsum celebrantem, extensis pollicibus utriusque manus, et circa circumferentiam altare respicientem extensis utriusque manus indicibus et mediis digitis, junctis infra patenam manibus ab extremitate annularium et parvorum digitorum usque ad pulsum. Sic autem patenam sustinens ante pectus, non altius nec inferius, oculos ad crucem elevat, interim secreto dicens *Suscipe sancte Pater;* oculos autem statim demittens, et patenam eodem modo elevatam tenens, orationem secreto prosequitur usque ad finem, eamdem in tabella legendo. Finita totaliter oratione, facit signum crucis cum patena super corporale :

(1) Vid. Quarti p. 2, tit. 7, sect. 3, dub. 1.
(2) S. R. C. 31 Jul. 1665, n. 1322, 17.

Digitized by Google

demittens scilicet patenam ad distantiam quatuor digitorum a corporali, eamque tenens utroque pollice ad anteriorem illius circumferentiam, et utroque indice ad circumferentiam posteriorem, utrique indici aliis utriusque manus digitis conjunctis et extensis; format crucem super anteriorem et mediam corporalis plicaturam, in qua hostia ponenda est, non per quatuor puncta sed per duas rectas et bene distinctas lineas; ducendo cum patena primam lineam a media corporalis plicatura versus celebrantem in longitudine plicaturæ; et patenam reducendo in medium lineæ factæ, alteram transversam, quæ primam secat in medio, in eadem longitudine faciendo a parte cornu evangelii versus cornu epistolæ. Signo crucis cum patena facto eamdem eodem modo ac sub signo crucis retinens, ejus partem posteriorem, quæ altare respicit, parum deprimit, et ex ea demittit hostiam super altare in medium mediæ plicaturæ anterioris partis corporalis; et sinistra super altare extra corporale posita, dextra ponit patenam ad cornu epistolæ aliquantulum subtus corporale, sic ut media pars patenæ corporali tegatur; scilicet subtus partem lateralem mediæ plicaturæ corporalis, ne palma in depositione manus super patenam quiescat.

Not. sacerdotem legentem *Suscipe sancte Pater,* non infra patenam et inter brachia, sed super patenam respicere in tabellam.

225. Hostias minores consecrandas pro communione populi, si ponantur super patenam, sacerdos cum patena elevat et offert; facto signo crucis cum patena, dextra deponit prius hostiam majorem in locum consuetum, et tunc deprimens partem posteriorem patenæ, hostias minores demittit in corporale inter hostiam majorem et calicem, vel si altare non satis latum sit, ad latus majoris hostiæ versus cornu evangelii. Si hostiæ consecrandæ ponantur super corporale vel in alio calice aut pyxide, non sunt elevandæ in oblatione, sed sacerdos tantum suam intentionem ad illas offerendas et consecrandas, actualiter vel virtualiter dirigere debet : pyxidem tamen aut calicem, antequam patenam accipiat, dextra discooperire debet, et oblatione facta, proprio cooperculo

Digitized by Google

iterum cooperire, antequam e medio altaris discedat, remoto autem velo, quo pyxis alias cooperitur, sicut calix in altari etiam discoopertus existit.

OBLATIO CALICIS.

Rub. 4. *Deinde in cornu Epistolæ accipit Calicem, Purificatorio extergit, et sinistra tenens illius nodum, accipit ampullam vini de manu ministri (qui osculatur ipsam ampullam, non autem manum Celebrantis) et ponit vinum in calicem. Deinde eodem modo tenens Calicem, producit signum Crucis super ampullam aquæ, et dicit :* Deus, qui humanæ substantiæ, *et infundens parum aquæ in Calice, prosequitur* Da nobis per hujus aquæ et vini mysterium *etc. Si vero celebrat pro Defunctis, non facit signum Crucis super aquam, sed imponit absque benedictione, dicens orationem, ut supra.*

5. *Imposita aqua in Calice, et finita oratione prædicta, accipit manu dextra Calicem discoopertum, et stans ante medium Altaris, ipsum ambabus manibus elevatum tenens, videlicet cum sinistra pedem, cum dextra autem nodum infra cuppam, intentis ad Deum oculis offert dicens,* Offerimus tibi Domine, *etc. qua Oratione dicta, facit signum Crucis cum Calice super Corporale, et ipsum in medio post Hostiam collocat, et palla cooperit. Deinde junctis manibus etc.* (Vid. num. seq.).

---

226. Sacerdos post oblationem hostiæ patena sub corporali posita, manibus junctis, caput cruci profunde inclinat (1); et deinde recedit de medio altaris ad cornu epistolæ, ubi stans ante calicem, eumdem ad nodum sinistra accipit, eumque, deposito si adsit cochleari parvo super altare, purificatorio extergit : sinistra scilicet calicem ad nodum tenet, parum ab altari elevatum, et versus cornu epistolæ inclina-

(1) Vid. notam n. 210.

Digitized by Google

tum; digitis autem dextræ manus extensis et junctis premit medium purificatorii usque ad fundum calicis, et pollice dextro alterutram partem purificatorii pendentis tenet ad exteriorem partem cuppæ calicis; sicque purificatorium undequaque semel aut iterum circumducit per calicem, ut eumdem totaliter extergat et purificet. Deinde purificatorium in duas partes æquales plicans, illud ponit juxta rubricas hujus tit. n. 3, super patenam, ut infra dicetur, vel ad arbitrium suum juxta dec. S. R. C. (1) pollice sinistro tenet super pedem calicis pendens, ne calicem et mappas altaris per infusionem vini et aquæ commaculet. Tum sinistra cum purificatorio vel sine eo, calicem super altare positum ad nodum tenens, dextra accipit ampullam vini de manu ministri, et effundit vinum in calicem in ea quantitate, quæ unico haustu sine interruptione facile sumi potest. Deinde ampullam reddit ministro, vel deponit super pelviculam, si hæc super altare collocata fuerit.

227. *Mixtio aquæ.* Ampulla reddita, sinistra eodem modo calicem retinens, absque prævia manuum junctione, dextra facit signum crucis super ampullam aquæ dicens : *Deus, qui humanæ substantiæ* etc.; qua cruce facta, vel immediate ex ampulla infundit parum aquæ in calicem, vel, ut usus communis in his locis habet, accipit cochlear parvum (2), ne nimium aquæ admisceatur vino, et accepta aqua cum cochleari, parum infundit in calicem : si quid aquæ in cochleari supersit, eam in ampullam refundit. Deinde purificatorio cochlear extergit, illudque prope corporale vel juxta velum calicis reponit. Orationem *Deus, qui humanæ substantiæ,* post benedictionem aquæ prosequitur, ita ut aquam in calicem fundens, dicat : *Da nobis per hujus aquæ et vini mysterium,* et consequenter eam absolvat. Dum dicit *Jesus Christus,* caput versus crucem profunde inclinat.

(1) 7 Sept. 1816, n. 2572, 15.

(2) Usum parvi cochlearis præscribit Cæremoniale s. Rom. Ecclesiæ in solemni missa papali lib. 2, tit. 2, cap. 15, eumque non esse prohibitum declaravit S. R. C. 6 Feb. 1858, n. 3064.

Digitized by Google

228. *Extersio guttarum.* Dum sacerdos orationem prædictam post infusionem aquæ prosequitur, interim purificatorio abstergit guttas vini et aquæ, si in cuppa exteriori calicis dispersæ appareant; et si intra cuppam calicis, ut sæpius accidit, guttæ dispersæ sint, tunc vel circumacto vino easdem conjungit cum vino in fundo calicis, vel ut magis congruit, et summopere laudabile est (1), easdem purificatorio abstergit, scilicet indicem dextram involvendo purificatorio, eumque intra calicem undequaque circumducendo; si guttæ dispersæ non appareant, hæc tamen extersio ad majorem cautelam semper adhiberi potest, licet non debeat. Deinde ponit purificatorium in duas æquales partes plicatum super illam partem patenæ, quæ corporali non est cooperta, nisi post extersionem calicis ibidem positum fuerit, ut supra dictum est : purificatorium autem ita ponit, ut attingat corporale, patenam cooperiat, ejusque extremitates altare et non celebrantem respiciant.

Not. ante infusionem vini in calicem, communiter observari, ut per odoratum experimentum capiatur, an sit vinum : quæ cautela, etsi non necessaria, neque præscripta, certo tamen est consulenda : visus enim sæpe fallit, et prudentissimi ministri quandoque errant, aquam in ampullam vini infundendo, aut unam ampullam pro alia porrigendo.

229. *Oblatio Calicis.* Aquæ mixtione facta, extersis guttis, et purificatorio deposito, sacerdos calicem discoopertum in cornu epistolæ, sed prope corporale relinquens, manibus ante pectus junctis, ad medium altaris accedit, et ibidem statim capite cruci profunde inclinato (2), ponit sinistram super altare extra corporale, et dextra calicem ad nodum accipit, quem allatum ad medium altaris accipit etiam sinistra ad ejus pedem, ita ut pollex sit supra pedem et alii digiti infra eumdem : calicem ita ambabus manibus tenens, eumdem linea recta supra locum, ubi deinde deponendus est, elevat usque ad faciem, ita ut cuppa calicis non

(1) S. R. C. 7 Sept. 1816, n. 2572, 14.
(2) Vid. not. n. 210.

Digitized by Google

excedat oculos, neque sit infra os aut mentum celebrantis : calicem sic elevatum tenens, etiam elevat oculos ad crucem, et secreto ac memoriter recitat *Offerimus tibi, Domine*, etc, toto tempore hujus orationis calicem elevatum et oculos ad crucem intentos tenens. Oratione totaliter finita, sed non prius, demittit oculos et calicem ad distantiam quatuor circiter digitorum ab altari, ubi facit signum crucis cum calice super mediam corporalis plicaturam, in qua calix ponendus est : scilicet calicem utraque manu et eodem modo, ac sub oblatione tenens, ducit priorem lineam rectam a posteriori parte mediæ plicaturæ versus hostiam, sed non super eam; tum reducens calicem in medium mediæ plicaturæ, ducit a cornu evangelii ad cornu epistolæ lineam transversam æque longam, quæ priorem secat in medio. Facto signo crucis, collocat calicem in medium mediæ plicaturæ corporalis, si scilicet corporale ordinariæ sit magnitudinis; si autem minoris aut majoris sit magnitudinis, propius ad hostiam aut longius ab ea collocari potest. Calix ab hostia consecranda per spatium alterius magnæ hostiæ distare debet. Calice deposito, dextra accipit pallam inter pollicem et alios digitos, et eadem calicem cooperit, sinistra interim posita super altare extra corporale, vel melius super pedem calicis, ne eumdem etiam nolens evertat : quæ cautela, etsi non præscripta, semper tamen observanda consulitur, sive calix cooperiatur, sive discooperiatur, præsertim post consecrationem.

230. Qualis et quanta aqua vino admisceri debet?

R. Vera et naturalis, clara et munda, ac modicissima sed sensibilis.

Sic juxta Rubricas *parum aquæ*, et juxta Concilium Florentinum *aqua modicissima admisceri debet* : ita ut in quacumque parva quantitate adhibita, etiam una aut altera gutta sufficiat : magna autem aquæ quantitas respective ad quantitatem vini sumi nequeat : nam eo etiam supposito, per tertiam aquæ partem substantiam vini non corrumpi aut desinere, et proinde valide consecrari; tertia tamen aut etiam quarta et quinta pars aquæ respective ad aliam partem vini, modicissima dici nequit; adeoque juxta Concilium

Digitized by Google

Florentinum assumi non potest. Dicendum tamen est, illud *parum* aut *modicissimum* ita stricte accipiendum non esse in tam minima quantitate, quam sumi possit, quia aquam semper in minima quantitate accipere, impossibile esset; sed aliquam habere latitudinem, ita ut, licet una aut altera gutta sufficiat, inquietari tamen non debeat, qui quid plus acceperit (1).

DE ORATIONIBUS IN SPIRITU HUMILITATIS, ET VENI SANCTIFICATOR, ATQUE DE LOTIONE MANUUM.

Rub. *Deinde junctis manibus super Altare positis, aliquantulum inclinatus, dicit secreto,* In spiritu humilitatis, *etc. Postea erectus, elevans oculos, manusque expandens, et statim jungens ante pectus (quod semper facit, quando aliquid est benedicturus) dicit* Veni Sanctificator, *etc. Cum dicit,* et benedic, *signat manu dextra communiter super Hostiam et Calicem, sinistra posita super Altare.*

6. *Tum junctis ante pectus manibus, accedit ad cornu Epistolæ, ubi stans, ministro aquam fundente, lavat manus, id est, extremitates digitorum pollicis et indicis, dicens Psalmum* Lavabo inter innocentes, *cum* Gloria Patri *etc. qui versus* Gloria Patri, *prætermittitur in Missis Defunctorum, et in Missis de Tempore a Dominica de Passione usque ad Sabbatum Sanctum exclusive.*

7. *Celebrans, lotis manibus, eas tergit, et illis ante pectus junctis, revertitur ad medium Altaris* (Vid. num. seq.).

---

231. *In spiritu humilitatis* etc. Sacerdos, cum calicem post oblationem cooperuerit, manibus junctis et super altare positis (2), corpore mediocriter inclinato (3), dicit secreto totam orationem *In spiritu humilitatis.*

(1) Vid. Merati p. 3, tit. 4, n. 6; Quarti p. 2, tit. 7, sect. 2, dub. 6; Cavalieri tom. 5, c. 13, n. 18.

(2) Vid. n. 137.

(3) Vid. n. 121.

Digitized by Google

232. *Veni sanctificator.* Oratione *In spiritu humilitatis,* totaliter finita, sacerdos erectus, oculos elevat ad crucem, et simul manus expandit, elevatque usque ad humeros, cum oculorum autem demissione manus statim jungit ante pectus interea dicens : *Veni sanctificator, omnipotens æterne Deus :* ita ut incipiat dicere *Veni* cum oculorum elevatione et manuum expansione, et absolvat *æterne Deus* cum oculorum demissione et manuum junctione (1). Ad vocem *Deus* non inclinat caput. Tum sinistra super altare extra corporale posita, dicens *et benedic,* dextra facit signum crucis super hostiam et calicem communiter : quo facto, manibus iterum ante pectus junctis, absolvit orationem. Quomodo calix et hostia sint signanda, vid. n. 131 et 133.

233. *Lotio manuum.* Dicta oratione *Veni sanctificator,* sacerdos junctis manibus, caput cruci profunde inclinat (2); deinde accedit ad cornu epistolæ junctis manentibus manibus, ubi stans, latus sinistrum, sicut in accessu, ad altare conversum habens, ministro aquam fundente, lavat extremitates pollicis et indicis utriusque manus; cum lotione manuum, sed non prius, secreto incipiens psalmum *Lavabo,* eumque infra lotionem et tersionem prosequens : sub infusione aquæ tenet indices et pollices utriusque manus sibi junctos seu potius dextros super sinistros positos, extensis aliis digitis, et manibus a se invicem separatis, ut aqua tangat pollicis et indicis extremitates, quæ tantum lavandæ sunt. Lotis manibus, sacerdos manutergio easdem tergit et exsiccat, ac faciem convertit ad parietem altaris, ut psalmum ex tabella ibidem posita prosequatur. Manibus tersis, et deinde ante pectus junctis, recitat psalmum usque ad finem in cornu epistolæ : dum dicit *Gloria Patri,* faciem sine motu pedum convertit ad crucem altaris, et eidem caput profunde inclinat usque ad *Spiritui Sancto* inclusive : facie reversa ad altaris parietem, prosequitur *Sicut erat* etc. quo dicto revertitur ad medium altaris. Juxta quosdam versus *Gloria Patri* aut saltem *Sicut erat* dici

(1) Vid. n. 140.
(2) Vid. not. n. 210.

Digitized by Google

potest eundo ad medium altaris : sed versus *Gloria Patri* melius ad cornu epistolæ legitur, quia eundo inclinatio capitis versus crucem recte exhiberi non potest; versus autem *Sicut erat* dici potest vel in cornu epistolæ facie reversa ad parietem altaris, ut supra dictum est, vel si magis placeat, eundo ad medium altaris, modo in ipso accessu ad medium altaris totaliter sit finitus, cum sacerdos ibi statim dicere debeat *Suscipe, sancta Trinitas* (1).

Manutergium ad digitos tergendos juxta rubricas gen. tit. XX, cum ampullis in fenestella seu parva mensa præparandum est. Non igitur convenit, ut ad cornu altaris affixum maneat. An autem ad manuum lotionem super cornu altaris a ministro poni queat, an cum ampulla aquæ afferri debeat, non conveniunt auctores : præferendum tamen videtur, manutergium a ministro sinistra manu sub pelvicula ferri vel potius super brachium sinistrum aptari, et ita cum ampulla afferri et reportari (2).

DE ORATIONE SUSCIPE SANCTA TRINITAS, ORATE FRATRES ET ORATIONIBUS SECRETIS.

Rub. 7. *Celebrans lotis manibus, eas tergit, et illis ante pectus junctis, revertitur ad medium Altaris, ubi stans, oculosque ad Deum elevans, et statim demittens, manibus junctis super Altare, aliquantulum inclinatus dicit secreto Orationem* Suscipe sancta Trinitas *etc. Qua dicta, manibus hinc inde extensis, et super Altare positis, osculatur illud in medio : tum junctis manibus ante pectus, demissisque oculis ad terram, a sinistra manu ad dextram vertit se ad populum, et versus eum extendens et jungens manus, dicit voce aliquantulum elata* Orate fratres, *et secreto prosequens,* ut meum ac vestrum Sacrificium, *etc. perficit circulum, revertens, junctis manibus ante pectus, a manu dextra ad medium Altaris. Et*

(1) Vid. Merati p. 2, tit. 7, n. 26, et Cavalieri t. 5, c. 13, n. 43.
(2) Merati p. 2, tit. 7, n. 5 et 14.

Digitized by Google

responso a ministro, vel a circumstantibus, Suscipiat Dominus Sacrificium de manibus tuis, etc. *(alioquin per se ipsum dicens,* sacrificium de manibus meis) *ipse Celebrans submissa voce dicit :* Amen; *et manibus ante pectus extensis, ut fit ad Orationem, stans in medio Altaris versus librum, dicit absolute sine* Oremus, *et sine alia interpositione Orationem, vel Orationes secretas. Cum dicit* Per Dominum, *jungit manus : cum dicit* Jesum Christum, *caput inclinat : quod facit in prima Oratione, et in ultima, si plures sint dicendæ.*

---

234. *Suscipe sancta Trinitas* (1). Sacerdos a cornu epistolæ ad medium altaris reversus sine capitis inclinatione cruci facienda, quia se statim inclinare debet, ibique stans manibus junctis super altare positis, corpore mediocriter inclinato, secreto dicit totam orationem *Suscipe sancta Trinitas.* Non magis inclinat caput ad nomina Mariæ et sanctorum, quia est inclinatus. Dubitatur, an hæc oratio cum oculorum elevatione, vel tantum post corporis inclinationem incipienda sit : vox *inclinatus* videtur supponere oculorum elevationem et demissionem, ac corporis inclinationem præcessisse, antequam dicatur *Suscipe;* sed dici potest, participia sive præsentis sive præteriti temporis regi a verbo *dicit,* ad quod referuntur, ita ut sensus sit : elevans oculos dicit, demittens dicit, inclinatus dicit seu prosequitur : unde dici non debet, illum contra rubricam agere, qui orationem cum oculorum elevatione incipit; et concludere licet orationem incipi posse vel cum elevatione oculorum, vel post factam corporis inclinationem tantum. Vid. n. 239.

235. *Orate fratres.* Sacerdos, oratione *Suscipe, sancta Trinitas,* totaliter finita, non se erigendo, sed manus hinc inde extendendo et super altare ponendo (2), osculatur altare

(1) In hac oratione legendum est *in honorem beatæ Mariæ,* et non *in honore.* Missale Rom. edit. typica; S. R. C. 25 Maji 1877, n. 3421.

(2) Vid. n. 138.

Digitized by Google

in medio. Deinde erectus, manibusque ante pectus junctis, et non prius, sine nova capitis inclinatione, non clausis sed demissis ad terram oculis, per suam dextram seu versus cornu epistolæ se vertit ad populum, ad quem facie conversa, voce media dicit hæc duo verbo *Orate fratres*, sub his duabus vocibus manus ante pectus extendens et jungens : dictis his duobus verbis, junctis ante pectus manibus statim revertitur ad medium altaris per suam dextram seu per cornu evangelii, faciendo integrum circulum, interim post dicta verba *Orate fratres* secreto prosequens *Ut meum* etc. Reversus ad altare, caput cruci profunde inclinat (1); et responso a ministro vel circumstantibus *Suscipiat Dominus Sacrificium de manibus tuis* etc. et alioquin celebrans, postquam orationem *Ut meum* etc. finierit, per seipsum dicens *Suscipiat Dominus Sacrificium de manibus meis* etc. in fine secreto subjungit *Amen*. Minister juxta Merati et Cavalieri (2) non statim respondet dicto *Orate fratres*, sed aliquantulum expectat, donec sacerdos orationem *Ut meum* absolverit usque ad finem; sed cum minister respondeat ad verba *Orate fratres* alta voce prolata, et ipsi non constet, quo momento sacerdos orationem finierit; nihil obstare videtur, quominus minister mox respondeat post verba *Orate fratres :* sacerdos tamen tantum subjungit *Amen* post finitum responsum a ministro.

Not. 1° dicendo *Orate fratres*, manus tantum esse extendendas et jungendas, non autem elevandas : item extensionem faciendam esse sine ulla corporis, capitis aut manuum inclinatione. 2° Sacerdotem post dicta hæc duo verba *Orate fratres* immediate se vertere ad altare, et non expectare, donec facie conversa ad populum absolverit orationem *Ut meum* etc. sed hanc dicere et prosequi se vertendo et stando ad altare, uti rubricæ præscribunt per hæc verba : *secreto prosequens, ut meum etc., perficit circulum.* 3° Sacerdotem se vertendo ad populum, bis tantum circulum perficere, scilicet ad *Orate fratres* et in fine missæ ad benedictionem.

(1) Vid. not. n. 210; Merati p. 2, tit. 7, n. 32; Bissus R n. 82.
(2) Merati p. 2, tit. 7, n. 33; Cavalieri t. 5, c. 13, n. 46.

Digitized by Google

236. Orationes secretas sacerdos legit sive unam sive plures, eodem numero, ordine et modo, ac orationes ante epistolam; his tamen non præmittit *Dominus vobiscum*, nec *Oremus*, nec quid aliud, sed dicto *Amen* post responsum ad *Orate fratres*, easdem absolute incipit, et secreto legit extensis ante pectus manibus, stans in medio altaris, sed capite ad missale aliquantulum converso, ut commode legere possit, caput inclinans ad nomina Jesu, Sanctorum, et Papæ, concludensque orationes eodem modo ac orationes ante epistolam, de quibus vide n. 86 et 213, his exceptis, quod, si plures secretæ dicendæ sint, sacerdos post primam, quæ concluditur, sibi ipse *Amen* respondeat; et si una tantum dicenda sit, ad hanc, aut si plures, ad omnium ultimam sacerdos cesset, dum pervenit in conclusione ad *Per omnia sæcula sæculorum*, ut dicetur num. seq.

Not. sacerdotem, dum stans in medio altaris folia vertit, uti sola manu sinistra, quantum fieri potest, dextra interim super altare posita.

DE PRÆFATIONE ET SANCTUS.

Rub. 8. *Pervento autem in conclusione ultimæ secretæ ad verba illa* Per omnia sæcula sæculorum, *exclusive, Sacerdos stans in medio Altaris, depositis super eo manibus hinc inde extensis, dicit convenienti et intelligibili voce Præfationem. Cum dicit* Sursum corda, *elevat manus hinc inde extensas usque ad pectus, ita ut palma unius manus respiciat alteram. Cum dicit* Gratias agamus Domino, *jungit manus : cum dicit,* Deo nostro, *oculos elevat, et statim Cruci caput inclinat. Responso* Dignum et justum est, *elevatis et extensis ut prius manibus, prosequitur Præfationem propriam, vel communem, ut tempus requirit. Cum dicit* Sanctus, *junctis ante pectus manibus, et inclinatus voce mediocri prosequitur : ministro interim parvam campanulam pulsante. Cum dicit* Benedictus qui venit in nomine Domini, *etc. erigit se, et signum Crucis sibi producit a fronte ad pectus.*

Digitized by Google

237. *Præfatio.* Sacerdos in fine ultimæ secretæ, immediate ante *Per omnia sæcula* cessans dicere, manu dextra super altare extra corporale deposita, sinistra quærit præfationem dicendam; qua inventa, sinistra etiam super altare extra corporale posita, stans in medio altaris, sed facie ad librum conversa, alta voce dicit *Per omnia sæcula sæculorum,* R. *Amen;* deinde manibus similiter super altare retentis *Dominus vobiscum,* R. *Et cum spiritu tuo;* tum dicens *Sursum corda,* manus super altare positas elevat usque ad pectus seu usque ad humeros, R. *Habemus ad Dominum;* deinde dicens *Gratias agamus Domino,* manus extensas, non magis expandendo nec elevando, sed linea recta jungit ante pectus; dicensque *Deo nostro,* oculos ad crucem elevat, et statim demittit, caputque cruci inclinat; ita ut hæc tria, oculorum elevatio, eorum demissio et capitis inclinatio fiant sub verbis *Deo nostro.* Responso *Dignum et justum est,* facie conversa ad missale, elevatis et extensis manibus ante pectus, alta voce prosequitur præfationem usque ad finem. Dum dicit *Per Christum Dominum,* caput non inclinat : in sola præfatione B. M. V. caput inclinat ad nomen Mariæ et ad *Jesum Christum.* Ne pervertatur sensus, notanda sunt commata ad verba : *Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus,* quæ sunt tria distincta membra, et abusive per duo membra leguntur : *Domine sancte Pater, omnipotens æterne Deus.*

238. *Sanctus.* Sacerdos finita totaliter præfatione, sinistra, si opus sit, folia vertit, dextra super altare posita; tum junctis ante pectus manibus, corpore mediocriter inclinato, manusque ante pectus junctas retinens, sed super altare non deponens, nec cum eis altare attingens, dicit *Sanctus* etc. voce media, seu aliquantulum depressa, ita ut post præfationem vocem paululum immutet et deprimat. Ad *Benedictus* se totaliter erigit, et sinistra infra pectus posita, se signat, voces ita distribuens, ut ad *Benedictus* signum crucis incipiat, et dicendo *Hosanna in excelsis* absolvat.

Sacerdote dicente *Sanctus,* minister pulsat parvam campanulam vel continuatim, vel ter cum aliqua distinctione. Vid. n. 189.

Digitized by Google

Titulus VIII.

DE CANONE MISSÆ USQUE AD CONSECRATIONEM.

Rub. 1. *Finita Præfatione, ut supra, Sacerdos stans ante medium Altaris versus ad illud, aliquantulum elevat manus, oculisque elevatis ad Deum, et sine mora devote demissis, ac manibus junctis et super Altare positis, profunde inclinatus incipit Canonem, secreto dicens :* Te igitur, *etc. ut in ordine Missæ. Cum dicit* Uti accepta habeas et benedicas *etc. prius osculatur Altare in medio, deinde erigit se, et stat junctis manibus ante pectus. Cum dicit* Hæc † dona, hæc † munera, hæc sancta † Sacrificia, *dextra manu signat ter communiter super Hostiam et Calicem. Deinde extensis manibus ante pectus prosequitur* : Imprimis quæ tibi offerimus *etc.*

2. *Ubi dicit* Una cum famulo tuo Papa nostro N. *exprimit nomen Papæ; Sede autem vacante verba prædicta omittuntur. Ubi dicitur* et Antistite nostro N. *specificatur nomen Patriarchæ, Archiepiscopi, vel Episcopi ordinarii in propria Diœcesi, et non alterius superioris, etiamsi Celebrans sit omnino exemptus, vel sub alterius Episcopi jurisdictione. Si vero Episcopus ordinarius illius loci, in quo Missa celebratur, sit vita functus, prædicta verba omittuntur, quæ etiam omittuntur ab iis, qui Romæ celebrant. Si Celebrans est Episcopus, Archiepiscopus, vel Patriarcha, omissis prædictis verbis, eorum loco dicit :* Et me indigno servo tuo. *Summus autem Pontifex cum celebrat, omissis verbis* Una cum famulo tuo Papa nostro N. et Antistite nostro N. *dicit* una cum me indigno famulo tuo, quem gregi tuo præesse voluisti. *Et continuant omnes ut sequitur :* Et omnibus orthodoxis, *etc.*

---

239. Celebrans, dicto *Sanctus,* deposita manu dextra super altare extra corporale, sinistra quærit canonem; tum

Digitized by Google

manus ante pectus jungit, ut patet non tantum ex rubrica ante canonem missæ : *extendens et jungens manus*, extensio enim junctionem antea factam includit; sed præcipue ex rubricis generalibus in ritu celebrandi missam tit. IV, n. 3 et tit. V, n. 1, juxta quas manus sunt extendendæ et elevandæ, sed non ultra distantiam humerorum; ut autem ita tantum extendantur, necessario oportet, ut prævie jungantur, cum manus saltem dextra supra altare jam posita sit extra distantiam humerorum.

Invento igitur canone, manus jungit, mox eas extendit, et elevat usque ad humeros (1), oculosque simul ad crucem elevat; oculos autem et manus statim demittens, manus ante pectus jungit; tum corpore profunde inclinato, manus junctas super altare deponit (2).

An verba *Te igitur* incipienda sint cum manuum et oculorum elevatione, vel tantum postquam sacerdos profunde inclinatus manus super altare deposuerit, controvertitur ex eo, quod inter rubricam generalem hujus tituli, et particularem in ordine missæ ante canonem haberi videatur aliqua discrepantia, quæ tamen tantum apparens est : quia utraque rubrica concorditer explicari potest, et sic utraque servanda est (3). Cum manuum et oculorum elevatione incipiendum esse *Te igitur*, tenent Gavantus, Cavalieri aliique ab his citati (4); contra post inclinationem tantum Quarti, Merati (5) aliique ibidem citati. Utraque sententia est vere probabilis, uti consideranti rationes ab his auctoribus adductas patebit; in utraque rubricæ generales et particulares concorditur explicari possunt; adeoque utramque etiam sequi licet. Sic in sententia Gavanti explicantur rubricæ particulares ante canonem : *extendens manus dicit, jungens dicit, elevans oculos dicit, inclinatus dicit* etc. et generales hujus tituli : *elevat manus, et incipit canonem dicens, oculis elevatis incipit*

(1) N. 140.
(2) N. 137.
(3) S. R. C. 7 Sept. 1816, n. 2572, 19.
(4) Gavantus p. 2, tit. 8, rub. 1; Cavalieri t. 5, c. 16, n. 37 et seq.
(5) Quarti p. 2, tit. 8, sect. 1, dub. 1; Merati p. 2, tit. 8, n. 1.

Digitized by Google

etc. quia participia sive præteriti sive præsentis temporis omnia reguntur a verbo principali, ad quod referuntur : contra in sententia Quarti explicantur per participium *inclinatus*, in utroque textu positum ultimo loco, quod cum sit præteriti temporis, supponit sacerdotem omnes alias actiones fecisse, et modo inclinatum esse, antequam dicat *Te igitur*.

Dum sacerdos dicit *Uti accepta habeas et benedicas*, absque erectione corporis, manus separatas super altare extra corporale deponit, et osculatur altare in medio; quo facto se erigit, et manus jungit ante pectus : ita ut sub iisdem prædictis verbis fiant manuum separatio et depositio, osculum altaris, erectio corporis, et junctio manuum. Tum sinistra supra altare extra corporale posita, dextra ter signat super hostiam et calicem simul, sub prima cruce dicens *Hæc dona*, sub secunda *Hæc munera*, sub tertia *Hæc sancta sacrificia* (1). Deinde extensis ante pectus manibus, absque prævia earum junctione, prosequitur orationem usque ad finem. Ubi dicit *Papa nostro*, ad litteram N. exprimit nomen Summi Pontificis viventis, sub eo nomine caput versus librum aliquantulum inclinans (2). Sede autem Pontificia vacante, et hoc constante, verba *Famulo tuo Papa nostro* omittit, et dicit *Una cum Antistite* etc. Similiter ubi dicit *Et Antistite nostro*, ad litteram N. exprimit nomen Episcopi diœcesis, in qua celebrat.

240. Quis potest et debet exprimi ad litteram N. post verba *Antistite nostro?*

R. Potest et debet exprimi solus Episcopus qui, qua talis, est ordinarius illius loci, in quo celebratur, a die captæ possessionis, vel per Episcopum ipsum vel per suum procuratorem (3). Non requiritur, ut sit Episcopus consecratus, neque ut sit in sacris ordinibus constitutus; sed sufficit, ut sit Episcopus nominatus seu electus et confirmatus, modo qua talis possessionem ceperit, seu litteras nominationis a Summo Pontifice acceperit, easque capitulo exhibuerit. Unde :

(1) Vid. n. 131 et 133.
(2) S. R. C. 23 Maji 1846, n. 2915, 5.
(3) S. R. C. 4 Jul. 1879, n. 3500, II.

Digitized by Google

1. Si Episcopus administrationem et possessionem nondum ceperit, nec ordinarius dici, nec in canone exprimi potest.

2. Si quidem sit Episcopus consecratus, et diœcesim administret, sed non tanquam Episcopus proprius, sed tanquam vicarius capitularis aut administrator apostolicus; ordinarius quidem, sed non Episcopus diœcesis dici debet, adeoque nec in canone exprimi potest (1).

3. Si Episcopus ordinarius illius loci, in quo missa celebratur, sit vita functus; quam primum certa hujus obitus notitia habetur, verba *Et Antistite nostro* omittuntur; illiusque loco nemo alius, nec vicarius capitularis, nec Archiepiscopus, nec Patriarcha nominari potest.

4. Sacerdos celebrans in alia diœcesi, nomen Episcopi illius diœcesis, in qua celebrat, exprimere debet.

5. Regulares et quicumque exempti, sive in suis, sive in aliis ecclesiis celebrantes, nominare non possunt suos superiores, abbatem aut prælatum, sed exprimere debent Episcopum loci, in quo celebrant (2).

6. Si locus non habeat Episcopum, sed vel abbatem, vel alium e. g. vicarium apostolicum, qui ibidem jurisdictionem quasi episcopalem habet; non potest celebrans dictum ordinarium in canone nominare, sed vel Episcopum viciniorem, ad quem pro ordinatione itur, ut vult Gavantus (3), vel, ut est probabilius et verius, nullum nominare potest, et hæc verba *Et Antistite nostro*, omittere debet, uti sede vacante (4).

7. Si nomen Episcopi alterius diœcesis, in qua celebratur, ignoretur; dicitur tantum *Antistite nostro*, mente intelligendo Episcopum illius loci (5). Ut hoc præveniatur, in sacristia nomen Episcopi ordinarii (pariter titularis ecclesiæ) loco patente scriptum haberi debet.

(1) S. R. C. 22 Aug. 1722, n. 2274, 5; 9 Maji 1857, n. 3047, 4.

(2) S. R. C. 12 Nov. 1605, n. 194; 13 Feb. 1666, n. 1333, 9; 8 Ap. 1690, n. 1827, 1.

(3) Gavantus p. 2, tit. 8, rub. 2, o.

(4) Merati p. 2, tit. 8, n. 5; Quarti p. 2, tit. 8, sect. 1, dub. 2; Cavalieri t. 5. c. 16, n. 19; Bissus lit. N., n. 36; Bauldry p. 3, tit. 8; s. Alph. de Ligorio de cæremoniis missæ c. IX, n. 2.

(5) Merati loco cit. et Cavalieri ibid. n. 21.

Digitized by Google

MEMENTO VIVORUM.

Rub. 3. *Cum dicit* Memento, Domine *elevans et jungens manus usque ad faciem vel pectus, sic junctis manibus stat paulisper in quiete, demisso aliquantulum capite, faciens commemorationem vivorum Christi fidelium ad suam voluntatem, quorum nomina, si vult, secreto commemoret : non tamen necesse est ea exprimere, sed mente tantum eorum memoriam habeat. Potest etiam Celebrans, si pro pluribus orare intendit, ne circumstantibus sit morosus, ante Missam in animo proponere sibi omnes illos tam vivos, quam defunctos, pro quibus in ipsa Missa orare intendit, et hoc loco generaliter unico contextu ipsorum vivorum commemorationem agere, pro quibus ante Missam orare proposuit in Missa.*

---

241. Celebrans dicens *Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum*, manus extensas elevat et jungit, seu elevanda jungit, et jungendo elevat usque ad faciem vel pectus, id est usque ad superiorem partem pectoris, vel ad mentum celebrantis (non autem usque ad oculos), sic tamen, ut intercedat aliquod spatium inter faciem et manus celebrantis. Hæc elevatio et junctio manuum lente fieri debent, ita ut sacerdos incipiat dicere *Memento*, dum manus elevare incipit; et absolvat *tuarum*, dum manus jungit, ut patet ex rubricis particularibus in canone missæ. Elevando manus oculi ad crucem elevandi non sunt. Manibus sic junctis ante pectus seu mentem, et capite tum etiam aliquantulum inclinato, oculis vel demissis vel etiam clausis ad majorem animi recollectionem, stat in quiete, non per longum tempus, cum rubricæ tantum paulisper requirant, sed tamen cum aliqua mora, v. g. per spatium unius *Pater noster* (1), interea faciens commemorationem Christi fidelium ad suam voluntatem. Commemoratione ista facta, erecto capite et extensis

(1) Merati p. 2, tit. 8, n. 7.

Digitized by Google

manibus prosequitur *Et omnium circumstantium* usque ad finem.

242. Quorum vivorum commemorationem in oratione *Memento* sacerdos facere potest et debet?

R. 1° Commemorationem facere potest : 1° omnium Christi fidelium seu catholicorum, sive generaliter sive particulariter, sive sint justi sive peccatores. 2° Infidelium secundum communem sententiam : licet rubricæ dicant *Christi fidelium;* hæc tamen verba non videntur esse exclusiva quoad infideles, sed præceptiva quoad fideles : si enim pro infidelibus missæ sacrificium offerre liceat, eo magis eorum commemorationem facere (1). 3° Hæreticorum, schismaticorum et excommunicatorum etiam non toleratorum, quia *Memento* secundum communem sententiam est privata sacerdotis oratio, et licet hi priventur communibus seu publicis Ecclesiæ suffragiis, non tamen privatis (2).

R. 2° Quorum autem vivorum commemorationem celebrans facere debeat, rubricæ per verba *ad suam voluntatem* plenæ ejus libertati relinquunt. Adeoque quamvis vi rubricarum quorumdam commemorationem facere teneatur, alias partem missæ per rubricas præscriptam omissurus; ita ut non sufficiat, speciali omnium commemorandorum intentione ante missam facta, hoc tempore *Pater noster* vel quid aliud orare, cum id non sit vivorum commemorationem agere, uti rubricæ præscribunt; ad commemorationem tamen alicujus in particulari per se seu ratione celebrationis non obligatur : per accidens autem obligatus esse potest, scilicet ex debito justitiæ sive ratione stipendii accepti sive ratione promissionis, et ex debito charitatis seu specialis obligationis, quam ex charitate erga indigentem, amicum aut propinquum sæpe habere potest. Hæc tamen obligatio sive ex justitia sive ex charitate per se gravis dicenda non est : gravis enim solius charitatis obligatio sustineri nequit; promissio etiam gravem obliga-

(1) Cavalieri t. 5, c. 16, n. 45.

(2) Gavantus p. 2. tit. 8, rub. 3; Merati ibid. n. 8; Quarti, ibid. sect. I, dub. 3; Cavalieri t. 3, dec. 71, n. 3, et t. 5, c. 16, n. 45.

Digitized by Google

tionem afferre non potest, tum defectu gravis materiæ, tum quia nec petens nec promittens gravem obligationem imponere intendit; et licet quis ratione stipendii accepti celebrare teneatur, dicendum tamen non est, omittentem in *Memento* commemorationem dantis stipendium, gravem defectum committere, aut suæ obligationi non satisfacere; nullibi enim obligatio commemorationis stipendium dantis in *Memento*, quod tantum valet ex opere operantis, tam stricte præscribitur; et celebrans suæ obligationi satisfacit per factam ante missam intentionem, qua totus fructus specialis illi, pro quo celebratur, ex opere operato applicatur.

243. Quomodo hæc commemoratio est facienda?

R. I. Ut juste et sine præjudicio fiat, potest sacerdos primo loco sui memoriam facere; secundo loco illorum, quibus ratione stipendii obligatur, aut si pro defunctis celebret, illorum qui stipem dederunt, seu consanguineorum defunctorum, pro quibus celebrat; et tertio loco propriorum parentum, amicorum et aliorum ad suam voluntatem.

2. Hæc commemoratio fieri potest vel secreta voce ut omnes aliæ canonis orationes, vel mentaliter tantum. Nomina voce sensibili, sed secreta commemorare et exprimere licet; id tamen non est necesse, et mente eorum memoriam habere sufficit.

3. Si sacerdos pro pluribus orare intendat, unico contextu generalem commemorationem facere potest omnium, pro quibus ante missam orare proposuit, ut supra in rubricis dicitur.

COMMUNICANTES, HANC IGITUR, QUAM OBLATIONEM.

Rub. 4. *Commemoratione vivorum facta, demissis, et extensis, ut prius, manibus, continuat* Et omnium circumstantium *etc. Similiter stans prosequitur* Communicantes. *Cum dicit* Jesu Christi, *caput Cruci inclinat : in conclusione, quando dicit* Per eumdem *jungit manus. Cum dicit* Hanc igitur oblationem *expandit manus simul super oblata,*

Digitized by Google

ita ut palmæ sint apertæ versus ac supra Calicem et Hostiam, quas sic tenet usque ad illa verba Per Christum Dominum nostrum : *tunc enim jungit manus, et sic prosequitur* Quam oblationem tu Deus in omnibus, quæsumus, *et cum dicit* Bene † dictam, adscrip † tam, ra † tam, *communiter signat ter super Hostiam et Calicem simul : deinde cum dicit* Ut nobis Corpus, *separatim signat semel super Hostiam tantum; et cum dicit* Et Sanguis, *semel super Calicem tantum : deinde elevans et jungens manus ante pectus, prosequitur* Fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi, *et inclinans caput Cruci, extergit etc. (vid. n. seq.)*

---

244. *Communicantes.* Sicut sacerdos post *Memento* extensis manibus recitat *Et omnium circumstantium*, ita etiam extensis manibus prosequitur totam orationem *Communicantes* usque ad finem : dicens *Jesu Christi* caput versus crucem profunde inclinat, sed sine manuum junctione; dicens *Mariæ* caput versus librum mediocriter inclinat; et si occurrat nomen sancti, cujus missa celebratur, vel cujus in missa specialis fit commemoratio, caput etiam versus librum sed paululum tantum inclinat (1). In fine dicens *Per eumdem*, jungit manus ante pectus, sed sine capitis inclinatione.

Martyres, qui in hac oratione recensentur, coluntur Linus 23 Sept.; Cletus 26 Ap.; Clemens 23 Nov.; Xystus, de quo dubitatur, an sit primus illius nominis qui colitur 6 Ap. et de quo nihil fit in officio, an vero sit secundus, qui colitur 6 Aug.; primus tamen esse videtur, quia sancti ponuntur ordine temporis martyrii et primus tantum ante s. Cornelium martyrium subiit (2); Cornelius et Cyprianus 16 Sept.; Laurentius 10 Aug.; Chrysogonus 24 Nov.; Joannes et Paulus 26 Junii; Cosmas et Damianus non videntur esse martyres

(1) Vid. n. 121 et 122.
(2) Cavalieri t. 5, c. 16, n. 34.

Digitized by Google

in Arabia, qui coluntur 27 Sept. sed alii duo, qui Romæ passi sunt, quia omnes, qui exprimuntur, Romæ vel in locis patriarchatus romani martyrium subierunt (1).

245. *Hinc igitur.* Sacerdos, dum dicit seu dicere incipit *Hanc igitur*, ducit manus junctas super hostiam et calicem, ubi eas expandit seu aperit incipiendo per parvos digitos : ita ut palmæ utriusque manus sint apertæ versus calicem et hostiam, indices utriusque manus sibi jungantur, et pollex dexter super sinistro in modum crucis maneat supra, non vero infra manus (2). Manus sic extensæ tenentur, ita ut pallam calicis non tangant, sed uno circiter pollice ab ea distent; versus hostiam non deprimantur; et earum extremitates ad medium pallæ super calicem positæ perveniant, adeo ut calicem et hostiam aliquo modo cooperiant. Sacerdos manus sic extensas tenet usque ad verba *Per Christum D. N.*, quæ verba dicens, manus super calicem et hostiam jungit, non disjungendo sed solummodo claudendo; easque junctas, ad se retrahit ante pectus, interim dicens ut supra *Per Christum D. N.*, caput non inclinando.

246. *Quam oblationem.* Sacerdos manibus ante pectus junctis legit hæc verba : *Quam oblationem tu, Deus, in omnibus, quæsumus;* et tunc sinistra super altare extra corporale posita, dextra ter signat super hostiam et calicem simul, ad primam crucem dicens *Benedictam*, ad secundam *Adscriptam*, ad tertiam *Ratam*. Post quam tertiam crucem plures censent, manus ante pectus esse jungendas, et junctis manibus esse dicendum *Rationabilem, acceptabilemque facere digneris;* alii autem dicunt tertiam crucem ad *Ratam* lente et cum aliqua pausa esse formandam, ita ut post tertiam crucem manus non jungantur, et immediate crux super hostiam formari possit. Si itaque sacerdos jungat manus

(1) Bona rer. lit. l. 2, c. 12, n. 3; Bened. XIV de sac. m. s. 1, § 237; sed vid. acta sanctorum tom. 7, mense Septembri, ubi pluribus rationibus probatur, illos esse martyres in Arabia, qui coluntur 27 Sept. Kersten, *Journal hist.* tom. 18, p. 393.

(2) S. R. C. 4 Aug. 1663, n. 1275, 5.

Digitized by Google

post tertiam crucem, tunc sinistra super altare reposita; si autem non jungat manus, tunc ea super altari remanente, dicens *Corpus* signat semel super hostiam tantum, et dicens *Sanguis* semel super calicem tantum (1). Deinde manus jungit ante pectus, junctisque manibus continuat *Fiat dilectissimi* etc. caput profunde inclinans cruci, dum dicit *Jesu Christi.*

CONSECRATIO HOSTIÆ.

Rub. *Elevans et jungens manus ante pectus, prosequitur* Fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi, *et inclinans caput Cruci, extergit, si opus fuerit, pollices et indices super corporale, et dicit secreto, ut prius,* Qui pridie quam pateretur : *et accipiens pollice et indice dextræ manus Hostiam, et eam cum illis, ac indice et pollice sinistræ manus tenens, stans erectus ante medium altaris, dicit* Accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, *elevansque ad cœlum oculos, et statim demittens, dicit* Et elevatis oculis in cœlum ad te Deum Patrem suum omnipotentem, *caputque aliquantulum inclinans, dicit* Tibi gratias agens, *et tenens Hostiam inter pollicem et indicem sinistræ manus, dextra producit signum Crucis super eam, dicens* Bene † dixit, fregit, deditque discipulis suis, dicens : accipite, et manducate ex hoc omnes.

5. *Si adsit vas cum aliis Hostiis consecrandis, antequam accipiat Hostiam, discooperit manu dextra Calicem, seu vas aliarum Hostiarum. Cum autem finierit supradicta verba, cubitis super Altare positis, stans capite inclinato, distincte, reverenter, et secreto profert verba consecrationis super Hostiam, et simul super omnes, si plures sint consecrandæ, et Hostiam suam pollicibus et indicibus tantum tenens, dicit :* Hoc est enim Corpus meum. *Quibus prolatis, Celebrans tenens Hostiam inter pollices et indices prædictos super Altare, reliquis manuum digitis extensis, et simul junctis*

(1) Vid. n. 131 et 133.

Digitized by Google

(et Hostiis, si plures sint consecratæ, in loco, in quo a principio Missæ positæ sunt, super corporale, vel in alio vase, aut Calice dimissis) genuflexus eam adorat. Tunc se erigens, quantum commode potest, elevat in altum Hostiam, et intentis in eam oculis (quod et in elevatione Calicis facit), populo reverenter ostendit adorandam : et mox sola manu dextra ipsam reverenter reponit super corporale in eodem loco, unde eam levavit, et deinceps pollices et indices non disjungit, nisi quando Hostiam consecratam tangere vel tractare debet, usque ad ablutionem digitorum post Communionem.

6. *Reposita Hostia consecrata super corporale, genuflexus ipsam veneratur : si adsit vas aliarum Hostiarum, Patena vel Palla cooperit ut supra. Interim dum Celebrans elevat Hostiam, accenso prius intorticio (quod non extinguitur, nisi postquam Sacerdos Sanguinem sumpserit, vel alios communicaverit, si qui erunt communicandi in Missa), Minister manu sinistra elevat fimbrias posteriores Planetæ, ne ipsum Celebrantem impediat in elevatione brachiorum; quod et facit in elevatione Calicis, et manu dextra pulsat campanulam ter ad unamquamque elevationem, vel continuate quousque Sacerdos deponat Hostiam super Corporale, et similiter postmodum ad elevationem Calicis.*

---

247. Sacerdos recitatis verbis *Fiat dilectissimi Filii tui D. N. J. C.* lectionem interrumpere nequit ad renovandam intentionem, sed eam prosequi debet, ut cum prædictis verba sequentia *Qui pridie* connectantur, quantum fieri potest (1). Prædictis verbis dictis (2), si hostiæ minores sint

(1) Vid. s. Alph. de Ligorio de cærem. m. c. 9, n. 13.

(2) Si calix impediat, quominus verba consecrationis in tabella legi possint, plures in his locis eumdem ante consecrationem hostiæ removent versus cornu epistolæ vel evangelii. Cum rubricæ nihil de eo notent, hoc iisdem conforme dici non debet. Præstaret adhibere calicem non nimis altum, et verba consecrationis imprimi in superiori parte tabellæ, ubi imago communiter imprimitur, quæ inferius apponi posset; et ita verba consecrationis, non obstante positione calicis, commode legi possent.

Digitized by Google

consecrandæ in pyxide vel calice cooperto, eumdem discooperire debet, cooperculum ponendo extra corporale (quamvis hostiæ valide consecrentur, si vas non discooperiatur). Tum dicens *Qui pridie quam pateretur*, extremitates pollicis et indicis utriusque manus quibus sacra Hostia tangenda est, extergit, si opus sit, a minimo pulvere adhærente, super corporale, non in medio, sed super utramque extremitatem lateralem anterioris plicaturæ. Deinde dicens *Accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas*, accipit hostiam hoc modo : indice sinistro premit extremitatem hostiæ a parte evangelii contra altare, hostiamque sic ab altera parte elevatam accipit inter pollicem et indicem dextræ manus; sic hostiam tenens, eamdem ad inferiorem ejus extremitatem seu ad pedes Crucifixi hostiæ impressi mox accipit extremitate pollicis et indicis sinistræ manus, statimque etiam accipit ad eamdem extremitatem extremitate pollicis et indicis dextræ manus, ita ut pollices et indices utriusque manus se attingant, et digiti utriusque manus infra hostiam extensi et juncti sint a sua extremitate usque ad pulsum. Qui modus hostiam tenendi, infra consecrationem, genuflexionem et elevationem servandus est. Sic igitur utraque manu super mediam partem anterioris plicaturæ corporalis tenens hostiam erectam, non quasi jacentem, prope corporale, ipsum tamen corporale manibus non tangens, dicit *Et elevatis oculis in cœlum ad te Deum Patrem suum omnipotentem*, interim oculos ad crucem elevans, et elevatos tenens : quibus verbis dictis oculos statim demittit et dicens *Tibi gratias agens*, caput profunde inclinat. Tum dextram ab hostia removens, eamque tenens inter pollicem et indicem solius manus sinistræ, eaque sinistra super corporale circa extremitatem mediæ partis anterioris plicaturæ deposita, non autem in medio plicaturæ, ne sacræ particulæ forte relictæ manibus adhæreant, dextra facit signum crucis super hostiam, dicens *Benedixit*. Hæc crux formatur unitis et extensis omnibus dextræ digitis, etiam pollice et indice. Facta cruce, accipit hostiam etiam pollice et indice dextræ manus ut prius, et cubitos super altare ponit, ut mox dicetur, interim

Digitized by Google

prosequens *Fregit, deditque discipulis suis, dicens : accipite et manducate ex hoc omnes.* Cum finierit hæc verba, cubitis super altare et etiam super laterales corporalis plicaturas positis, sed sine ulla manuum disjunctione, ita ut manus junctæ ab extremitate digitorum usque ad pulsum, pollicibus et indicibus hostiam tenentibus, teneantur super media plicatura anterioris partis corporalis, corporale tamen nullatenus tangant; et capite profunde inclinato, statim profert verba consecrationis : *Hoc est enim Corpus meum,* super hostiam, et simul super omnes, si plures sint consecrandæ. Verbis consecrationis prolatis, sacerdos caput erigit, cubitos ab altari removet, ponitque manus sacram Hostiam eodem modo tenentes super extremitatem anteriorem mediæ plicaturæ corporalis, ita ut pollices et indices cum sacra Hostia intra corporale maneant, ne particulæ forte adhærentes deperdantur; tum unico genu flectit usque ad terram, adorans sacram Hostiam. Erectus elevat in altum, quantum commode potest, sacram Hostiam linea recta, non ad dextram neque ad sinistram partem, non super caput suum neque super calicem, sed super plicaturam corporalis, unde eam levavit; et oculis toto elevationis et demissionis tempore in eam intentis, populo reverenter ostendit adorandam : adeoque eam ita elevare debet, ut capitis verticem aliquatenus excedat, et a populo videri possit : dum autem sacram Hostiam per brevissimum tempus seu aliquod instans, ut patet ex verbis *ostendit adorandam,* in ultimo termino elevationis sustinuit, mox eam eadem linea recta et utraque manu demittit. Dum s. Hostia est prope corporale, retrahit ab ea sinistram, hancque indice et pollice junctis manentibus ponit super corporale, ut dictum est n. 138; et sola dextra s. Hostiam reponit in medium mediæ plicaturæ anterioris partis corporalis, unde eam levavit : tum dextra etiam eodem modo ac sinistra super corporale posita, unico genu flectit; mox erectus, si adsit vas, in quo aliæ hostiæ minores consecratæ sunt, illud patena vel palla, aut cooperculo proprio cooperit.

248. Not. 1. sub consecratione juxta rubricas solum caput esse inclinandum, et non humeros : cum autem id vix

Digitized by Google

fieri possit, dum cubiti super altare pouuntur, nisi altare sit valde altum; plures dicunt vel etiam humeros esse inclinandos (1), vel cubitos non integros ad nodum usque, sed medios tantum altari esse imponendos, ut ita sola capitis inclinatio fieri possit (2).

2. Genuflexionem faciendam esse sine capitis inclinatione, et abstinendum esse ab osculo s. Hostiæ.

3. Cavendum esse sacerdoti, ne s. Hostiam aut Calicem in elevatione ferat extra limites corporalis, aut super caput suum inclinet, aut Hostiam super Calicem et Calicem super Hostiam elevet.

4. Attendendum, ne manipulus in elevatione s. Hostiæ sacras reliquias in corporali forte relictas, aut in elevatione Calicis ipsam sacram Hostiam excutiat. Hoc in elevatione Calicis præcaveri potest, eumdem super mediam plicaturam corporalis linea recta elevando; quo facto manipulus longius a corpore removetur.

5. Pedes infra consecrationem juxta se invicem, et æqualiter in suppedaneo altaris retinendos esse, non dextro ultra sinistrum reverentiæ causa quasi deflexo.

6. Pollices et indices post consecrationem hostiæ usque ad ablutionem digitorum non disjungi, nisi hostia tangenda vel tractanda sit.

249. Quomodo verba consecrationis proferenda sunt?

R. Juxta rubricas hujus tit. n. 5 et 7, attente, continuate, distincte, reverenter et secreto. Adeoque :

1. Attente : verba enim sanctissima præ cæteris majorem attentionem merentur.

2. Continuate : quæ continuatio duplex est : 1° quoad verba consecrationis, quæ proferenda sunt unico tractu, et non respirando inter quodlibet verbum, dicendo *hoc* et deinde post morulam *est* et sic deinceps; 2° quoad verba præcedentia *Manducate ex hoc omnes*, aut *Bibite ex eo omnes;* post quæ immediate verba consecrationis subjungenda sunt, ne tollatur connexio verborum.

(1) Merati p. 2, tit. 8, n. 20.
(2) Lohner p. 6, tit. 8, rub. 5, v.

Digitized by Google

3. Distincte, absque ulla elisione et mutilatione.

4. Reverenter, omni cum devotione interiori et exteriori; unde : 1° sine nimia aspiratione et anxietate; inordinata enim et etiam ridicula est praxis eorum, qui magno nisu replent pulmones et os copioso aere, quem postea explodunt gravi cum impetu ad formanda consecrationis verba; 2° cavendum est sacerdoti, ne caput moveat, aut contorqueat; 3° ipsi attendendum est, ne afflet super hostiam aut in calicem, et ne os proxime admoveat, ut habitum quasi inspiret; quapropter os medio circiter pede ab hostia aut calice consecrando distare debet.

5. Secreto, ut sacerdos seipsum audiat per auditum etiam exteriorem, et a circumstantibus non audiatur, ut dictum est n. 105.

6. Item proferenda sunt non solum narrative, sed et assertive : quia sacerdos non tantum narrat Christum per ea verba consecrasse, sed ipse etiam tanquam minister secundarius iisdem verbis consecrat. Unde non tantum narrative, seu recitative, historice aut materialiter, prout præ se fert narrationis series, sed et assertive seu significative proferenda sunt; scilicet sacerdos, induendo personam Christi, applicando verborum significationem ad materiam præsentem, de ea affirmando dicere debet : *Hoc est* etc. (1). Notandum tamen, non esse scrupulose laborandum, ut verba in sensu assertivo proferantur : eo enim ipso, quo habetur voluntas consecrandi, implicita et sufficiens habetur voluntas verba proferendi in sensu assertivo.

Not. duplicem defectum quoad formam consecrationis vitandum esse, scilicet nimis parvæ, et nimis anxiæ attentionis : prior pejor est; non minus tamen vitandus est alter, qui scrupulos generat; quapropter securus esse debet, qui verba profert eo modo, quo quis devote alias orationes vocales recitare solet; aliud enim non præscribitur nec exigitur.

(1) Vid. Bened. XIV, de sac. m. sect. 1, n. 250 et seq., et Quarti p. 3, tit. 5, sect. 1, dub. 6.

Digitized by Google

250. Quid infra et post consecrationem observandum est quoad hostias minores, quæ in missa consecrantur?

R. Hostiæ minores in loco, in quo a principio missæ positæ sunt super corporale, vel in ciborio, aut in alio calice demittendæ et relinquendæ sunt infra consecrationem et usque ad communionem, ut in rubricis præscribitur hoc tit. VIII, n. 5. Si hostiæ in pyxide clausa aut tecta contineantur, hæc ante extersionem digitorum, antequam sacerdos hostiam consecrandam accipiat, discooperiri debet, et post elevationem hostiæ et factam genuflexionem cooperiri, ut supra dictum est. Illæ hostiæ consecratæ non sunt elevandæ, neque super has crucisignationes aliique ritus infra missam fieri debent, sed solum super calicem et majorem sacrificii hostiam : pertinent tamen ad idem sacrificium, omnesque ritus ad eas extenduntur; unde in eodem loco, in quo consecratæ vel a principio positæ sunt, etiam post consecrationem relinquendæ sunt, et non nisi post sumptionem in tabernaculum inferri, et populo communicaturo distribui possunt, nisi adsit necessitas mox communicandi infirmum, aut statim expediendi populi communionem (1).

251. Minister, ut supra in rubricis dicitur, tempore consecrationis tria facere debet : 1° prius accendere intorticium, cujus tamen non datur obligatio, 2° elevare casulam, et 3° pulsare campanulam, vel ter ad unamquamque elevationem, 1° dum celebrans genuflectit, 2° dum elevat s. Hostiam aut Calicem, et 3° dum deponit; vel continuo a genuflexione celebrantis, donec s. Hostiam aut Calicem deponit. Campanula hic etiam communiter pulsari solet ante consecrationem, dum celebrans infra orationem *Quam oblationem* signat oblata, ut pars principalis missæ adstantibus tempestive innotescat.

(1) Merati p. 2, tit. 8, n. 25; Quarti ibidem s. 1, dub. 8; Cavalieri t. 4, dec. 64, n. 5 et 6; Busemb. apud s. Alph. de Ligorio l. 6, n. 373.

Digitized by Google

CONSECRATIO CALICIS.

Rub. 7. *Celebrans adorato Sacramento surgit, et discooperit Calicem, in quem, si opus sit, extergit digitos, quod semper faciat, si aliquod fragmentum digitis adhæreat, et stans erectus dicit* Simili modo postquam cœnatum est, *et ambabus manibus accipiens Calicem juxta nodum infra cuppam, et aliquantum illum elevans, ac statim deponens, dicit :* Accipiens et hunc præclarum Calicem in sanctas ac venerabiles manus suas *etc.; cum dicit :* Item tibi gratias agens, *caput inclinat; cum dicit :* Benedixit, *sinistra Calicem infra cuppam tenens, dextra signat super eum; et prosequens* Deditque discipulis suis *etc. et ambabus manibus tenens Calicem, videlicet sinistra pedem, dextra nodum infra cuppam, cubitis super Altare positis, et capite inclinato, profert attente, continuate, et secreto ut supra, verba Consecrationis Sanguinis :* Hic est enim Calix *etc. Quibus dictis, reponit Calicem super Corporale, dicens secreto* Hæc quotiescumque feceritis, *etc. genuflexus Sanguinem reverenter adorat. Tum se erigit, et accipiens Calicem discoopertum cum Sanguine ambabus manibus, ut prius, elevat eum, et erectum, quantum commode potest, ostendit populo adorandum : mox ipsum reverenter reponit super Corporale in locum pristinum, et manu dextra Palla cooperit, ac genuflexus Sacramentum veneratur.*

---

252. Cum sacerdos post elevationem s. Hostiæ a genuflexione surrexerit, ac pyxidem, si adsit, cooperuerit; deponit manum sinistram super pedem calicis, sic nempe, ut pollice et indice junctis manentibus, pedem tantum tangat cum extremitate trium ultimorum digitorum; et dextra inter indicem pollici junctum et tres reliquos digitos accipit pallam de calice, eamque sicut ad offertorium, ponit super velum calicis vel contra tabellam versus cornu epistolæ, ita tamen, ut lectionem formæ consecrationis non impediat. Tum indices et pollices utriusque manus a fragmentis hostiæ,

Digitized by Google

si opus sit, super calicem extergit, non fricando quidem, sed contra se invicem movendo, ut, si aliquod fragmentum adhæreat, in calicem decidat, interim dicens *Simili modo postquam cœnatum est;* deinde prosequens *Accipiens et hunc præclarum Calicem in sanctas ac venerabiles manus suas,* ambabus manibus inter indicem pollici junctum et reliquos digitos accipit calicem juxta nodum infra cuppam, dextra scilicet supra et sinistra infra nodum, eumque aliquantulum seu per quatuor circiter digitos ab altari elevat, ac statim deponit. Reposito calice, eumque eodem modo tenens, dicens *Tibi gratias agens,* caput non cruci sed s. Hostiæ profunde inclinat. Tum dicens *Benedixit,* sinistra calicem eodem modo retinens, dextra super eum signat; et continuans *Deditque discipulis suis* etc. interea ambabus manibus accipit calicem, dextra scilicet ad nodum et sinistra ad pedem, ita ut index et pollex juncti sint supra et tres alii digiti infra pedem, eumdem parum super corporale elevat, parumque ad se inclinatum tenet (1); dictis illis verbis usque ad *Bibite ex eo omnes,* modo prædicto calicem tenens, cubitis super altare positis, et capite profunde inclinato, statim subjungit verba consecrationis : *Hic est enim* etc. Verbis consecrationis integre prolatis usque ad *Remissionem peccatorum* inclusive et non prius, sacerdos reponit calicem super corporale in loco solito, et capite erecto ac utraque manu super corporale deposita, flectit unico genu, secreto interim dicens : *Hæc quotiescumque feceritis.* Erectus accipit calicem discoopertum ambabus manibus, dextra scilicet nodum et sinistra pedem, seu tribus ultimis digitis sinistræ manus pedem calicis sustinens; eumdem linea recta elevat, quantum commode potest, et populo ostendit adorandum, oculis toto tempore elevationis et demissionis in eum intentis : tam alte eum elevat, ut cuppa excedat altitudinem capitis; quod ordinarie obtinet, quando pes calicis elevatur usque ad oculos, aut oculos parum

(1) S. Alph. de Ligorio de cærem. missæ c. 9, n. 15, Cuppinus anno 1759 n. 12, aliique censent, calicem rectum tenendum esse, et non ad sacerdotem inclinatum.

Digitized by Google

excedit : in ultimo elevationis puncto eum per brevissimum tempus sustinet, ut videatur et adoretur a populo : tum mox illum eadem linea recta reverenter demittit, et super corporale in locum pristinum reponit; manuque sinistra super pedem calicis, ut supra dictum est, posita, dextra inter indicem pollici unitum et reliquos digitos accipit pallam, et eadem calicem cooperit. Tum manibus super corporale positis, genuflectit, Sacramentum veneraturus.

Notanda hic sunt eadem, quæ num. 248 quoad consecrationem hostiæ notata sunt; item sacerdotem digitos super Calicem semper extergere debere, si aliquod fragmentum iis adhæreat; et quidem laudabiliter id facere, quotiescumque s. Hostiam tetigerit, ne forte fragmentum adhæreat et deperdatur.

Titulus IX.

DE CANONE POST CONSECRATIONEM USQUE AD ORATIONEM DOMINICAM.

DE ORATIONIBUS UNDE ET MEMORES, SUPRA QUÆ PROPITIO, ET SUPPLICES.

Rub. 1. *Reposito Calice et adorato, Sacerdos stans ante Altare, extensis manibus ante pectus, dicit secreto :* Unde et memores *etc. Cum dicit* De tuis donis ac datis, *jungit manus ante pectus : et cum dicit* Hostiam † puram, Hostiam † sanctam, Hostiam † immaculatam, *manu sinistra posita super Altare intra Corporale, dextra signat ter communiter super Hostiam et Calicem, et semel super Hostiam tantum, et semel super Calicem tantum, dicens* Panem † sanctum vitæ æternæ, et Calicem † salutis perpetuæ : *deinde stans ut prius, extensis manibus prosequitur* Supra quæ propitio *etc. Cum dicit*

Digitized by Google

Supplices te rogamus *etc. inclinat se ante medium Altaris, manibus junctis super illo positis. Cum dicit* Ex hac altaris participatione, *osculatur Altare, manibus hinc inde super Corporale positis. Cum dicit* Sacrosanctum Filii tui, *jungit manus : et dextra signans semel super Hostiam tantum, et semel super Calicem, sinistra super Corporale posita, dicit* Cor † pus et San † guinem sumpserimus, *et cum dicit* Omni benedictione † cœlesti, *seipsum signat a fronte ad pectus signo Crucis, sinistra posita infra pectus, et prosequitur* Et gratia repleamur. *Cum dicit* Per eumdem, *jungit manus.*

---

253. *Unde et memores.* Sacerdos post elevationem calicis a genuflexione erectus, stans ante medium altaris, manus ante pectus extendit; manibus extensis, sed non prius, incipit et prosequitur *Unde et memores.* Dum dicit *De tuis donis ac datis,* jungit manus ante pectus, sic tamen ut pollices non ponantur super se invicem per modum crucis, ut ante consecrationem, sed pollices et indices sibi juncti maneant; et mox sinistra super altare intra corporale posita, dextra ter signat super hostiam et calicem simul, et deinde semel super hostiam et semel super calicem, ut supra in rubricis.

254. *Supra quæ propitio.* Sacerdos facta ultima signatione super calicem, non jungit manus, sed extendit ante pectus, et stans extensis manibus, recitat totam orationem *Supra quæ propitio* usque ad finem.

255. *Supplices te rogamus.* Finita totaliter oratione *Supra quæ propitio,* sacerdos manibus junctis, et super altare positis, corpore profunde inclinato, incipit et recitat orationem *Supplices* memoriter, ne caput indecore elevet ad legendum. Dum dicit *Ex hac Altaris participatione,* manibus hinc inde super corporale extensis et positis juxta mediam corporalis plicaturam, osculatur altare in medio ante s. Hostiam; statimque se erigens, jungit manus ante pectus, dicens *Sacrosanctum Filii tui;* et sinistra mox super corporale posita, dextra semel signat super hostiam tantum,

Digitized by Google

dicens *Cor † pus*, et semel super calicem tantum, dicens *San † guinem sumpserimus :* tum sinistra infra pectus posita, ita ut pollex et index uniti maneant, et corpus non tangant, dextra seipsum signat tribus ultimis digitis, ita ut indice et pollice junctis partes signandas non tangat; dicens, dum tangit frontem *Omni benedictione*, pectus *cælesti*, humerum sinistrum *et gratia*, et dextrum *repleamur* (1). Deinde dicens *Per eumdem* etc. jungit manus ante pectus, sed absque capitis inclinatione.

MEMENTO DEFUNCTORUM.

Rub. 2. *Cum dicit* Memento Domine famulorum famularumque tuarum, *extensis et junctis manibus ante pectus, et usque ad faciem elevatis, et intentis oculis ad Sacramentum super Altare, facit commemorationem fidelium Defunctorum, de quibus sibi videtur, eodem modo, ut dictum est de commemoratione vivorum. Qua commemoratione facta, stans ut prius, extensis manibus prosequitur* Ipsis Domine et omnibus in Christo *etc. et in fine ad* Per eumdem *jungit manus, et caput inclinat.*

---

256. Sacerdos stans junctis ante pectus manibus, dicit *Memento, Domine* etc. manus interim extendens et elevans usque ad humeros, easque jungens ante superiorem partem pectoris, ita ut manus incipiat extendere et elevare, dum incipit dicere *Memento*, et eas ita lente extendat et elevet, ut eas jungat (2), dum dicit *In somno pacis*, uti innuunt

(1) Cavalieri t. 5, c. 19, n. 12.

(2) Quidam censent manus linea recta esse extendendas, iterum linea recta ante pectus jungendas, et tum ad faciem elevandas, quia talis est sensus obvius harum rubricarum, quæ differunt ab illis tit. VIII, n. 3. Non videtur tamen distinguendum inter rubricas tit. VIII, n. 3, et has tit. IX, n. 2, tum quia hæ tit. IX, n. 2, manus extendendo, jungendo et simul elevando commode explicari possunt, tum quia rubricæ particulares in canone missæ eædem sunt.

Digitized by Google

rubricæ particulares in canone missæ, in quibus manus jungendæ præscribuntur ad *In somno pacis*. Manibus sic junctis ante superiorem partem pectoris, ita ut ad faciem seu mentum perveniant, faciem tamen non tangant, inclinato capite, ac intentis oculis ad sacram Hostiam super corporali positam, facit commemorationem fidelium defunctorum, de quibus sibi videtur, eodem modo ut dictum est num. 241, de commemoratione vivorum. Qua commemoratione facta, erecto capite, stans ut prius, extensis manibus prosequitur *Ipsis Domine* etc. usque ad *Per eumdem* etc. quæ verba dicens, manus jungit ante pectus, et caput profunde inclinat.

Not. 1. ex speciali rubricæ ordinatione hanc esse solam conclusionem, ad quam caput est inclinandum, licet in ea ss. nomen non exprimatur.

2. Supra dictum esse, caput infra commemorationem defunctorum esse inclinandum, licet rubricæ hanc inclinationem non præscribant; quia sicut caput juxta rubricas inclinatur infra commemorationem vivorum, sic etiam hic inclinandum esse videtur, ubi eadem est ratio; et quia celebrans habens manus junctas usque ad faciem elevatas, absque inclinatione capitis oculos in Sacramentum commode dirigere nequit, ita ut sub intentis oculis inclinatio capitis includatur.

3. Hæc verba *Memento Domine* etc. voce omnino secreta esse pronuntianda, sicut omnes orationes canonis, etsi quidam aliter faciant.

4. Litteras *N. et N.* in missali apponi ex antiquo ritu, nunc autem generaliter negligi, et memoriam defunctorum solummodo fieri post verba *In somno pacis*.

Præterea repetenda et notanda hic sunt eadem quæ n. 243 dicta sunt; hic solum addendum est : 1° quod licet sacerdos in commemoratione vivorum orare possit pro infidelibus, hæreticis, etc., in commemoratione tamen defunctorum ipsi orare non liceat nisi pro illis, quorum salus aliquatenus sperari potest : orando enim pro vivis, eis gratia impetrari potest, qua convertantur; in inferno autem nulla est redemptio. 2° Quod, ut commemoratio mortuorum juste et sine præjudicio fiat, sacerdos optime faciat primo loco memoriam

Digitized by Google

illius animæ, pro qua celebrat, secundo loco defunctorum consanguineorum et affinium illius animæ, et tertio loco propriorum parentum, consanguineorum aliorumque defunctorum. Si pro vivis celebret, convenit etiam primo loco facere memoriam defunctorum consanguineorum et affinium illius, ad cujus intentionem celebrat.

NOBIS QUOQUE PECCATORIBUS, ET PER QUEM, ETR.

Rub. 3. *Cum dicit* Nobis quoque peccatoribus *vocem aliquantulum elevat, et dextra manu pectus sibi percutit, sinistra posita super Corporale, et prosequitur secreto* Famulis tuis, *etc. stans manibus extensis, ut prius. Cum dicit* Per Christum Dominum nostrum; per quem hæc omnia Domine semper bona creas, *jungit manus ante pectus; deinde manu dextra ter signans communiter super Hostiam et Calicem, dicit :* Sancti † ficas, vivi † ficas, bene † dicis, et præstas nobis. *Postea discooperit manu dextra Calicem, et genuflexus Sacramentum adorat : tum se erigit, et reverenter accipit Hostiam inter pollicem et indicem dextræ manus, et cum ea super Calicem, quem manu sinistra tenet circa nodum infra cuppam, signat ter a labio ad labium, dicens :* Per † ipsum, et cum † ipso, et in † ipso. *Et similiter cum Hostia signat bis inter Calicem et pectus, incipiens a labio Calicis, et dicit :* Est tibi Deo Pa † tri omnipotenti, in unitate Spiritus † sancti. *Deinde tenens manu dextra Hostiam super Calicem, sinistra Calicem, elevat eum aliquantulum simul cum Hostia, dicens* Omnis honor et gloria, *et statim utrumque deponens, Hostiam collocat super Corporale, et, si opus sit, digitos extergit, ut supra; ac pollices et indices ut prius jungens, Calicem palla cooperit, et genuflexus Sacramentum adorat.*

---

257. *Nobis quoque peccatoribus.* Sacerdos capite erecto, voce media seu aliquantulum elata, dicit hæc tria verba

Digitized by Google

Nobis quoque peccatoribus, et interim, sinistra posita super corporale, dextra seu ejus tribus ultimis digitis pectus suum modeste, absque strepitu et sine inclinatione capitis percutit, cavens ne index et pollex disjungantur, aut casulam tangant (1). His tribus verbis dictis, extensis manibus secreto prosequitur *Famulis tuis* etc. usque ad finem. Si nominetur sanctus, cujus missa celebratur, aut in missa specialis fit commemoratio, caput sub isto nomine versus librum inclinat. In fine dum dicit *Per Christum Dominum nostrum*, jungit manus ante pectus, sed sine capitis inclinatione.

Joannes, qui nominatur in hac oratione, est Joannes Baptista; Stephanus protomartyr; Mathias apostolus; Barnabas apostolus, qui colitur 11 Junii; Ignatius 1 Februarii; Alexander pontifex 3 Maji; Marcellinus presbyter et Petrus exorcista 2 Junii; Felicitas et Perpetua 7 Martii; Agatha 5 Februarii; Lucia 13 Decembris; Agnes 21 et 28 Januarii; Cœcilia 22 Novembris; Anastasia 25 Decembris.

258. *Per quem hæc omnia* etc. Sacerdos junctas manus ante pectus retinens, legit *Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas :* tum sinistra super corporale posita, dextra ter signat super hostiam et calicem simul, dicens *Sancti † ficas, vivi † ficas, bene † dicis, et præstas nobis.* Postea sinistra super pedem calicis posita, dextra inter indicem pollici unitum et reliquos digitos accipit pallam, eamque more solito deponit; tum depositis manibus super corporale, flectit unico genu; statim erectus, indice sinistro premit sacram Hostiam ex parte cornu evangelii contra altare, eamque ex altera parte elevatam, accipit inter pollicem et indicem dextræ manus; tum sinistra accipit calicem ad nodum, et dextra transfert sacram Hostiam super calicem, eamque non inclinatam, sed rectam tenens, cum eadem tres cruces efformat super calicem, dicens *Per † ipsum, et cum † ipso, et in † ipso.* Hæ cruces cum s. Hostia fiunt non intra sed super calicem in æquali altitudine et magnitudine, a labio ad labium, ita tamen ut s. Hostia labia calicis non

(1) Vid. n. 142.

Digitized by Google

tangat : item fiunt non solis pollice et indice, reliqua manu calici adhærente, sed motu totius manus calicem non tangentis.

Similiter eodem modo sinistra calicem ad nodum et dextra s. Hostiam retinens, cum eadem s. Hostia duas alias 'cruces facit inter calicem et pectus, dicens *Est tibi Deo Pa † tri omnipotenti, in unitate Spiritus † sancti,* quarum prima linea ducitur cum s. Hostia a labio exteriori calicis versus corpus celebrantis, et reducta s. Hostia ad medium primæ lineæ factæ, secunda a cornu evangelii versus cornu epistolæ, ita ut medium inter calicem et pectus celebrantis sit medium crucis faciendæ : hæ duæ cruces fiunt non descendendo versus pedem calicis, sed in eadem altitudine, ac tres cruces super calicem; et licet lineæ majores et longiores esse possint, minime tamen extra mediam plicaturam anterioris partis corporalis, aut super brachium sinistrum duci possunt : utraque etiam linea, recta et transversa, æqualis et æquæ longa esse debet.

Factis istis duabus crucibus, sacerdos sinistra calicem ad nodum retinens, dextra defert s. Hostiam linea recta super calicem, super quem s. Hostiam eodem modo rectam tenens, calicem simul cum s. Hostia sinistra aliquantulum seu per quatuor circiter digitos ab altari elevat, interim secreto dicens *Omnis honor et gloria,* non incurvando pedem calicis, nec caput suum inclinando : mox autem deponit calicem, quem sinistra tenere pergit, et sacram Hostiam collocat in locum suum super corporale. Tum si opus sit, pollices et indices utriusque manus super calicem extergit, eosque sibi invicem statim jungens, ponit sinistram super pedem calicis, et dextra eumdem palla cooperit, ac utraque manu super corporale posita, flectit unico genu, et statim surgit.

Digitized by Google

Titulus X.

DE ORATIONE DOMINICA ET ALIIS USQUE AD FACTAM COMMUNIONEM.

DE ORATIONE DOMINICA ET LIBERA NOS.

Rub. 1. *Celebrans, cooperto Calice adoratoque Sacramento, erigit se, et manibus extensis hinc inde super Altare intra Corporale positis. dicit intelligibili voce.* Per omnia sæcula sæculorum, *et cum dicit* Oremus, *jungit manus, caput Sacramento inclinans. Cum incipit* Pater noster, *extendit manus, et stans oculis ad Sacramentum intentis, prosequitur usque ad finem. Responso a minister* Sed libera nos a malo, *et a Celebrante submissa voce* Amen, *manus dextra, pollice et indice non disjunctis, Patenam aliquantulum purificatorio extergens, eam accipit inter indicem et medium digitos, quam tenens super Altare erectam, sinistra super Corporale posita, dicit secreto* Libera nos quæsumus, *etc.*

2. *Antequam Celebrans dicat,* Da propitius pacem, *levat manu dextra Patenam de Altari, et seipsum cum ea signat signo Crucis, dicens :* Da propitius pacem in diebus nostris. *Cum signat se, manum sinistram ponit infra pectus : deinde deinde Patenam ipsam osculatur, et prosequens* Ut ope misericordiæ tuæ *etc. submittit Patenam Hostiæ, quam indice sinistro accommodat super Patenam, discooperit Calicem, et genuflexus Sacramentum adorat.*

---

259. Sacerdos a genuflexione erectus, ut dictum est in fine num. præc., alta et intelligibili voce dicit *Per omnia* et

Digitized by Google

quæ sequuntur usque ad finem orationis dominicæ : dum dicit *Per omnia sæcula sæculorum*, manus sicut infra genuflexionem, hinc inde extensas et super corporale positas retinet. Responso *Amen*, dicit *Oremus*, manus sub hac voce ab altari elevando, easdem jungendo ante pectus, et caput ss. Sacramento profunde inclinando : deinde stans erectus et manibus ante pectus junctis, prosequitur *Præceptis salutaribus* etc. usque ad *Pater noster;* quæ verba dum incipit, extendit manus ante pectus, iisque extensis ac oculis ad s. Hostiam intentis recitat orationem dominicam usque ad finem. Responso a ministro *Sed libera nos a malo*, sacerdos extensis adhuc manibus, secreta voce subjungit *Amen*.

Postquam sacerdos dixerit *Amen*, tunc tantum et non prius, dextra manu, pollice et indice non disjunctis, patenam aliquantulum purificatorio extergit, interea nihil dicens : scilicet sacerdos patenam, purificatorio super eamdem remanente, totaliter extrahit extra corporale versus cornu epistolæ, et patenam ibidem super altare extra corporale positam sinistra aliqualiter tenens, seu potius sinistram ei admovens, ne eam extra altare excutiat, dextra purificatorium inter tres ultimos digitos tenens, concavam partem patenæ totaliter extergit et purificat : quo facto ponit purificatorium juxta corporale ut prius. Deinde ponit sinistram more solito super corporale, et dextra accipit patenam inter indicem pollici junctum et reliquos digitos, eamque ponit et tenet non super corporale, sed juxta illud super altare erectam, sic ut pars concava patenæ respiciat sacram Hostiam, et dextra manus sit super patenam elevata. Manibus sic positis secreto incipit et recitat *Libera nos* usque ad *Da propitius* exclusive, caput versus librum inclinans ad nomen Mariæ, item ad nomina apostolorum qui exprimuntur, si illorum fiat festum vel specialis commemoratio.

Not. circa extersionem patenæ : 1. eam securius et facilius extergi super altare positam, sinistra ei admota, ut supra dictum est, quam si ipsa ab altari elevata sinistra manu teneatur; rubricas autem non obstare, quæ simpliciter dicunt, extersionem manu dextra fieri. 2. Extersionem extra cor-

Digitized by Google

porale esse faciendam, ut hoc ab omni pulvere præservetur. 3. Quosdam, ut patenam extergant, simpliciter manum sinistram premere super purificatorium, sicque patenam extrahere : qui modus quidem sufficiens videtur extersioni patenæ, sed non dispositioni rubricarum, quæ præscribunt, ut extersio fiat manu dextra. 4. Patenam tantum aliquantulum juxta rubricas extergendam esse, ut sufficiat fini extersionis, et ne patenæ deauratio tollatur.

Celebrans, antequam dicat *Da propitius pacem,* ponit sinistram infra pectus, ut dictum est n. 255, et dextra cum patena seipsum signat, cum eadem physice tangendo partes signandas dicens ad frontem *Da propitius,* ad pectus *pacem,* ad humerum sinistrum *in diebus,* et ad dextrum *nostris.* Tum, facta cruce, nihil dicens, patenam osculatur in superiori ejus extremitate seu ora, ut congruentius fit (1), non autem in ea parte, per quam transitura est s. Hostia. Post osculum patenæ secreto prosequens *ut ope misericordiæ tuæ* usque ad *perturbatione securi,* indice sinistro premit s. Hostiam ex parte cornu evangelii, ut ab altera parte parum elevetur, et dextra ab hac parte epistolæ submittit patenam s. Hostiæ (non autem s. Hostiam inducit super patenam); sic tamen ut inferior pars patenæ non tangat locum, ubi s. Hostia jacuit; et indice sinistræ manus s. Hostiam super patenam accommodat. Cum rubricæ aliud non præscribant, quam ut sacerdos submittat patenam s. Hostiæ, et eam indice sinistro super patenam accommodet, inde varii hoc faciendi modi traduntur et servantur : modus autem convenientior videtur, ut scilicet sacerdos patenam s. Hostiæ submittat ex parte cornu epistolæ; Hostiamque indice sinistro accommodet super mediam patenam vel circa extremitatem patenæ, ut s. Hostia facilius accipi possit; tum patenam, s. Hostia ei imposita, parum e medio corporalis removeat versus cornu epistolæ, ne patena locum, in quo s. Hostia posita fuit, attingat, et sacræ particulæ inferiori parti patenæ adhæreant. Alii dicunt patenam in medio cor-

(1) S. R. C. 24 Jul. 1625, n. 1711, 5.

Digitized by Google

poralis esse collocandam, et ad dictum periculum præcavendum, eamdem parum esse elevandam super pedem calicis.

Deinde ponit sinistram super pedem calicis, et dextra eum discooperit; tum depositis manibus super corporale, flectit unico genu, et statim surgit.

Not. orationem *ut opɛ misericordiæ* lente prosequendam esse infra submissionem patenæ, detectionem calicis et genuflexionem, ne conclusio sub tractione s. Hostiæ dicenda, nimis separetur.

DE FRACTIONE S. HOSTIÆ ET COMMIXTIONE PARTICULÆ CUM S. SANGUINE.

Rub. *Submittit Patenam Hostiæ, quam indice sinistro accommodat super Patenam, discooperit Calicem, et genuflexus Sacramentum adorat : tum se erigens, accipit Hostiam inter pollicem et indicem dextræ manus, et cum illis, ac pollice et indice sinistræ manus eam super Calicem tenens, reverenter frangit per medium, dicens :* Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, *et mediam partem, quam inter pollicem et indicem dextræ manus tenet, ponit super Patenam : de alia media, quam sinistra manu tenet, frangit cum pollice et indice dextræ manus particulam, prosequens* Qui tecum vivit et regnat *etc. et eam inter ipsos dextræ manus pollicem et indicem retinens, partem majorem, quam sinistra dicens* In unitate Spiritus sancti Deus : *et particulam Hostiæ, quam in dextra manu retinuit, tenens super Calicem, quem sinistra per nodum infra cuppam retinet, intelligibili voce dicit* Per omnia sæcula sæculorum. R. Amen; *et cum ipsa particula signans ter a labia ad labium Calicis, dicit :* Pax Domini sit semper vobiscum. *Responso per ministrum* Et cum spiritu tuo, *particulam, quam dextra manu tenet, immittit in Calicem, dicens secreto :* Hæc commixtio et consecratio Corporis *etc. Deinde pollices et indices super Calicem aliquantulum tergit, et jungit, Calicem palla*

Digitized by Google

cooperit, et genuflexus Sacramentum adorat, surgit, et stans junctis manibus etc. (vid. num. seq.).

---

260. *Fractio s. Hostiæ.* Sacerdos a genuflexione erectus, ut num. præc. dictum est, indice sinistro vel dextro ducit s. Hostiam versus medium corporalis ad extremitatem patenæ, si ibi ab initio posita non fuerit; indice sinistro premit ejusdem partem lateralem, eamque ab altera parte elevatam accipit inter pollicem et indicem dextræ manus; tum sola dextra eam elevat super calicem, et ibidem eam similiter ab altera parte laterali accipit inter policem et indicem sinistræ manus; sicque eam super calicem utraque manu tenens, eam reverenter frangit per medium seu in duas partes, quantum fieri potest, æquales; et mediam partem, quam inter pollicem et indicem dextræ manus tenet, ponit in medium patenæ, interea sub acceptione, fractione et positione mediæ partis s. Hostiæ super patenam dicens *Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum,* ad *Jesum Christum* caput inclinans : et prosequens *Qui tecum vivit et regnat,* de alia media parte, quam sinistra super calicem tenet, frangit cum pollice et indice dextræ manus particulam in parte ejus inferiori (1), eamque particulam inter pollicem et indicem dextræ retinens, dicens *In unitate Spiritus sancti Deus,* partem majorem, quam sinistra tenet, adjungit parti mediæ, super patenam positæ, sic ut hostia appareat rotunda.

Not. circa fractionem s. Hostiæ : 1. hanc magna cum attentione faciendam esse, ne celebrans præcipitanter agens, sacras particulas extra calicem aut etiam extra corporale emittat.

2. Ad facilitandam hanc fractionem non convenire, lineas fractionis cum patena ducere super s. Hostiam consecratam, tum propter quamdam in hoc indecentiam, tum quia extremitate patenæ quædam s. Hostiæ fragmenta tolli possunt.

(1) S. R. C. 4 Aug. 1663, n. 1275, 6.

Digitized by Google

3. Plures, dum ante missam præparant calicem, ducere lineas fractionis cum patena super hostiam in palla positam, quia sic commodius et securius frangitur, et partes ab invicem nitidius separantur. Circa hanc autem praxim ulterius notandum est : 1° de ea nihil in rubricis haberi; 2° eas lineas valde tenues esse debere, ne adstantibus appareant, et ne s. Hostia tempore sacrificii in duas partes abeat; 3° medium aptius et securius esse, si hostiarum confectores lineas fractionis in laminis ferreis imprimi curent.

4. Si lineæ non sint factæ, commodum modum hostiam in duas partes æquales frangendi esse, ut in suprema, media et infima parte medietatis hostiæ prius fiat modica fractio, et deinde tota hostia frangatur, incipiendo a parte superiori.

5. Rubricas non exprimere, quanta esse debeat particula in calicem mittenda; parvam tamen, et multo minorem esse debere illa parte, de qua frangitur; quia rubricæ hanc partem, de qua frangitur, vocant majorem et vox *particula* parvitatem denotat : ita ut dici possit, particulam tertia parte medietatis hostiæ majorem esse non debere, et non tantum tertiam, sed et quartam et etiam minorem partem medietatis hostiæ sufficere.

261. *Commixtio particulæ in calice.* Sacerdos, majori hostiæ parte, de qua fregit particulam, super patenam posita, sinistra calicem ad nodum accipit ac tenet; et dextra particulam s. Hóstiæ super calicem retinens, alta voce dicit *Per omnia*, etc.; et responso *Amen*, dextra cum particula ter signat a labio ad labium calicis, interea alta voce dicens ad primam crucem *Pax* † *Domini*, ad secundam *sit* † *semper*, et ad tertiam *vobis* † *cum*. Hæ signationes seu cruces fieri debent non solis pollice et indice, reliqua manu calici adhærente, sed motu totius manus calicem non tangentis; et ut verba rubricæ innuunt *a labio ad labium*, non super calicem, sed intra os calicis, sic tamen ut labia calicis non tangantur. Responso *Et cum spiritu tuo*, particulam quam dextra tenet, immittit in calicem prope ipsum labium a parte celebrantis, ut Sanguinem sumendo, facilius in os influat, interea secreto dicens *Hæc commixtio et consecratio* etc.,

Digitized by Google

caput inclinans ad *Jesu Christi.* Deinde hac oratione finita, sinistram, qua hucusque calicem ad nodum tenuit, transfert super calicem, ibidem pollices et indices utriusque manus extergit, et deinde jungit; quibus junctis, ponit sinistram super pedem calicis, eumdem palla cooperit, et manibus super corporale positis, genuflectit, et statim surgit.

AGNUS DEI ET TRES ORATIONES ANTE COMMUNIONEM.

Rub. *Surgit, et stans junctis manibus ante pectus, capite inclinato versus Sacramentum, dicit intelligibili voce* Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, *et dextra percutiens sibi pectus, sinistra super Corporale posita, dicit* Miserere nobis, *et deinde non jungit manus, sed iterum percutit sibi pectus, cum dicit secundo* Miserere nobis, *quod et tertio facit, cum dicit* Dona nobis pacem.

3. *Tunc manibus junctis supra Altare positis, oculisque ad Sacramentum intentis, inclinatus dicit secreto* Domine Jesu Christe *etc. Qua oratione finita, si est daturus pacem, osculatur Altare in medio, et instrumentum pacis ei porrectum a ministro juxta ipsum ad dextram, hoc est in cornu Epistolæ, genuflexo, et dicit* Pax tecum. *Minister respondet* Et cum spiritu tuo. *Si non adsit, qui hujusmodi instrumento pacem recipiat a Celebrante, pax non datur, etiamsi illius datio Missæ conveniat; nec osculatur Altare, sed dicta præmissa oratione, statim subjungit alias orationes, ut in Ordine Missæ.*

4. *Si vero celebret pro defunctis, non percutit pectus ad* Agnus Dei, *quia dicit* Dona eis requiem, *nec dicit primam orationem* Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis *etc.; non dat pacem, sed dicit alias duas sequentes orationes :* Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, *etc.* Perceptio Corporis tui *etc. Quibus orationibus dictis, genuflectens Sacramentum adorat, et se erigens etc.* (vid. num. seq.).

Digitized by Google

262. Sacerdos post commixtionem particulæ in calice, a genuflexione erectus, jungit manus ante pectus, sed non super altare ponit; et caput, non autem corpus profunde inclinat : sic junctis manibus et capite inclinato alta voce dicit *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,* et tum sinistra super altare posita, dextra seu ejus tribus ultimis digitis pectus sibi percutit, dicens *Miserere nobis;* deinde non jungens manus, repetit *Agnus Dei* etc. et dicens *Miserere nobis* iterum pectus percutit; tertio repetit similiter *Agnus Dei* etc. et dicens *Dona nobis pacem* pectus percutit, ut dictum est n. 142; dicto *Dona nobis pacem,* jungit manus, easque junctas super altare ponit, corpus mediocriter inclinat, et oculis ad Sacramentum intentis recitat tres orationes ante communionem. Adeoque post *Dona nobis pacem,* positio corporis mutanda est, et corpus mediocriter inclinandum, licet ad *Agnus Dei* solum caput inclinetur.

263. Juxta Rubricas supra n. 3, pax in missis privatis dari potest, exceptis missis de *Requiem;* communiter tamen dari non solet; et si detur, semper danda est cum instrumento, seu tabella, in qua alicujus sancti, ut B. M. V. seu patroni ecclesiæ, vel potius ss. Crucifixi imago depicta est. Ad dandam pacem, celebrans finita prima oratione post *Agnus Dei,* osculatur altare et deinde instrumentum ei porrectum a ministro genuflexo utroque genu in cornu epistolæ, dicens *Pax tecum :* minister cum responderit *Et cum spiritu tuo,* accepta pace surgit; et defert instrumentum prius abstersum ad alios, ut illud osculentur, nullam eis faciens reverentiam, nisi postquam osculati fuerint. Vid. *Praxis Pontificalis,* tom. 1, n. 204.

DOMINE NON SUM DIGNUS, ET SUMPTIO S. HOSTIÆ.

Rub. *Quibus orationibus dictis, genuflectens Sacramentum adorat, et se erigens dicit secreto :* Panem cœlestem accipiam *etc.; quo dicto, dextra manu accipit de Patena reverenter ambas partes Hostiæ, et collocat inter pollicem et indicem*

Digitized by Google

sinistræ manus, quibus Patenam inter eumdem indicem et medium digitos supponit, et eadem manu sinistra tenens partes hujusmodi super Patenam inter pectus et Calicem, parum inclinatus, dextra tribus vicibus percutit pectus suum, interim etiam tribus vicibus dicens, voce aliquantulum elevata, Domine non sum dignus; *et secreto prosequitur :* ut intres *etc. Quibus tertio dictis, ex sinistra accipit ambas partes prædictas Hostiæ inter pollicem et indicem dextræ manus, et cum illa supra Patenam signat seipsum signo Crucis, ita tamen, ut Hostia non egrediatur limites Patenæ, dicens :* Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam æternam. Amen : *et se inclinans, cubitis super Altare positis, reverenter easdem ambas partes sumit : quibus sumptis, deponit Patenam super Corporale, et erigens se, junctis indicibus et pollicibus, ambas quoque manus ante faciem jungit, et aliquantulum quiescit in meditatione sanctissimi Sacramenti. Deinde depositis manibus etc.* (Vid. num. seq.)

---

264. *Domine non sum dignus.* Oratione *Perceptio Corporis tui* etc. totaliter finita usque ad *sæculorum. Amen.* inclusive, et non prius, sacerdos se erigit, et utraque manu super corporale hinc inde posita, genuflectit; ac statim se erigit, interimque secreto dicit *Panem celestem accipiam* etc. quo dicto, et ipse erectus, pollice et indice dextræ manus reverenter accipit de patena ambas partes s. Hostiæ, easque ad illarum partes inferiores collocat inter pollicem et indicem sinistræ manus, sic ut una quasi hostia integra et rotunda appareat; et deinde patenam manu dextra ponit inter indicem et medium digitum sinistræ manus infra s. Hostiam. Juxta hunc hostiam accipiendi modum, quem rubricæ supra præscribunt, hostia prius quam patena accipienda est; quapropter sacerdos indice sinistro extremitatem s. Hostiæ parum ducere potest extra circumferentiam patenæ, si ita posita non sit, versus medium corporalis, et sinistra patenam etiam parum elevare, ut s. Hostiam indice et pollice

Digitized by Google

dextræ prius accipere possit : plures tamen hunc modum non servantes, prius patenam, s. Hostia ei adhuc imposita, utraque manu accipiunt, eamque ponunt inter indicem et medium digitum sinistræ manus; tum ambas partes s. Hostiæ ad extremitatem patenæ, si ibi non sint, versus medium corporalis ducentes, eas pollice et indice dextræ manus accipiunt, et collocant inter pollicem et indicem sinistræ manus. Manus sinistra s. Hostiam sic tenet super patenam inter pectus et calicem seu super mediam plicaturam anterioris partis corporalis, ubi s. Hostia posita fuit, ita tamen ut brachium super altare non collocetur, et manus sinistra corporale non attingat, ne particulas sacras forte ibi restantes attrahat; manum tamen non altius quam per quatuor circiter digitos ab altari elevet, ne impediat, quominus corpus mediocriter inclinare possit; tum corpore mediocriter inclinato versus medium altaris, tribus ultimis dextræ digitis ter percutit pectus suum, ut dictum est n. 142, tribus etiam vicibus, seu ad unamquamque percussionem, dicens voce media *Domine, non sum dignus,* secreto singulis vicibus prosequens : *ut intres sub tectum meum, sed* etc.

Not. 1. ad *Domine non sum dignus* etc. nec cubitum nec manum sinistram super altare aut corporale poni posse; 2. hæc verba esse dicenda facie versa ad altare, non semiversa ad populum; 3. pronuntianda esse non majori aspiratione quam alia, sed ea devotione, humilitate et fide, qua ab ipsomet Centurione dicta sunt.

265. *Sumptio s. Hostiæ.* Pectore tertia vice percusso, verbisque ter usque ad *anima mea* inclusive dictis, et non prius, sacerdos se erigit, et pollice ac indice dextræ manus ducit unam partem s. Hostiæ super alteram ad faciliorem illius sumptionem : tum ex sinistra ambas hostiæ partes super se invicem positas accipit ad partes inferiores inter pollicem et indicem dextræ manus; et sinistra patenam eodem modo ab altari elevatam tenens, eamdem tamen non movendo nec altius elevando, cum s. Hostia seipsum signat signo crucis super patenam, ita ut s. Hostia non egrediatur limites patenæ : adeoque crux ejusdem cum patena magni-

Digitized by Google

tudinis tantum esse potest, tam quoad lineam rectam quam quoad transversam. Cum sacerdos hac cruce seipsum signare debeat, ante pectus vel infra os formanda esse videtur : quapropter sacerdos, sinistra patenam per quatuor circiter digitos ab altari elevatam tenens, dextra s. Hostiam super patenam elevat ad superiorem partem pectoris, vel circiter ad mentum, dicens *Corpus Domini nostri,* moxque eam ad distantiam palmæ seu patenæ demittit, dicens *Jesu Christi,* et caput inclinans (1); erecto autem capite, s. Hostiam elevando reducit ad medium lineæ in ejus demissione factæ, eamque transfert ad suam sinistram, et a sua sinistra ad dextram, non tamen ultra limites patenæ, dicens *Custodiat animam meam* etc. Deinde corpore mox mediocriter inclinato, cubitis super altare positis, et sinistra patenam eodem loco super corporale elevatam tenente, ita ut semper sit infra s. Hostiam, statim sine alia oratione aut meditatione, aperiendo os, sine linguæ expositione, easdem ambas s. Hostiæ partes ponendo super linguam, reverenter sumit. Sumpta s. Hostia, deponit patenam versus cornu evangelii super extremam plicaturam anterioris partis corporalis, et si aliquod fragmentum s. Hostiæ pollicibus et indicibus forte adhæreat, eosdem extergit super patenam; se quoque statim post sumptionem erigit, et junctis manibus ante faciem, ita ut ad nares perveniant, sed oculos non excedant neque faciem aut nares attingant, aliquantulum seu per spatium unius orationis dominicæ quiescit in meditatione ss. Sacramenti.

Not. 1. s. Hostiam statim quoad fieri potest, ex ore in corpus esse transmittendam. 2. Eam esse sumendam simul et semel et non per partes. 3. Si palato aut dentibus aliquod fragmentum adhæreat, id numquam digito, sed lingua inde reverenter esse amovendum; et si non succedat, non ideo immorandum meditationi cum admiratione adstantium, sed sumendum esse Sanguinem, et cum eodem aut cum ablutionibus s. Hostiam esse deglutiendam. 4. Cavendum esse

(1) S. R. C. 24 Sept. 1842, n. 2850, 1.

Digitized by Google

sacerdoti ne s. Hostiam dentibus conterat aut frangat. 5. Meditationem post sumptionem s. Hostiæ per rubricas esse præscriptam; adeoque omitti non posse; eamdem tamen non longam esse debere, sed per spatium unius *Pater noster*, cum rubricæ tantum aliquantulum requirant. 6. Sacerdotes sub hac meditatione ordinarie caput inclinare; eam autem inclinationem per rubricas non præscribi, et proinde fieri non debere, forte ideo, quia non convenit inclinare et humiliare caput, in cujus lingua ss. Sacramentum actualiter quiescit. 7. Si partes s. Hostiæ super se invicem totaliter et exacte ponantur, accidere posse, ut superior in ore pars linguam non tangat, et ex ore decidat : quapropter curandum esse, ut ambæ partes bene super linguam ponantur, eamque aliquatenus tangant, ut ita madefactæ, adhæreant linguæ.

SUMPTIO CALICIS, EJUS ABLUTIONES ET VELATIO.

Rub. *Deinde depositis manibus dicit secreto* Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? *et interim discooperit Calicem, genuflectit, surgit, accipit Patenam, inspicit Corporale, colligit fragmenta cum Patena, si quæ sint in eo, Patenam quoque diligenter cum pollice et indice dextræ manus super Calicem extergit, et ipsos digitos, ne quid fragmentorum in eis remaneat.*

5. *Si vero adsint Hostiæ consecratæ super Corporale positæ pro alio tempore conservandæ, facta prius genuflexione, reponit eas in vas ad hoc ordinatum, et diligenter advertit, ne aliquod fragmentum, quantumcumque minimum, remaneat super Corporale; quod si fuerit, accurate reponit in Calicem. Post extersionem Patenæ, junctis pollicibus et indicibus, Calicem dextra manu infra nodum cuppæ accipit, sinistra Patenam, dicens* Calicem salutaris *etc. et signans se signo Crucis cum Calice, dicit* Sanguis Domini nostri *etc. et manu sinistra supponens Patenam Calici, stans reverenter sumit totum Sanguinem cum particula in Calice posita. Quibus*

Digitized by Google

sumptis dicit secreto Quod ore sumpsimus, *etc. et super Altare porrigit Calicem ministro in cornu Epistolæ; quo vinum fundente se purificat : deinde vino et aqua abluit pollices et indices super Calicem, quos abstergit purificatorio, interim dicens* Corpus tuum, Domine, quod sumpsi *etc. Ablutionem sumit, et extergit os et Calicem purificatorio; quo facto purificatorium extendit super Calicem, et desuper Patenam, ac super Patenam parvam Pallam : et plicato Corporali, quod reponit in bursam, cooperit Calicem velo, et bursam desuper ponit, et collocat in medio Altaris, ut in principio Missæ.*

---

266. *Collectio particularum.* Meditatione post sumptionem s. Hostiæ peracta, sacerdos dicit voce secreta : *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* et interim ponit sinistram super pedem calicis, et dextra eum discooperit, depositisque manibus super corporale, genuflectit et statim surgit. Calicem e medio removere non debet, tum quia opus non est ad sacras particulas colligendas, tum quia de eo nihil in rubricis notatur. Erectus a genuflexione, accipit patenam utraque manu inter indicem pollici unitum et reliquos digitos, et primo patenam diligenter perspiciens, si fragmenta visibiliter appareant, eadem ope indicis et pollicis dextræ manus in calicem mittit. Hoc facto aut si nulla in patena fragmenta appareant, immediate post patenæ acceptionem inspicit corporale, et si fragmenta visibiliter in eo appareant, ea cum patena colligit, et cum indice et pollice dextræ manus reponit in calicem. Si autem nullum fragmentum sive in patena sive in corporali advertat, in hoc casu rubricæ ei nihil agendum præscribunt : cum tamen particulæ minutiores oculos effugere possint, sacerdos cum patena semel, bis vel ter transire potest per locum, ubi sacra Hostia jacuit, ut si quæ sint particulæ, in patenam recipiantur.

267. *Extersio patenæ.* Collectis particulis, patenam accipit manu sinistra inter indicem pollici unitum et reliquos

Digitized by Google

digitos, cavens ne eamdem accipiat per eam partem, qua fragmenta collegit, aut eadem apparent; tum sinistra patenam super calicem in medio corporalis positum transfert, eamque diligenter et totaliter extergit super calicem cum indice vel pollice dextræ manus, non cum eorumdem partibus lateralibus sed cum summitatibus internis, cum quibus index et pollex sibi correspondent : si particulæ in patena sensibiliter appareant, prius in calicem mittuntur; et deinde tota patenæ superficies est extergenda, indicem aliquoties ducendo a parte superiori patenæ ad inferiorem, ita ut post quamlibet extersionem seu perfricationem particulæ, si quæ sint, in calicem decidant. Tandem indicem et pollicem, quibus usus est, extergit super calicem, ne quid fragmentorum in eis remaneat. Sub collectione particularum et extersione patenæ dicere potest versus *Calicem salutaris accipiam* etc. juxta rubricas particulares in ordine missæ; sed juxta rubricas generales supra n. 5, hi versus tantum dicuntur post extersionem patenæ, ut infra dicetur.

Not. 1. collectionem particularum faciendam esse reverenter, diligenter et sine strepitu; et patenam super calicem cum strepitu non esse excutiendam. 2. Sacerdoti ab una parte cavendum esse, ne ullam irreverentiam in tantum sacramentum aut præcipitantiam in re tanti momenti committat; ab altera autem parte ei notandum quoque est, hic sicuti alibi moralem unicuique sufficere debere diligentiam, qualis est, quæ a piis et timoratis sacerdotibus adhiberi solet (1) : neque enim corporale abradendum est, ejusque fila colligenda, neque patena fricanda et perfricanda, aliaque cura extraordinaria adhibenda, quæ scrupulos generat, admirationem et oblocutionem producit, et ipsam devotionem impedit. 3. Si collectis particulis, sacerdos in patena conspiciat fila corporalis aut alia hujusmodi, et bene discernat illa non esse fragmenta s. Hostiæ, ipsum hæc nullatenus in calicem mittere posse; si autem dubitet, hæc super patenam posse relinquere, et post sumptum s. Sanguinem, una cum ablutionibus sumere.

(1) Vid. Quarti p. 2, tit. 10, sect. 2, dub. 7.

Digitized by Google

268. *Sumptio Calicis.* Sacerdos post patenæ et digitorum extersionem, junctis pollicibus et indicibus, deponit sinistram, cum qua patenam retinet, super corporale versus cornu evangelii : et dextra calicem accipit infra nodum, qui est infra cuppam, ut vult Lohner (1), ne manus sit propinqua ori, dum celebrans calicem sumit, et quia sic clarus rubricæ textus præscribit; vel ad nodum, qui est infra cuppam, ut censet Gavantus (2), quia ille modus loquendi *infra nodum cuppæ,* quo utitur rubrica supra n. 5, non significat aliud diversum ab eo, quod aliis verbis dicitur tit. VII, n. 5, et tit. VIII, n. 7, *tenens nodum infra cuppam,* quasi diceretur accipit seu tenet nodum, qui est infra cuppam; neque major est ratio, ut diversimode capiatur calix in prædictis casibus; imo ad sumendum calicem, tutius et commodius tenetur ad nodum, quam inter nodum et pedem illius. Calicem ad nodum vel infra nodum, ut modo dictum est, tenens, voce secreta dicit *Calicem salutaris accipiam,* et nihil agens prosequitur usque ad finem, juxta Rub. gen. supra n. 5, nisi hi versus recitati fuerint sub collectione particularum et extersione patenæ, ut supra dictum est. Deinde sinistra manente super altari et patenam retinente, sacerdos se signat cum calice : hæc signatio major esse potest quam alia cum s. Hostia; oculorum tamen altitudinem et humerorum latitudinem excedere non potest : calicem in altum elevando, voce secreta dicit *Sanguis Domini nostri,* et ad pectus demittendo *Jesu Christi,* caput simul inclinans (3), calicem autem ad medium lineæ in ejus demissione factæ erigendo, et ab humero sinistro ad dextrum ducendo, *Custodiat animam meam* etc. Cavendum est ne calix tangat frontem aut vestes.

Facto signo crucis, calicem ori applicat, et sinistra supponit patenam calici, seu eam tenet ante pectus et quasi prope mentum; et stans erecto corpore, reverenter sumit totum Sanguinem cum particula s. Hostiæ in calice posita.

(1) P. 2, tit. 25, n. 3, et p. 6, tit. 10, q.
(2) P. 2, tit. 10, rub. 5, u; Bissus S. n. 20, § 71.
(3) S. R. C. 24 Sept. 1842, n. 2850, 1.

Digitized by Google

Juxta s. Alphonsum de Ligorio et Quarti (1) decentius est, ut s. Sanguis sumatur unico haustu; sed justa Cavalieri et Merati (2) duplici haustu; et juxta Durandum et Gavantum (3) triplici haustu, ter calicem ori admovendo, vel melius triplici quidem haustu, sed calicem ab ore non retrahendo, ne interea sacer Sanguis effluat. Primus modus cum Quarti videtur præferendus, quia talis videtur germanus rubricæ sensus, et quia plures haustus necessarii dicendi non sunt ad cautelam, ut totus Sanguis ita sumatur, ut nihil prorsus remaneat : nam experientia constat, etiam post plures haustus adhuc aliquem remanere humorem; quapropter purificationes præscribuntur, ut reliquiæ omnes absumantur : ita ut unicus haustus sufficiat, aliquantulum tamen immorando, ut reliquiæ omnes, quantum fieri potest, in os effluant; non tamen calicem lambendo, nec multum immorando cum admiratione adstantium. Sacerdos autem, qui commode aut sine impedimento s. Sanguinem unico haustu sumere nequit, ut ex ore arido aut raucitate gutturis accidere potest, triplici haustu ita sumere potest, ut prima vice parum, secunda fere totum, et tertia calicem totaliter ebibat; plures autem quam tres haustus non adhibeat. « Si sumendo Sanguinem, particula remanserit in calice, digito ad labium calicis eam adducat, et sumat ante purificationem, vel infundat vinum et sumat » cum purificatione (4). Posterior modus videtur decentior, et usurpatur frequentius (5); qui autem priorem modum adhibet, immediate indicem delingere debet, vel saltem cavere ne quid de s. Sanguine decidat vel alicui adhæreat, et tandem indicem suum bene purificare et abluere.

Cavendum sacerdoti 1° ne sumendo s. Sanguinem sua aut calicis labia, suosque digitos lambat, et 2° ne corpus et caput nimis elevet, facie versa ad cœlum, et calice super illam inverso, neque nimia aspiratione s. Sanguinem quasi attra-

(1) Ligorio lib. 6, n. 408; Quarti p. 2, tit. 10, sect. 1, dub. 6.
(2) Cavalieri t. 5, c. 24, n. 22; Merati p. 2, tit. 10, n. 20.
(3) Durandus l. 4, c. 54, n. 12; Gavantus p. 2, tit. 10, rub. 5, u.
(4) Rub. de defect. tit. X, n. 8.
(5) Bened. XIV, de sac. m. s. 2, § 145.

Digitized by Google

here velit : hæc enim indecora, irreverentia et etiam inutilia dicenda sunt; nam si quid in calice remaneat, cum purificatione et ablutione certissime sumitur.

269. *Purificatio Calicis.* Sumpto s. Sanguine, sacerdos manens in medio altaris, sine meditatione facienda (1) dextra statim porrigit ministro in cornu epistolæ stanti calicem super altare seu mappam altaris, sic tamen ut pes calicis altare non tangat, et si parva statura ministri exigat, calicem super altare versus eum parum inclinare, aut etiam extra altare demittere potest, interim secrēto dicens *Quod ore sumpsimus* etc. et sinistram, cum qua patenam retinet, super corporale versus cornu evangelii demittens, vel etiam juxta quosdam subtus mentum retinens, quia Rubricæ aliud non præscribunt, et patena statim iterum subtus mentum teneri solet. Infunditur in calicem eadem moraliter vini quantitas, ac prius pro consecratione, sacerdote id indicante aliqua calicis elevatione. Infusum vinum sacerdos ita circumagit intra calicem, ut species sacræ, quæ ex motione calicis cuppæ quandoque altius adhærent, debite abstergantur, et misceantur, cavens ne purificationem e calice ejiciat. Tum patena mento supposita, uti usus observat, duplici aut potius unico haustu sumit purificationem per eamdem partem calicis, per quam s. Sanguis sumptus est (2), calicem non movendo ad unam alteramve partem.

270. *Ablutio digitorum.* Prænotandum hanc ablutionem digitorum juxta plures fieri debere in cornu epistolæ ob præsentiam crucifixi, et usum generalem, qui est optimus legum interpres (3), et contra in medio altaris juxta Janssens (4) qui dicit transitum a medio altaris fieri sine funda-

(1) S. R. C. consulta 24 Sept. 1842, n. 2850, 2, an sacerdos parumper hic immorari debeat in adoratione, prout fit post sumptionem s. Hostiæ, rescripsit : *Serventur rubricæ.* Cum vero rubricæ nullam hujus adorationis seu meditationis mentionem faciant, sensus responsi esse videtur non esse immorandum.

(2) S. Pius V in Epist. ad Archiep. Taracon. 8 Jan. 1571.

(3) Cavalieri t. 5, c. 24, n. 25; Merati p. 2, tit. 10, n. 21; Dumoulin p. 1, art. 10, n. 27; Romsée t. 1, p. 2, art. 14, n. 3.

(4) P. I, II, tit. 10, n. 92.

Digitized by Google

mento, quia nec rubrica, nec ullum decretum, nec ulla ratio aut necessitas illum exigunt : est enim digitorum ablutio, non a sordibus corporis, ut post offertorium, sed a particulis sacris, quæ forte digitis adhærent, ut digne in calicem mittantur, quibus major debetur reverentia quæque pariter exigunt, ut calix constanter super corporale ponatur. Sequitur celebrantem pro libito digitos abluere posse vel in cornu epistolæ vel in medio altaris.

Sacerdos igitur, prima purificatione sumpta, deponit patenam super corporale versus cornu evangelii extra locum, ubi s. Hostia jacuit, et calicem in locum solitum, in medio corporalis. Si in cornu epistolæ digitos abluat, junctis ante pectus manibus facit cruci capitis inclinationem (1); tum calicem accipiens tribus ultimis digitis utriusque manus ad cuppam, indices autem et pollices super calicem conjunctos tenens, procedit ad cornu epistolæ, ubi elevatum tenens calicem extra corporale sed super altare, nisi minister exiguæ sit staturæ, digitos super calicem abluit, interim sub ablutione et abstersione digitorum dicens *Corpus tuum, Domine, quod* etc. ut patet tum ex rubricis generalibus hujus tituli n. 5., tum ex rubricis in ordine missæ. Ad hanc ablutionem minister infundit super pollices et indices prius vinum et deinde aquam in eadem, quantum fieri potest, quantitate, ac in prima purificatione; major autem semper quantitas aquæ quam vini accipienda est : sacerdotis est hanc quantitatem determinare et ministro indicare, calicem aut pollicem parum elevando. Infusione vini et aquæ pollicibus et indicibus ita ablutis, sacerdos calicem collocat super altare extra sed prope corporale in cornu epistolæ, et facie ad calicem super altari positum versa, excutit indices et pollices a guttis super calicem, eosque purificatorio abstergit, cavendo ne guttis corporale aut mappam commaculet. Si cum aliis digitis aut alia manus parte s. Hostiam tetigerit, digiti illi aut pars etiam ablui debent. Abstersis digitis, deponit purificatorium in locum solitum juxta corporale

(1) Vid. not. n. 210.

Digitized by Google

(quidam in reditu ad medium altaris illud minus recte sinistra retinent), et junctis ante pectus manibus, pollice dextro super sinistrum posito ut ante consecrationem, revertitur ad medium altaris, ubi cruci inclinato capite (1), sinistra accipit purificatorium ad ejus medium inter pollicem et indicem ita ut ab utraque parte super manum pendeat.

Si in medio altaris digitos abluat, tunc depositis post sumptam primam purificationem patena et calice ut supra, sacerdos manens in medio altaris, sine capitis inclinatione cruci facienda, calicem utraque manu ut supra accipit, se tantum parum ad ministrum convertit, et tenet calicem super altare extra corporale elevatum, nisi parva ministri statura aliud exigat. Ablutis digitis, calicem collocat super corporale, ubi digitos excutit et abstergit. Abstersis digitis, purificatorium sinistra retinet. Tum sinistra cum purificatorio super altare extra corporale deposita, dextra calicem accipit, et purificationem intra calicem ita circumagit, ut guttæ intra calicem dispersæ, quantum fieri potest, in fundo uniantur; deinde purificatorium, sinistra corpori applicata, apponit infra mentum, et ablutionem sumit unico, aut ad summum triplici haustu, prout facile et decenter fieri potest, per eamdem partem calicis, per quam sacer Sanguis sumptus est, calicem non movendo ad unam alteramve partem. Ablutione sumpta, ponit calicem super corporale, dextra cum purificatorio seu ejusdem extremitate abstergit os suum, et deinde calicem extergit. In eo extergendo attendendum est ut perfecte quidem exsiccetur, sed ut quam minus fieri potest fricetur, ne calicis deauratio patiatur. Fieri potest 1° statim abstergendo partem exteriorem, qua sumpta est ablutio, ita ut nulla alia pars exterior fricetur; 2° digitis aliquantulum premendo purificatorium super fundum cuppæ; 3° sic ablata majori parte reliquæ ablutionis, aliam partem purificatorii, quæ nondum est madefacta, semel aut iterum circumagendo super fundum et parietes, ut calix totaliter extergatur (2).

(1) Vid. not. n. 210.
(2) Bouvry p. 3, sect. 3, tit. 10, rub. 5 ad 9.

Digitized by Google

Not. sacerdotem, si in cornu epistolæ digitos abluat, post sumptam primam purificationem calicem posse deponere extra corporale versus cornu epistolæ; et tunc junctis manibus procedere ad cornu epistolæ, ubi calicem accipit et digitos abluit (1).

271. *Velatio Calicis.* Sacerdos exterso calice, purificatorium plicatum super eumdem extendit, ita ut extremitates versus cornu epistolæ et evangelii pendeant; super illud dextra ponit cochlear parvum, si eo usus fuerit, tum sinistra patenam, et dextra pallam, ut ante missam; deinde calicem sistit vel ad cornu epistolæ, ut bursam ad cornu evangelii commodius accipiat, vel ad cornu evangelii, ne minister librum deferendo calicem evertat; tum plicat corporale, 1° revolvendo partem anteriorem (2), 2° partem posteriorem, 3° lateralem juxta cornu Epistolæ, et 4° reliquam, et accipiens bursam, sinistra eamdem apertam tenet, et dextra corporale in eam ita immittit, ut extremitas seu fimbria partis ultimo plicatæ versetur juxta bursæ aperturam, corporale exterius non appareat, et nulla ulterior in eo fiat plicatura. Reposita bursa ad cornu calici oppositum, calicem velo tegit ut in principio missæ (3), et desuper ponit bursam cum apertura versus illam partem, qua calix portatur; ac tandem calicem dextra accipit, et sinistra superposita, eum collocat in medio altaris, ut in principio missæ.

DISTRIBUTIO S. COMMUNIONIS.

Rub. 6. *Si qui sunt communicandi in Missa, Sacerdos post sumptionem Sanguinis, antequam se purificet, facta genuflexione ponat particulas consecratas in Pyxide, vel si pauci sint communicandi super Patenam, nisi a principio*

(1) Gardellini instr. Clem. § 30, n. 18, et Cavalieri tom. 4, c. 8, § 30, n. 10.

(2) Vid. not. n. 202.

(3) S. R. C. 12 Jan. 1669, n. 1379; 1 Mart. 1698, n. 1991, 1.

Digitized by Google

positæ fuerint in Pyxide, seu alio Calice. Interim minister ante eos extendit linteum seu velum album, et pro eis facit Confessionem, dicens Confiteor Deo *etc. Tum Sacerdos iterum genuflectit, et manibus junctis vertens se ad populum in cornu Evangelii, dicit* Misereatur vestri, *et* Indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum vestrorum, *etc. et manu dextra facit signum Crucis super eos. Postea genuflectens, accipit manu sinistra Pyxidem seu Patenam cum Sacramento, dextra vero sumit unam particulam, quam inter pollicem et indicem tenet aliquantulum elevatam super Pyxidem seu Patenam, et conversus ad communicandos in medio Altaris dicit* Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. *Deinde dicit* Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea. *Quibus verbis tertio repetitis, accedit ad eorum dextram, hoc est, ad latus Epistolæ, et unicuique porrigit Sacramentum, faciens cum eo signum Crucis super Pyxidem vel Patenam, et simul dicens* Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam. Amen. *Omnibus communicatis revertitur ad Altare, nihil dicens : et non dat eis benedictionem, quia illam daturus est in fine Missæ. Si particulæ positæ erant super Corporale, extergit illud cum Patena, et si quæ in eo fuerint fragmenta, in Calicem immittit. Deinde dicit secreto* Quod ore sumpsimus, Domine, *etc. et se purificat, dicens* Corpus tuum, Domine, quod sumpsi, *etc. et alia facit ut supra. Minister autem dextra manu tenens vas cum vino et aqua, sinistra vero mappulam, aliquanto post Sacerdotem eis porrigit purificationem, et mappulam ad os abstergendum.*

---

272. *Distributio s. Communionis infra missam.* Sacerdos diligentius sumit s. Sanguinem, ita ut certo nihil supersit circa labium calicis, ne pallæ imponendæ adhæreat; sumpto Sanguine, deponit patenam et calicem super corporale versus cornu evangelii, et calicem palla, non autem patena cooperit. Tum si hostiæ in eadem missa consecratæ, super cor-

Digitized by Google

porale ponantur, genuflectit, et s. Hostias in pyxidem, vel si pauci sint communicandi, super patenam ponit pollice et indice dextræ manus, sinistra manu pyxidem aut patenam elevatam tenens juxta sacras species; si hostiæ a principio missæ in pyxide aut alio calice positæ fuerint, cum calicem missæ palla cooperuerit, pyxidem aut calicem illum discooperit; si hostiæ in hac missa non sint consecratæ, tabernaculum aperit, illo aperto genuflectit, erectus extrahit pyxidem, illam in medio corporalis deponit, et aperit. Minister interea post sumptionem s. Sanguinis extendit linteum in mensa communionis, et omnium nomine facit confessionem, alta voce dicens *Confiteor Deo* etc. Facta confessione, sacerdos genuflectit, et erectus manibus ante pectus junctis, sed pollicibus et indicibus non disjunctis, vertit se ad populum per suam dextram, se retrahendo de medio altaris versus cornu evangelii, ne tergum vertat ss. Sacramento; et facie oblique ad populum versa, ita ut facies convertatur partialiter ad populum et ad latus epistolæ (1), alta voce dicit *Misereatur vestri* etc. et *Indulgentiam* etc. quibus minister respondet *Amen;* dicturus *Indulgentiam,* sinistram ponit infra pectus, ita tamen ut pollex et index juncti maneant, et casulam non tangant; et dextra facit signum crucis super communicandos, manum elevando usque ad frontem, et demittendo ad pectus dicens *Indulgentiam, absolutionem,* et ducendo ab humero sinistro ad dextrum *et remissionem peccatorum vestrorum,* manibus autem ante pectus junctis reliquum prosequitur et absolvit. His precibus dictis, sacerdos per eamdem viam revertitur ad medium altaris, et manibus super corporale positis, genuflectit : tum sinistra accipit pyxidem ad nodum, aut patenam inter indicem pollici unitum et reliquos digitos; et purificatorium (2) si adhibeat, quod convenit a purificatorio missæ esse distinctum, sumit inter indicem et medium digitum sinistræ manus, ita ut super tres ultimos digitos ab utraque

(1) Merati p. 2, tit. 10, n. 24.

(2) *Mél. théol.* 6e sér. 1852-53, fol. 529; Bouvry hoc loco n. 8; Favrel p. 2, tit. 1, ch. 3, art. 1; Cuppinus 1760, n. 9; Merati p. 2, tit. 10, n. 26.

Digitized by Google

parte pendeat. Adhuc stans facie ad altare versa, pollice et indice dextræ manus, extensis tribus ultimis digitis, accipit unam s. Hostiam, eamque ad unum aut alterum digitum tenet elevatam super patenam aut ostium pyxidis, ut a populo videri possit. Ita s. Hostiam tenens, per suam dextram se convertit ad populum, humeris versis ad medium altaris, etiamsi communicandi sint ad cornu evangelii aut epistolæ, nisi ss. Sacramentum in altari sit expositum, in quo casu se ad cornu evangelii retrahit. Conversus ad populum, alta et gravi voce, sed s. Hostiam non altius elevando, dicit *Ecce Agnus Dei* etc. et s. Hostiam eodem modo elevatam tenens, ter eadem voce subjungit *Domine, non sum dignus ut intres* etc. quæ verba semper integre, in singulari et in genere masculino dicuntur, etiamsi pluribus aut non nisi feminis communio distribuatur. Verbis tertio repetitis descendit per gradus medios seu anteriores, non vero per laterales, quamvis communio distribuenda sit juxta cornu evangelii aut epistolæ, prout non raro contingit apud moniales (1); accedit ad mensam communionis a parte cornu epistolæ, et ab ea parte communionem distribuere incipit; atque omnibus in mensa communicatis, ad eamdem semper partem a cornu epistolæ regreditur. Antequam s. Hostiam porrigat, eamdem exigua ac decente motione super pyxidem aut patenam diligenter excutit, ut quæ forte adhærent particulæ, in pyxidem aut super patenam relabantur : deinde cum s. Hostia facit super pyxidem aut super patenam signum crucis, cujus prima linea formatur ducendo s. Hostiam in altum per tres aut quatuor circiter digitos, et eamdem demittendo versus pyxidem aut patenam; deinde s. Hostiam elevando ad medium lineæ in demissione factæ, fit linea transversa æque longa, quæ primam secat in medio, bene cavendo ne excedat limites pyxidis aut patenæ; interea sub signo crucis dicit *Corpus Domini* etc. et s. Hostiam porrigens prosequitur, ita ut forma finiatur cum impositione s. Hostiæ super linguam. Omnibus communicatis, revertitur ad altare

(1) S. R. C. 6 Febr. 1892, n. 3764.

Digitized by Google

per medios seu anteriores gradus, nihil dicens, pollicem et indicem dextræ unitos super pyxidem aut patenam retinens, reliquis digitis extensis ultra pyxidem aut patenam : pyxidem aut patenam super corporale deponit, et si s. Hostiæ remanserint, manibus super corporale positis statim genuflectit; erectus, si pyxide usus fuerit, eamdem cooperit, intra tabernaculum ponit, genuflectit, et tabernaculum claudit. Si particulæ sacræ digitis adhæreant easdem non in pyxidem, sed in calicem mittit, ut cum purificatione sumantur. Si in altari non habeatur tabernaculum, et s. species, quæ remanent, conservandæ sint, servat ea quæ n. 278 dicentur. Si s. species remanentes conservandæ non sint, easdem reverenter sumit ante purificationem, et deinde corporale et patenam extergit, vel pyxidem purificat, prout s. species super corporale aut in pyxide positæ fuerunt. Si nulla s. Hostia supersit, redux ad altare post distributionem s. Communionis, non genuflectit, sed si s. species super corporale positæ fuerint, colligit de more fragmenta, et in calicem immittit, et si pyxide usus fuerit, eamdem purificat eo modo quo num. 282 dicetur. Si in fundo calicis unitæ vini species reperiantur sumi possunt sed non debent, ante vini infusionem (1). Deinde dum vinum infunditur in calicem, dicit *Quod ore sumpsimus* etc., se purificat, et reliqua facit more solito.

Minister juxta rubricas aliquanto post sacerdotem, purificationem cum vino et aqua porrigit iis, qui communicarunt, et mappulam, qua ipsi communicati os suum abstergunt; hoc autem (2) in Belgio est extra usum, et, ut notat Martinucci, jam generatim loquendo obsolevit.

Not. 1. Ne sacerdos præcipitanter s. Communionem distribuat, est enim ministerium sanctissimum, omnique possibili attentione et devotione pertractandum; neque oculis per ecclesiam vagetur, sed iis demissis et ad Sacramentum intentis communionem distribuat.

2. Caute se gerat, ne errore vel accelerata distributione

(1) Gavantus p. 2, tit. 10, rub. 6, n.

(2) Janssens p. I, II, tit. 10, n. 124; Martinucci l. 2, c. 5, n. 39.

Digitized by Google

duas simul sacras species porrigat, et sic superior, ut quandoque accidit, ex ore decidat; item ne hostia aut aliquod fragmentum ex pyxide, patenâ aut manu decidat: quapropter dum s. Hostiam porrigit, se aliquantulum promoveat, et pyxidem seu patenam, in quantum commode potest, supponat, ne ss. Sacramentum longius perferre cogatur cum periculo perditionis fragmentorum; caveat tamen, ne communicandorum halitus avolare faciat particulas in pyxide aut patena contentas. Quid faciendum, si hostia vel particula delabatur vid. tom. II, n. 188.

3. Advertat, ne digitis inferioribus tangat faciem communicandorum: quapropter sub porrectione s. Hostiæ inflectantur, et quasi infra pollicem et indicem supponantur, vel in palma replicentur.

4. Curet ne humectet digitos in ore communicantium, et idcirco sacras species non in earum medio sed in extremitate accipiat. Si digiti sint humefacti, eosdem bene inspiciat super pyxidem aut patenam, et si eis aliquod fragmentum adhæreat, illud extersione digitorum in pyxidem aut patenam demittat, et deinde digitos purificatorio abstergat, sed cum præcautione, et junctis prius indice et pollice, ne aliquod fragmentum, quod modo visum fugit, cum purificatorio tollatur (1); vel cum minutissima fragmenta difficillime discernantur, sacerdos ad altare redeat, et digitos abluat in vase ad hoc præparato (2).

5. Si in eodem aut proximo altari celebretur, et ss. Sacramentum elevetur, non genuflectat, sed se vertat ad altare, et erectus cum ciborio in manibus tantisper subsistat, donec elevatio est peracta.

6. Necesse non est eamdem hostiam, quam sacerdos sub *Domine, non sum dignus* tenuit, primo communicando distribuere; sed aliquando consultum est, aliam sumere, præcipue tempore æstivo, quando ob sudorem digitis quandoque adhærere solet.

(1) Merati p. 2, tit. 10, n. 26.
(2) Cavalieri t. 4, dec. 66, n. 34.

Digitized by Google

7. Non licet hostias non rotundas distribuere, neque frangere, ut pluribus distribuantur, nisi adsit necessitas (1). Si necesse sit s. species frangere, ne communicandi sine communione recedant, partes fractæ magis instructis distribuendæ sunt.

8. Non obstante magno communicantium numero ad quemque illorum integra forma pronuntianda est, et crux cum s. Hostia exacte et reverenter formanda, non autem præceps manuum gesticulatio, ut distributio acceleretur.

9. In precibus *Misereatur* et *Indulgentiam* semper dicendum est *vestri, vestris, vos, vestrorum* et *vobis*, licet unus aut una tantum adsit, isque solus sit communicandus, quia hæ preces respiciunt non solum communicantes, sed omnes præsentes et totam etiam Ecclesiam.

10. In distributione s. Communionis patena per alium sacerdotem vel per diaconum supponi non debet, quia rubricæ hoc non præscribunt, sed contra diacono purificationem ministrandam injungunt. Statuit tamen S. R. C. (2) Patenæ suppositionem per sacerdotem cotta indutum in communione generali, quæ per dignitates agitur, retinendam. Item, si mos fuerit, patena mento communicantium supponi potest (3); sicut etiam ex necessitate vitandi periculum, ne s. Hostia delabatur, utiliter supponetur, uti ad communicandam personam, quæ difficulter communicare potest.

11. Distribuenti communionem non licet manum porrigere osculandam (4). Hoc soli competit Episcopo, cujus manum omnes, tam de clero quam de populo, ante communionem osculantur (5), uti convenit, etiamsi communionem extra diœcesim ministret (6).

12. Non raro religiosi utriusque sexus profitentur, vel

(1) S. R. C. 16 Mart. 1833, n. 2704, 1; Cavalieri t. 4, dec. 55, n. 8.
(2) 3 Sept. 1661, n. 1210.
(3) Martinucci lib. 2, cap. 5, n. 19.
(4) S. R. C. 22 Nov. 1659, n. 1134.
(5) Cærem. Ep. lib. 2, c. 29, n. 5.
(6) S. R. C. 18 Sept. 1666, n. 1342, 4.

Digitized by Google

etiam renovant sua vota intra missam, ad sacram communionem. Sequentem methodum servari posse constituit S. R. C. Celebrans profitentium vota excepturus, sumpto ss. Eucharistiæ sacramento, absoluta confessione ac verbis quæ ante fidelium communionem dici solent, sacram Hostiam manu tenens, ad profitentes sese convertet : hi vero singuli alta voce, professionem suam legent, ac postquam quisque legerit, statim ss. Eucharistiæ sacramentum sumet. In renovatione votorum, celebrans ad altare conversus expectet, donec renovantes votorum formulam protulerint; qui, nisi pauci sint, omnes simul uno proeunte formulam renovationis recitabunt, ac postea ex ordine ss. Corpus Domini accipient (1). Istud decretum obligat penes quaslibet religiosas utriusque sexus congregationes, ubi vota nuncupantur, vel renovantur intra missam (2).

273. Mappa communionis extendenda est in mensa communionis, ut supra in rubricis ministro faciendum præscribitur. Hæc mappa 1° ex lino esse debet; in rituali enim Romano dicitur *linteum*, quod velum ex lino proprie significat; et supra in rubricis *linteum seu velum album*, quæ verba non denotant linteum vel quodcumque aliud velum, modo sit album, sed linteum ad modum veli albi, vel velum album ex lino confectum. 2° Alba et munda. 3° Compacta, et sine foraminibus, per quæ particulæ sacræ decidere possunt et deperdi, et non adinstar retis. 4° Ornata esse potest opere denticulato vel acu picto, modo sit totaliter linea, et ornatus causa in ea non sint foramina, quibus inepta redderetur ad finem, ad quem ipsa adhibetur.

Not. mappam post communionis distributionem numquam totaliter in terram dimittendam esse, neque ullo casu excutiendam; si enim particulæ sacræ super eam decidissent, procul dubio in terram dejicerentur et conculcarentur; sed distributione finita, partem pendentem replicandam esse super partem jacentem, tum totam mappam plicandam esse,

(1) S. R. C. 14 Aug. 1894, n. 3836.
(2) S. R. C. 5 Jun. 1896, n. 3912.

Digitized by Google

et plicatam decenter conservandam. Si sacerdos sub distributione particulas decidentes viderit, vel decidisse probabiliter credat, et non inveniat, superflua dicenda non est diligentia, quam proponit G. Vinitor (1), « nimirum ut pannus lineus hinc inde extremitatibus illius a duobus in altum elevatis ex lateribus sinuetur, et circa longitudinis medium instar arcus demittatur, quo ad levem concussionem particulæ etiam minimæ, si quæ fuerint, in unum coadunentur, et patena sacra excipiantur. » Dignitas ss. Corporis D. N. sub minimis particulis visibilibus latentis magnam certo exigit diligentiam, ne eadem deperdantur. Licet enim plures auctores credant angelos assistere et particulas decidentes colligere, a nostra equidem parte omnino providendum est ne culpa nostra deperdantur et irreverenter tractentur.

Loco mapparum linearum uti licet tabellis ex metallo, ubi ejusmodi usus est introductus (2). Item ubi mensa communionis non est ad altare in quo celebratur, communicanti porrigi potest parvum linteum adinstar magnæ pallæ, quod infra mentum tenet, deinde sequenti communicanti tradit, et ultimus communicans reddit ministro.

274. An expedit s. Communionem infra missam distribuere?

R. Affirmative : « optaret quidem sacrosancta Synodus Tridentina (3), ut in singulis missis fideles adstantes..... Eucharistiæ perceptione communicarent. » Et juxta Rituale Romanum « communio populi intra missam statim post communionem sacerdotis celebrantis fieri debet (nisi quandoque ex rationabili causa post missam sit facienda), cum orationes, quæ in missa post communionem dicuntur, non solum ad sacerdotem, sed etiam ad alios communicantes spectent. » Antiqua Ecclesiæ praxis etiam fuit, ut com-

(1) P. 2, tit. X, annot. 3, de distrib. s. Comm.

(2) S. R. C. 20 Mart. 1875, Romana dub. IV, in Actis S. Sedis vol. 8, fol. 425. Non reperitur in collectione decretorum authentica.

(3) Sess. 22, c. 6, de sac. m.

Digitized by Google

munio non distribueretur, nisi intra missam. Hic usus, communionem intra missam distribuendi, in pluribus quidem ecclesiis cessavit; id tamen non impedit, quominus expediat s. communionem intra missam sive solemnem sive privatam distribuere. Rationabilis causa, quam Rituale Romanum exigit, ut s. communio extra missam distribuatur, censetur esse magnus numerus communicantium, si communicantes usque ad communionem sacerdotis expectare nequeant, etc.

Gravis olim fuit controversia an in missis de *Requiem* communio distribui possit; S. autem R. C. decreto generali 27 Jun. 1868 (1), a Sanctitate Sua approbato decrevit, *posse in missis defunctorum, cum paramentis nigris, sacram communionem fidelibus ministrari, etiam ex particulis præconsecratis, extrahendo pyxidem a tabernaculo. Posse item in paramentis nigris ministrari communionem immediate post missam defunctorum; data autem rationabili causa, immediate quoque ante eamdem missam; in utroque tamen casu omittendam esse benedictionem.* In hoc decreto rationabilis requiritur causa ad communionem distribuendam ante missam de *Requiem*, non autem post eam; sed cum juxta Rituale Romanum communio tantum *ex rationabili causa post missam sit facienda*, cumque hoc decretum sit intelligendum et explicandum juxta alias existentes et vigentes leges liturgicas, sequitur rationabilem causam requiri ad communionem distribuendam tam post missam quam ante eam, etiamsi decretum eamdem post missam non requirat, quia Rituale Romanum eam jam præscribebat. Hæc causa gravis esse non debet, sed quælibet causa rationabilis, quantumvis levis, modo honesta, sufficit (2). Omittenda est benedictio, sive distributio fiat ante sive post missam, modo ministretur cum paramentis nigris; dicenda autem est antiphona *O sacrum convivium* cum reliquis, omittendo *Alleluja* tempore paschali (3). Cum decretum s. communionem per-

(1) N. 3177.
(2) *Revue catholique*, 1868, fol. 600.
(3) S. R. C. 26 Nov. 1878, n. 3465.

Digitized by Google

mittat ante et post missam cum paramentis nigris, dicendum est distributionem faciendam esse non tantum cum stola nigra, sed etiam cum manipulo et casula nigra.

275. *Distributio s. communionis extra missam.* Hæc fidelibus ministrari potest omni tempore quo in ecclesia celebrantur missæ (1). Ad altare aut tabernaculum duo cerei accendendi sunt, ibique parandum corporale ad pyxidem imponendam, vasculum cum vino vel vino et aqua, vel saltem sola aqua ad digitos abluendos, et purificatorium ad eosdem abstergendos.

Si distributio fiat immediate ante vel post missam, ita ut sacerdos ad sacristiam non discedat, peragitur a sacerdote casula et omnibus aliis sacris vestibus induto (2); collocato scilicet calice ad cornu evangelii, et bursa in loco solito, ac explicato corporali, tabernaculum aperit, genuflectit et facit ut infra dicetur. Si autem communionem distribuat ante accessum ad altare, aut post missam ad sacristiam redeat, priusquam distributionem incipiat, fit quidem cum alba et stola, sed sine casula et manipulo. Si adsit necessitas, inveterata tolerari potest consuetudo, qua sacerdos, qui ad altare aliquod accedit vel ab eo recedit, sic sacris vestibus sacrificii indutus, et præ manibus calicem tenens, ascendit in transitu ad altare, in quo adest tabernaculum ss. Sacramenti, ut ibi sacram communionem fidelibus distribuat (3).

Si distributio non fiat ante vel post missam, sacerdos lotis prius totaliter manibus, et superpelliceo ac stola coloris officio illius diei convenientis vel etiam alba (4) indutus, ad altare seu tabernaculum accedit capite tecto et manibus ante pectus junctis, nisi, uti decet, ipsemet bursam deferat (5) : quæ bursa convenit ut sit ejusdem coloris ac stola sacer-

(1) S. R. C. 7 Sept. 1816, n. 2572, 23. Vid. Cavalieri tom. 4, dec. 58. Quarti p. 2, tit. 10, sect. 3, dub. 3, diff. 3 in fine; Cuppinus 1760, n. 13; Michael Haringer de cærem. missæ. S. Alph. de Lig. fol. 167.

(2) Rit. Rom. et S. R. C. 12 Mart. 1836, n. 2740, 11.

(3) S. R. C. ib.

(4) Rit. Rom. et S. R. C. 12 Mart. 1836, n. 2740, 12.

(5) S. R. C. 24 Sept. 1842, n. 2850, 3; 27 Feb. 1847, n. 2932.

Digitized by Google

dotis (1). Ad altare accedens, deposito bireto genuflectit unico genu in plano, surgit, et rursus genuflexus utroque genu in infimo gradu, parumper orat; deinde altare ascendit, explicat corporale, aperit tabernaculum, genuflectit, extrahit pyxidem, illam deponit super corporale et discooperit, iterumque genuflectit. Minister genibus flexis ad cornu epistolæ recitat *Confiteor*. Deficiente omnino ministro idoneo ipse sacerdos recitabit confessionem (2) stans, profunde inclinatus, ante altaris gradus. Dicta confessione a ministro, sacerdos iterum genuflectit, si, postquam calicem discooperuerit, infra confessionem ministri aliquantum expectare debuerit; tum manibus junctis se vertit ad populum, dicit *Misereatur*, et alia observat ut supra infra missam, his exceptis, quod pollices et indices non teneat junctos nisi solos dextros, postquam ss. Sacramentum cum iis tetigerit; quod accipiat pyxidem inter sinistrum pollicem et reliquos digitos, et purificatorium inter pyxidem et pollicem sinistrum, ita ut alterutra pars super pollicem pendeant; signans communicantes, sinistram ex parte palmæ super pectus ponat; et genuflectens manus deponat extra corporale, præterquam post distributionem ante ablutionem digitorum.

Omnibus communicatis, revertitur ad altare, et pyxide super corporale deposita, genuflectit (3). Erectus inspicit pollicem et indicem dextræ manus; particulas si adhæreant, in pyxidem mittit, et licet nullas particulas advertat, equidem pollicem et indicem super pyxidem extergit : pyxidem mox claudit, tegens illam cooperculo et velo serico; quo facto, abluit pollicem et indicem dextræ manus in vase præparato easque purificatorio abstergit (4). Interea intelligibili voce potest dicere juxta Rituale antiph. *O sacrum convivium* etc. De præcepto (5) sequentes autem sunt versiculi et oratio : v. *Panem de cœlo* etc. *Domine exaudi* etc.; *Dominus vobis-*

(1) S. R. C. 11 Jun. 1880, n. 3515, I.
(2) S. R. C. 31 Mart. 1879, n. 3488, 3.
(3) S. R. C. 14 Jan. 1898, n. 3975, 3.
(4) S. R. C. ib.
(5) S. R. C. 30 Aug. 1892, n. 3792, 10.

Digitized by Google

eum facie ad altare versa; *Oremus. Deus qui nobis sub Sacramento* etc. cum conclusione : *Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.* uti ponitur in Rituali Romano (1). Tempore autem paschali, tum Antiphonæ, tum v. *Panem de cœlo* etc. et R. *Omne delectamentum* etc. adjungitur *Alleluja* (2), et dicitur oratio : *Spiritum nobis, Domine, tuæ charitatis infunde : ut quos Sacramentis paschalibus satiasti, tua facias pietate concordes. Per Christum Dominum nostrum.*

Pyxide igitur cooperta, et his precibus dictis, sinistra super altare posita, dextra pyxidem in tabernaculum collocat; genuflectit (3) et erectus claudit tabernaculum. Deinde in medio altaris vertit se ad communicatos, et manu dextra iis benedicit, alta voce dicens : *Benedictio Dei omnipotentis, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti descendat super vos et maneat semper. Amen.* Quibus dictis revertitur per eamdem viam ad altare, plicat corporale et in bursam immittit, nisi forte ob frequentiam communicantium relinquendum sit extensum; deinde debitis cum reverentiis descendit ab altari, et discedit. Juxta plures (4) sacerdos dicit hæc verba *Benedictio Dei omnipotentis* facie ad altare versa oculos elevando, manus extendendo, easque elevando usque ad humeros, tum oculis demissis manibusque junctis caput inclinando, uti fit in fine missæ, deinde conversus ad populum dicit *Patris et Filii et Spiritus Sancti*, eumdem signando, sinistra posita infra pectus; manibusque junctis absolvit *descendat super vos et maneat semper.* Hæ actiones præter crucem faciendam in Rituali Romano non præscribuntur; si tamen fiant, altare ante easdem non est osculandum (5). Benedictio autem semper dari debet, etiam exposito ss. Sacramento, quotiescumque

(1) Edit. S. C. de prop. fide 1847, 1870 et 1880, et typica Ratisb. 1884. S. R. C. 11 Jun. 1880, n. 3515, II.

(2) S. R. C. 2 Jun. 1883, n. 3577, 11.

(3) S. R. C. 14 Jan. 1898. n. 3975, 3.

(4) Merati p. 2, tit. 10, n. 33; Cavalieri t. 4, dec. 66, n. 41; Rit. Leod.; Past. Brug.

(5) S. R. C. 16 Mart. 1833, n. 2704, 6.

Digitized by Google

s. communio distribuitur extra missam, etiamsi fiat immediate ante vel post missam, nisi, si fiat ante missam, constaret omnes usque ad finem missæ in ecclesia esse mansuros (1). Numquam tamen datur, dum communio distribuitur infra missam, quia sacerdos illam daturus est in fine missæ, neque etiam infra missam de *Requiem*, quamvis in fine non sit daturus, neque ante aut post eam, ut dictum est numero 274. Hæc benedictio dari non potest cum s. Pyxide (2). Quæ servanda sint, si expositum sit ss. Sacramentum, aut missa celebretur in altari ad quod sacra communio distribuitur, vide tom. 2, n. 34 et 35.

Ablutionem digitorum sacerdos ipsemet sumat, si celebraverit, aut iis, qui tunc communicarunt, sumendam tradat, aut saltem in sacrarium injiciat (3), non quidem qualibet vice, sed tunc saltem, quando aqua non amplius omnino munda videtur.

Sacerdos extre missam communicans, seipsum communicare non potest, nisi in casu quo nullus aliùs sacerdos adsit, absit scandalum, et præcipua quædam ratio habeatur (4).

276. *Ordo communicandorum.* In missa privata minister ratione ministerii communicandus est ante cæteros quamvis digniores (5), genuflectens scilicet in supremo gradu seu suppedaneo altaris, et deferens secum mappam mento supponendam. In missa solemni diaconus et subdiaconus primi communicandi sunt in suppedaneo, et deinde alii per ordinem. Si communicandi sint clerici et laici, prius clericis præbenda est s. communio, genuflexis in gradibus altaris, vel saltem in loco proximo altari; si clerici sint diversi ordinis, primo communicandi sunt sacerdotes, deinde diaconi, et sic deinceps. Magistratus et nobiles etiam communicandi sunt ad altare, saltem si sit consuetudo; alii autem laici ad cancellos :

(1) Cavalieri t. 4, dec. 63, n. 3.

(2) S. R. C. 23 Maji 1835, n. 2725, 1.

(3) Rit. Rom. Vid. Cavalieri t. 4, dec. 66, n. 36 et 37.

(4) Bened. XIV, de sac. m. s. 2, § 153; Quarti p. 2, tit. 10, s. 3, dub. 1, diff. 3; Cavalieri t. 4, dec. 66, n. 8; Lucius Ferr. Sacerdos n. 23.

(5) S. R. C. 13 Jul. 1658, n. 1074.

Digitized by Google

inter hos per se nullus ordo servandus est; si tamen primo masculi et deinde feminæ communicari possint, laudabilissimum esset hoc servare; vel saltem quantum fieri potest, viri a mulieribus separentur (1).

Si fideles magna cum frequentia ad sacram communionem accedant, præstat ad ordinem servandum, ut plura genuflexoria sive scamna linteo mundo contecta, hinc inde a cancellis circulatim seu in quadrum intra ecclesiam ordinentur, et in extremitatibus interjecti spatii duo saltem candelabra disponantur, quæ perpetuo colluceant, dum fidelibus circumadgeniculatis sacra communio distribuitur (2).

277. Notanda et observanda a communicantibus et consequenter etiam a celebrantibus : 1° Ut præmittant, si opus sit, confessionem, et sint jejuni. 2° Ut post debitam præparationem magna animi religione et pietate, atque mundo sed et humili corporis habitu, depositis armis, baculo, chirothecis etc. accedant (3). 3° In processu ad s. mensam omnes oculis demissis manibusque junctis incedant; tum flexis genibus unusquisque ambabus manibus a se invicem separatis contra pectus et sub mento teneat mappam; et dum ei s. Species sumenda offertur, os decenter adaperiat linguamque paulo extra producat (4). 4° Accepta s. Hostia, os decenter sed non celeriter claudant, caput non inclinent, nec os ad linteum demittant ad abstergendum, sed capite erecto, oculis tamen demissis, ad locum se recipiant. Linguam ad palatum non moveant, et si s. Hostia palato adhæreat, ope digitorum non avellant, sed modeste cum lingua amoveant, expectantes si opus sit, donec saliva aliquo modo est madefacta. S. Hostiam numquam dentibus mandant, sed quantocius fieri potest, ex ore in se recipiant. Nec vocaliter orent, ne s. Hostia ex ore decidat, sed aliquantisper, qua par est devotione, meditationi incumbant. 5° Ne statim ab ecclesia discedant, nec

(1) Vid. Cavalieri t. 4, dec. 66, n. 24-27.
(2) S. R. C. 26 Mart. 1859, n. 3086, 2.
(3) Rit. Rom. et Leod.
(4) Rit. Leod.

Digitized by Google

colloquantur, nec vagis oculis circumspiciant, sed per aliquod tempus in ecclesia debitas gratias agant (1). 6° Ne statim exspuant (2), ne reliquiæ in ore quandoque remanentes exspuantur; et si exspuere cogantur, id faciant in sudarium mundum (3). 7° Non comedant nisi post aliquod tempus, nisi causa rationabilis subsit (4). 8° Juxta Rituale Romanum sacerdotes cum stola communicant, quæ stola, si fieri possit, optime erit coloris officio convenientis, qualem colorem exigit Rituale Romanum pro distributione s. communionis (5).

Notanda quoad primam puerorum communionem.

I. Prima communio instituatur eo devotionis cultu et solemnitatis apparatu, qui non tantum communicantibus sed et toti parochiæ divini mysterii excellentiam demonstrent: ideoque ecclesia et altare ornentur, ac concio ad neocommunicantes habeatur, brevi quidem et facili sermone, sed qui corda moveat, vel post evangelium, vel etiam post sumptionem celebrantis ante distributionem communionis, in quo loco breves sermones in hoc aut simili casu permittuntur, modo si celebrans sermocinetur ab altari nec discedat (6). 2° Infra communionem cantetur antiphona quæ dicitur communio, et etiam cantari potest aliquis psalmus vel hymnus conveniens, v. g. ps. 112. *Laudate pueri Dominum,* vel ps. 102. *Benedic anima mea Domino;* item ante missam hymnus *Veni Creator,* et post missam vel in laudibus vespertinis *Te Deum,* prout usus in pluribus locis habet, et in aliis oecasionibus fieri solet (7).

---

(1) Rit. Rom.

(2) Rit. Rom.

(3) Vid. Quarti p. 2, tit. 10, s. 1, dub. 9; Baruffaldus tit. 23, n. 46; Vinitor p. 2, tit. 10, annot. 36.

(4) Vid. Quarti p. 2, tit. 12, dub. 5; Baruffaldus loco cit.; Durantus de rit. ecc. l. 2, c. 7, n. 6.

(5) Vid. Cavalieri t. 4, dec. 5.

(6) S. R. C. 16 Ap. 1853, n. 3009, 4; 12 Sept. 1857, n. 3059, 10.

(7) Vid. congreg. archip. diœc. Mechl. 1846; Rit. Leod. de ss. Euch. Sac. § 7; Past. Brug.

Digitized by Google

DE MISSA, IN QUA CONSECRATÆ SUNT HOSTIÆ PRO ALIO TEMPORE CONSERVANDÆ.

Rub. 5. *Si vero adsint Hostiæ consecratæ super Corporale positæ pro alio tempore conservandæ, facta prius genuflexione, reponit eas in vas ad hoc ordinatum, et diligenter advertit, ne aliquod fragmentum, quantumcumque minimum, remaneat super Corporale; quod si fuerit, accurate reponit in Calicem. Post extersionem Patenæ etc.* (Vid. n. 266.)

7. *Si in Altari remaneant particulæ in Calice, seu in alio vase usque ad finem Missæ, serventur ea, quæ in Feria quinta Cœnæ Domini præscribuntur circa finem Missæ.*

---

278. I. Si hostiæ consecratæ super corporale positæ sint, et nullus adsit communicandus, neque pyxis purificanda, sacerdos meditatione post sumptionem s. Hostiæ peracta, ante discooperitionem calicis (juxta Rubricas supra n. 5, quæ hæc ibi facienda evidenter præscribunt) genuflectit, et erectus Hostias in pyxidem ponit ope pollicis et indicis dextræ manus, sinistra pyxidem juxta s. Species inclinatam tenens : quibus impositis, pyxidem claudit et deponit. Si pyxis ex tabernaculo sit extrahenda, meditatione ss. Sacramenti peracta, aperit tabernaculum, genuflectit si ibi ss. Sacramentum contineatur, extrahit pyxidem, et renovata genuflexione, facit ut supra. Quandonam pyxis in tabernaculum, si in eodem altari habeatur, inferenda sit auctores non conveniunt : juxta quosdam pyxis super corporale servanda est usque ad finem missæ eo modo, quo infra dicetur de casu quo in altari tabernaculum non habeatur; juxta alios pyxis in tabernaculum ponenda est post purificationem calicis ante ablutionem digitorum; et juxta alios mox post impositionem s. Specierum, et certo si pyxis in tabernaculo posita, sit extrahenda ad imponendas s. Species, facilius nunc reponitur in tabernaculum quod est apertum, quam postea; et insuper nihil impedit pyxidem in tabernaculum poni ante sumptionem s. Sanguinis, cum contra positio

Digitized by Google

pyxidis super corporale, sacerdotem in collectione particularum impedire possit. Idem dicendum est de impositione s. Hostiæ in remonstrantiam, si in missa consecrata fuerit, cum Rubrica n. 5, æque hunc casum comprehendat, ac si hostiæ pro communione fidelium sint consecratæ; item de impositione pyxidis in tabernaculum, si hostiæ in eadem sint consecratæ.

Cum celebrans s. Species in pyxidem posuerit, vel prævia genuflexione tabernaculum clauserit; discooperit calicem, genuflectit, et sacras particulas colligit non tantum super locum, ubi major hostia, sed etiam ubi aliæ positæ fuerunt.

II. Si in altari non habeatur tabernaculum : tunc s. Hostiis in pyxidem depositis, pyxis super corporale relinquitur usque ad finem missæ. Sumpta purificatione calicis ante ablutionem digitorum, pyxis in medium corporalis deponitur et sacerdos se gerit, ac si ss. Sacramentum esset expositum. Calix post ejus extersionem collocatur non in medium altaris sed a latere evangelii. Finita missa sacerdos pyxidem cum lumine ad tabernaculum portat, et deinde redux ad altare, plicat corporale, in bursam immittit, et calicem more solito defert ad sacristiam.

III. Si s. communio sit distribuenda, aut pyxis purificanda, s. Hostiæ super corporale consecratæ, in pyxidem tantum ponuntur post sumptionem s. Sanguinis, ut dictum est initio, n. 272, et dicetur n. 282 : et in hoc casu collectio particularum super corporale, ex necessitate videtur omittenda ante sumptionem s. Sanguinis, et tantum facienda ante sumptionem purificationis, cum qua particulæ simul sumuntur, ut in purificatione pyxidis.

RENOVATIO SPECIERUM ET PURIFICATIO PYXIDIS.

279. Sub qua obligatione s. Hostiæ, quæ pro communione conservantur, aliquando renovandæ sunt?

R. Sub gravi obligatione, quia hæc renovatio versatur

Digitized by Google

circa rem gravem, honorem scilicet et reverentiam ss. Sacramento debitam. Quod autem s. Species longo tempore integræ conservari possint, nec facile alterentur aut corrumpantur, a gravi excusare nequit; non enim attendendum est, quod conservari possint, sed quod alterari et corrumpi possint, cujus periculum sufficit, ut dicatur gravem adesse obligationem s. Species renovandi. Insuper gravis hæc obligatio oritur non tantum ex periculo corruptionis specierum, sed etiam ex debito ss. Sacramentum omni cum honore et reverentia conservandi. Item constans Ecclesiæ sollicitudo circa frequentem specierum renovationem majorem quam levem obligationem indicat.

280. Quoties sacræ species renovari debent?

R. Juxta Rituale Rom. parochus *sanctissimæ Eucharistiæ particulas frequenter renovabit.* Quoties autem fieri debeat, ut frequenter censeatur, Rituale quidem non exprimit, sed juxta Cæremoniale Ep. sacrosancta Eucharistia *saltem semel in hebdomada mutetur et renovetur* (1); juxta aliquos sufficit singulis quindenis (2); juxta Rituale Leodiense (3) « ad minus semel in mense, et ultra non differatur; in locis autem nimium humidis, aut tempore valde pluvioso sæpius nempe decimo quinto die, aut etiam octavo. » Cum autem in tertio Concilio Prov. Mechliniensi (4) statutum esset, ut « singulis mensibus aut circiter » (secundum occurrentiam festorum solemnium, quæ paulo remotius quam mense distant) vel si loci humiditas requirat, etiam sæpius species sacramentales renoventur », Cardinales s. Concilii Trid. interpretes textum mutaverunt in hunc sensum « singulis saltem *hebdomadibus* aut circiter, vel si humiditas loci requirat, etiam sæpius species sacramentales renoventur » : et hic

(1) Lib. 1, c. 6, n. 2. Cong. Ep. 5 Ap. 1573, apud Cavalieri tom. 4, dec. 107; s. Carolus apud Gardellini in dec. 2650, 1, in vol. IV decr. p. 278; Gavantus p. 2, tit. 10, rub. 5, t.

(2) Dec. Em^mi ac Rev^mi Dom. Engelb. Archiep. Mechl. in congreg. archip. 1845, n. 5; Pasi. Brug.; Rit. Camerac.

(3) De ss. Euch. Sac. § 6.

(4) Tit. 7, c. 1, de ss. Euch. Sac.

Digitized by Google

sensus, in hunc modum mutatus, ab Apostolica auctoritate est confirmatus (1). Unde Romsée (2) proponit sequentes conclusiones : 1. si non sit præceptum ubique vigens, ut s. Species renoventur singulis octiduis, saltem ubique illius observatio est laudabilis, cum tendat in honorem ss. Sacramenti. 2. Seposita causa particulari, ut humiditatis ratione tabernaculi noviter constructi, aut loci humidi, vel temporis pluviosi et hiemalis, immunes ab irreverentia videntur, qui singulis quindecim diebus s. Species renovant. 3. Qui ultra mensem differunt, non videntur immunes a periculo gravis irreverentiæ erga tantum Sacramentum, maxime quando tempus est humidum. Nemo etiam putet, se hic consuetudine contraria excusari posse : nam (3) tantum abest, ut hæc dici possit rationabilis et laudabilis, quinimo potius ut detestabilis corruptela habenda sit, ac proinde omnino reprobanda et damnanda, etiamsi longissimi temporis observantiam ostentaret (4).

281. Not. 1° eadem ratione hostias consecrandas recentes noviterque confectas esse debere (5). Si enim sacræ Species singulis saltem quindenis ad corruptionis periculum præcavendum renovandæ sint, sequitur novas species recentes esse debere, ad idem præcavendum periculum. A quo autem tempore species confectæ esse possint, ut adhuc recentes dicantur, apertissime colligitur ex obligatione Species sacras frequenter renovandi : si enim species renovando, veteres sint sumendæ, et novæ recentesque consecrandæ, sequitur novas veteribus recentiores per se esse debere. Quapropter S. R. C. (6) reprobavit consuetudinem consecrandi species a tribus mensibus tempore hyemis, et a sex mensibus in æstate

(1) Vid. syn. Belg. t. 1, fol. 316 initio; fol. 374, tit. 7, c. 1, item fol. 359 mon. 16 et 17.

(2) Tom. 1, p. 2, art. 13, n. 8.

(3) Ita Gardellini in dec. 2650, 1, in vol. IV decr. p. 278.

(4) Vid. Catalanus in Cærem. Ep. l. 1, c. 6, n. 2. *Mél. théol.*, 4e sér., fol. 523-551.

(5) Rit. Rom.

(6) 16 Dec. 1826, n. 2650, 1.

Digitized by Google

confectas, simulque declaravit sacerdotes ecclesiæ rectori tuta conscientia obsecundare non posse præfatis utendo speciebus; et s. Carolus (1) præscribit ut hostiæ adhibeantur recentes, et a viginti diebus ad summum confectæ.

Not. 2° novas consecratas hostias numquam cum veteribus misceri posse, sed in alia pyxide vel vase esse conservandas, vel in defectu duplicis pyxidis veteres communicantibus primo esse distribuendas, vel a sacerdote in missa sumendas. Si autem nimius sit numerus hostiarum consumendarum, ita ut sacerdos omnes decenter sumere non possit; ipse in pluribus sacrificiis, vel alii sacerdotes successive celebrantes, partem ex illis sumere possunt. Adeoque veteres consecratas species noviter consecratis superimponere non licet, ut veteres prius distribuantur : sic enim non satisfit obligationi renovationis; et insuper species facillime inter se miscentur, et quædam longissimo tempore remanere possunt.

282. Quoties et quomodo pyxis est purificanda?

R. I. Toties, quoties s. Species renovantur; eadem enim ratio militat in utroque casu.

2. Modi purificandi pyxidem assignantur sequentes : 1° omnes particulæ, mediante indice aut pollice dextro colliguntur, et ante sumptionem s. Sanguinis vel purificationis in calicem mittuntur, quin pyxis ulterius abluatur. Si omnia fragmenta hoc modo colligi possint, et pyxis sufficienter purificari queat, nihil impedit eumdem sequi, cum patena hoc etiam solo modo purificetur. 2° Ante calicis purificationem omnia fragmenta in fundo pyxidis diligentissime collecta cum indice dextro, cum eodem indice linguæ admoto sumuntur, vel fragmenta ad labium pyxidis indice deducta, sumi possunt ore eidem admoto. Deinde infunditur paululum vini, quo tota interior pyxidis pars, tergente indice, abstergitur; quo hausto pyxis purificatorio undequaque exsiccatur. Hic modus quantum ad sumptionem fragmentorem, tanquam indecens et reliquiarum perditionis periculo obnoxius, com-

(1) In 4 conc. prov. Mediol. item in instruct. de ipso Euch. Sac.; Castaldus lib. 1, s. 3, c. 5, n. 1; Bouvry 2 edit., 2 tom., fol. 573.

Digitized by Google

muniter rejicitur. 3° Sumpto s. Sanguine, absque collectione reliquiarum in pyxide, et sine earumdem sumptione aut immissione in calicem, statim vinum in pyxidem funditur, et intra pyxidem undequaque circumactum, in calicem effunditur, atque ex eo simul et pro calicis purificatione sumitur : quod ipsum præstatur de altera ablutione, quatenus opus est. 4° Sacerdos sumpto s. Sanguine, tenens pyxidem ad nodum super calicem, indice dextro colligit particulas in pyxide dispersas, easque in calicem mittit; deinde primam purificationem accipit cum pyxide, circumagit vinum intra pyxidem, et, si una tantum ablutione pyxis purificetur, indice tergente, otam ejusdem partem interiorem abluit; quo facto, indicem bstergit, vinum in calicem effundit et sumit. Si novæ species onsecratæ mox in pyxidem ponendæ non sint, alteram digitorum ablutionem ad majorem cautelam similiter cum pyxide accipit. 5° Quarti (1) omnibus præfert modum, quo reliquiæ indice ex pyxide mittuntur in calicem ante sumptionem s. Sanguinis, et una cum s. Sanguine sumuntur, et deinde post sumptionem s. Sanguinis pyxis purificatur et abluitur, ut ad modum præcedentem dictum est. Hic tamen modus non adhibetur, si una aut altera hostia integra in pyxide supersit, quia hæc non ante sed post sumptionem s. Sanguinis sumenda est.

Si igitur pyxis sit purificanda, et hæc in tabernaculo ponatur, sacerdos calicem palla tectum ad cornu evangelii, sed semper super corporale, removet, aperit tabernaculum, genuflectit, si s. Species in pyxide aut in tabernaculo contineantur, pyxidem accipit et super corporale deponit, ac ablato cooperculo, iterum genuflectit, si s. Species contineantur, et tabernaculum, si opus sit, claudit.

Si Hostiæ integræ in pyxide supersint, easdem post sumptionem s. Sanguinis prius distribuit aut sumit, et deinde pyxidem purificat modis supradictis. Si in eamdem pyxidem hostiæ consecratæ mox ponendæ sint, sacerdos pyxidem semel tantum purificat et abluit; et postquam ablutionem

(1) P. 2, tit. 10, sect. 2, dub. 8; Bissus P. n. 278.

Digitized by Google

pyxidis in calicem effuderit, pyxidem ante sumptionem purificationis calicis statim cum purificatorio interius bene exsiccat, et novas species in eam imponit, ut dictum est num. 278 ad I : tum colligit particulas super patenam aut corporale, ubi s. Species positæ fuerunt, et easdem in calicem immissas, sumit cum purificatione. Si autem novæ hostiæ consecratæ in pyxidem statim ponendæ non sint, præstat ad majorem cautelam, digitorum ablutionem etiam cum pyxide accipere, ut modo dictum est; et deinde sumpta ablutione, prius calix, et deinde pyxis extergitur (1). Purificatorium post extersionem pyxidis modo inverso est plicandum, et non amplius adhibendum, donec lotum fuerit. Pyxis ut purificata et abstersa fuit, ponitur extra corporale; nondum autem purificata, semper super corporale est ponenda, et intra tabernaculum recondenda; cum lumine tamen non est deferenda, nec ante eam est genuflectendum (2).

Not. 1. acriter reprehendendos esse illos, qui purificant quidem pyxidem, sed nec indice, nec vino, sed solo utuntur purificatorio : quoniam si in pyxide aliquod fragmentum remanserit, melius est, ut ibi persistat, quam ut purificatorio dispergatur cum certo perditionis et profanationis periculo.

Not. 2. ne fragmenta nimis multiplicentur in pyxide, hostias consecrandas cribro vel alio simili instrumento a micis vel adhærentibus particulis expurgandas esse, antequam ad altare afferantur vel ciborio imponantur.

283. Quæ hoc numero dicta sunt, applicanda quoque sunt s. Hostiæ in ostensorio seu remonstrantia positæ, quæ intra idem tempus renovari debet. Hic autem bene notandum est, non sufficere, ut sacerdos unam majorem hostiam consecret in remonstrantia ponendam, et veterem e remonstrantia desumptam frangat et sumat, sed requiri, ut consecret duas majores hostias, unam in remonstrantia ponendam,

(1) Vid. Merati p. 2, tit. 10, n. 32; Quarti loco cit Cavalieri tom. 4 dec. 65.

(2) Cavalieri loco cit. n. 7.

Digitized by Google

et alteram sumendam (1) : sacerdos enim de suo sacrificio participare debet. Hostiam, quam e remonstrantia desumpsit, sumit vel una cum altera quam consecravit (2), vel post sumptionem s. Sanguinis. Quoties s. Hostia in remonstrantia renovatur, toties lunula, cui imponitur, indice dextro purificanda est, ne sacræ particulæ forte adhærentes, deperdantur, aut corrumpantur : quapropter convenit, ut lunula ita sit confecta, ut aperiri queat.

DE SACERDOTE, QUI EODEM DIE PLURES MISSAS CELEBRAT.

Rub. de def. tit. IX, 4. *Si plures Missas in una die celebret, ut in Nativitate Domini, in unaquaque Missa abluat digitos in aliquo vase mundo, et in ultima tantum percipiat purificationem.*

In fine missæ vigiliæ nativitatis Domini *Sacerdos, quoniam in die Natalis Domini celebrat tres Missas, in prima et secunda Missa non sumat purificationem; sed in tertia Missa tantum : et in prima et secunda abluat digitos in aliquo vase mundo.*

---

284. 1. In illa missa, post quam sacerdos adhuc celebrare debet, præparandum est vasculum vitreum vel argenteum pro ablutione digitorum celebrantis; item capsula cum hostiis pro altera vel tertia missa. Huic usui bursa corporalis commode inservire potest. Hostia super patenam poni potest post sumptionem sacri Sanguinis, vel ante initium alterius missæ, vel etiam ad hujus offertorium.

2. Sacer Sanguis diligentius est hauriendus, ut quantum fieri potest, nihil supersit, præsertim circa labium calicis, ne patenæ, qua calix mox tegendus est, adhæreat. Sumpto

(1) Vid. tom. II, n. 175.
(2) Rub. de defect. tit. VII, n. 2 et 3.

Digitized by Google

sacro Sanguine, solita calicis purificatio facienda non est (1); sed sacerdos dicit *Quod ore sumpsimus*, et interea calicem in medio corporalis depositum, prius patena et deinde palla cooperit. Calix autem purificatorio nec abstergitur, nec cooperitur propter reliquias s. Sanguinis verosimiliter in calice relictas : uti nec os celebrantis abstergitur (2).

3. Deinde more solito dicit *Corpus tuum, Domine*, etc. et interea pollices et indices abluit in vase mundo, vitreo aut argenteo, ministro vinum et aquam de more infundente; vel digitos abluit in vasculo cum aqua jam prius parato, ut fit post distributionem SS^mi^ Communionis ; quam aquam vel sumit cum ultima ablutione in ultima Missa, vel in piscinam sacrarii effundendam reliquit. Iste secundus modus purificationis est magis expeditus et conformis praxi universali (3). Celebrans abstersis purificatorio digitis, vas locat in posteriori parte altaris juxta corporale, et palla alia cooperit, ac prope illud ponit purificatorium.

4. Postea calicem super corporali positum, velo cooperit, et deinde missam prosequitur.

5. Quamvis verosimiliter aliquid s. Sanguinis in calice remanserit, et species desiccatæ non sint, in transitu tamen, accessu et recessu non est genuflectendum, et sacerdos se vertens ad populum, ut alias, renes ad altare vertere debet (4). Calix tamen reverenter est tractandus, non nisi a ministro

(1) S. R. C. 10 Sept. 1702, n. 2104.

(2) Not. hic non esse applicanda quæ præscribuntur in dec. 11 Mart. 1858, n. 3068, infra allegando, quia in hoc decreto agitur de diverso casu, scilicet de duabus missis in ecclesiis dissitis et cum alio calice celebrandis; cum contra in hoc loco agatur de missis in eodem loco et cum eodem calice celebrandis : adeoque post sumptionem s. Sanguinis, calix palla non est tegendus, neque junctis manibus dicendum *Quod ore sumpsimus*, neque deinde calix more solito cooperiendus purificatorio; sed celebrans post sumptionem s. Sanguinis *calici statim imponat patenam et pallam, prout fit in duabus prioribus missis nativitatis Domini, dein calicem cooperiat velo*, ut supra explicatur, et ut auctores communiter præscribunt.

(3) S. R. C. 6 Febr. 1892, n. 3764, 15.

(4) S. R. C. 20 Jul. 1686, n. 1772, 7.

Digitized by Google

sacro tangendus et deferendus, semper ponendus super corporale sive intra sive extra altare, et si aliquo tempore servandus sit, semper in loco decente et clauso collocandus.

6. Post offertorium 2æ et 3æ missæ, sacerdos tollit velum calicis, calicem reponit versus cornu epistolæ sed intra corporale, et dum vinum et aquam infundit, calicem super corporale tenet, vel elevatum super mappam altaris. Potest etiam palla deponi ad cornu epistolæ, ut huic calix imponatur.

7. Ad offertorium 2æ et 3æ missæ celebrans transit ad cornu epistolæ, calix autem ante infusionem vini purificatorio extergi nequit; vinum et aqua ita caute infundenda sunt, ne guttæ intra calicem dispergantur; quod si guttæ dispersæ appareant, purificatorio extergi nequeunt, sed circumacto vino in fundo uniendæ sunt; si autem guttæ a fundo valde sint remotæ, ita ut sine periculo effusionis uniri nequeant, et non sit certum s. species esse exsiccatas, ita ut species vini et realis præsentia desierit et guttas extergere liceat, tunc quoad intentionem consecrandi faciendum est, quod dicetur tom. II, n. 152 et 153. Si tamen sacerdos post hanc missam adhuc tertiam celebrare teneatur; melius, ut videtur, formaret intentionem guttas in calice dispersas etiam consecrandi, ne eas guttas non consecratas sumendo frangeret jejunium ad tertiam missam requisitum.

8. Pretiosus Sanguis in singulis missis sumendus est ab eadem parte calicis. In ultima missa celebrans ablutis super calicem digitis, iisque abstersis, ablutionem e vasculo immittit in calicem, eamque sumit simul cum ablutione digitorum ultimæ missæ, ab eadem iterum parte calicis, qua sacer Sanguis sumptus fuit, vel illam relinquit in vase, post missam in sacrarium effundendam (1) : sumpta ablutione, os purificatorio extergit, et deinde calicem et vasculum.

9. In missa solemni, post quam idem celebrans adhuc celebrare intendit, sumpto s. Sanguine deponit calicem super corporale, et patenam ei imponit, subdiaconus autem pallam superponit. Dum celebrans de medio discessit, subdiaconus

(1) Martinucci lib. 2, c. 13, n. 27.

Digitized by Google

calicem velo cooperit, et relinquens corporale et bursam in altari, calicem defert ad credentiam, in qua eumdem ponit super corporale plicatum. In 2ª aut 3ª missa solemni diaconus ad offertorium accipiens calicem a subdiacono, eumdem super corporale deponit. Subdiaconus calicem non extergit, aquam autem more solito infundit. Diaconus pro infusione vini et aquæ calicem vel super pallam in cornu epistolæ deponit, vel super mappam elevatum tenet; vinum caute infundit, ne guttæ dispergantur, calicem autem non extergit, ut supra dictum est.

10. Si duæ vel tres missæ non successive et continuo, sed interrupte celebrentur, præcipue si idem calix interea ab alio celebrante adhibendus sit; tunc in illa missa, post quam interponitur mora, et ab altari receditur, in certis locis et juxta aliquos auctores calix post sumptionem sacri Sanguinis abluitur, hæc ablutio in aliud vas in altari præparatum effunditur, et deinde calix ut alias extergitur. Ablutio vel sumitur in ultima missa, vel in sacrarium mittitur. Hic modus affertur ut ab aliis allatus et alibi usurpatus; num autem licitus sit et permissus, superiorum judicio relinquitur; præferendus tamen est, prout præscribitur a S. R. C. (1).

285. Juxta idem decretum, si sacerdos duas missas eadem die in ecclesiis longe dissitis celebrare debeat, duos calices ob peculiares rationes adhibere potest, servata sequente instructione, scilicet « Quando sacerdos eadem die duas missas dissitis in locis celebrare debet, in prima dum divinum Sanguinem sumit, eum diligentissime sorbeat. Exinde super corporale ponat calicem, et palla tegat, ac junctis manibus in medio altari dicat : *Quod ore sumpsimus;* et subinde admoto aquæ vasculo, digitos lavet dicens : *Corpus tuum* etc. et abstergat. Hisce paractis, calicem super altari manentem adhuc, deducta palla, cooperiat, ceu mos est, scilicet primum purificatorio linteo, deinde patena ac palla, et demum velo. Post hæc missam prosequatur, et completo ultimo evangelio, rursus stet in medio

(1) 11 Martii 1858, n. 3068.

Digitized by Google

altari, et detecto calice inspiciat, an aliquid divini Sanguinis necne ad imum se receperit, quod plerumque continget. Quamvis enim sacræ species primum sedulo sorptæ sint, tamen dum sumuntur, quum particulæ quæ circum sunt, undequaque sursum deferantur, nonnisi deposito calice ad imum redeunt. Si itaque divini Sanguinis gutta quædam supersit adhuc, ea rursus ac diligenter sorbeatur, et quidem ex eadem parte, qua ille primum sumptus est. Quod nullimode omittendum est, quia sacrificium moraliter durat, et super exstantibus adhuc vini speciebus ex divino præcepto compleri debet.

„ Postmodum sacerdos in ipsum calicem tantum saltem aquæ fundat, quantum prius vini posuerat, eamque circumactam, ex eadem parte, qua sacrum Sanguinem biberat, in paratum vas demittat. Calicem subinde ipsum purificatorio linteo abstergat, ac demum cooperiat, uti alias fit, atque ab altari decedat.

„ Depositis sacris vestibus et gratiarum actione completa, aqua e calice demissa pro rerum adjunctis vel ad diem crastinum servetur (si nempe eo rursus sacerdos redeat missam habiturus) et in secunda purificatione in calicem immittatur, vel gossipio aut stupa absorpta comburatur, vel in sacrario, si sit, exsiccanda relinquatur, vel demittatur in piscinam.

„ Quum autem calix, quo sacerdos primum est usus, purificatus jam sit, si illo ipso pro missa altera indigeat, eum secum deferat, secus vero in altera missa diverso calice uti poterit. „

Hæc instructio generalis juris facta fuit ex eo quod fuerit inserta in Appendice Ritualis Romani, Titulo *De Sacramento Eucharistiæ*, et proinde ab omnibus est observanda.

Digitized by Google

Titulus XI.

—

DE COMMUNIONE ET ORATIONIBUS POST COMMUNIONEM DICENDIS.

Rub. 1. *Celebrante purificato, dum Calicem collocat in Altari, liber Missalis defertur per ministrum ad cornu Epistolæ, et collocatur ut in Introitu. Ipse autem minister genuflectit juxta cornu Evangelii, ut in principio Missæ. Deinde Celebrans stans junctis manibus legit Antiphonam, quæ dicitur Communio; qua lecta, junctis itidem manibus ante pectus vadit ad medium Altaris, et eo osculato, vertit se ad populum a manu sinistra ad dextram, et dicit* Dominus vobiscum, *et per eamdem viam redit ad librum, dicit Orationes post Communionem, eisdem modo, numero et ordine, ut supra dictæ sunt Collectæ. Quibus finitis, claudit librum, et jungens manus ante pectus, revertitur ad medium Altaris, ubi eo osculato vertit se ad populum, et dicit ut supra* Dominus vobiscum : *quo dicto, stans junctis manibus ante pectus versus populum, dicit, si dicendum est,* Ita Missa est, *et per eamdem viam revertitur ad Altare. Si vero non sit dicendum, dicto* Dominus vobiscum, *revertitur eodem modo per eamdem viam ad medium Altaris, ubi stans versus ad illud, junctis ante pectus manibus dicit* Benedicamus Domino. *In Missis autem Defunctorum eodem modo stans versus Altare, dicit* Requiescant in pace.

2. *In Quadragesima autem a Feria IV Cinerum usque ad Feriam IV majoris Hebdomadæ in feriali Officio, postquam Celebrans dixit Orationes post Communionem cum suis solitis conclusionibus, antequam dicat* Dominus vobiscum, *stans in eodem loco ante librum dicit* Oremus : humiliate capita vestra Deo, *caput inclinans, et extensis manibus, subjungit eadem voce Orationem super populum, ibidem posi-*

Digitized by Google

tam, qua finita, osculatur Altare, et vertens se ad populum dicit Dominus vobiscum, *et alia ut supra.*

---

286. *Translatio libri.* Dum sacerdos calicem extergit et cooperit, minister, delatis ampullis ad credentiam, transfert missale ad cornu epistolæ, incedens per planum, semper genuflectens in transitu medii altaris, et librum collocans in cornu epistolæ, ut ad introitum positum erat. Si minister sit impotens aut impeditus, ipse celebrans, dum calicem cooperuit, jungit manus ante pectus, caput cruci profunde inclinat (1), deinde accedit ad missale, illud transfert, caput cruci inclinans dum transit ante medium altaris, ac libro collocato in cornu epistolæ, statim legit communionem.

287. *Communio.* Sacerdos cooperto calice, manibus ante pectus junctis, caput cruci profunde inclinat (1); deinde accedit ad cornu epistolæ; ibi stans, junctis manibus, alta voce legit communionem, qua totaliter recitata et non prius, manibus junctis redit ad medium altaris.

288. *Dominus vobiscum et orationes.* Sacerdos accedens ad medium altaris illud osculatur in medio, manibus hinc inde super altare extensis et positis; deinde totaliter erectus se vertit ad populum per suam dextram, dicit *Dominus vobiscum* manus interim extendens et jungens ante pectus, et redit ad missale ut dictum est n. 212. Stans ante librum recitat orationes post communionem eisdem modo, numero et ordine, ut dictæ sunt collectæ ante epistolam, scilicet unam, duas aut plures pro numero collectarum, præmittendo eodem modo *Oremus* ante primam et secundam, manus similiter extendendo et jungendo, et has orationes concludendo secundum propriam earum exigentiam (2). Orationibus cum suis conclusionibus integre recitatis, et non ante, sacerdos claudit librum, nisi apertus sit relinquendus ad legendum aliud evangelium : quo casu si minister librum

(1) Vid. not. 210.
(2) Vid. n. 86 et 213.

Digitized by Google

non deferat, sacerdos eumdem statim transfert, ut dictum est n. 217; et deinde manibus junctis accedit ad medium altaris. Si non sit legendum aliud evangelium, clauso libro, statim manibus junctis revertitur ad medium altaris.

289. *Dominus vobiscum* et *Ite missa est.* Sacerdos reversus ad medium altaris, manibus super altare extensis et positis, illud osculatur in medio, se vertit ad populum, et dicit *Dominus vobiscum;* dicto *Dominus vobiscum,* manibus ante pectus junctis, stans adhuc versus populum, eadem alta voce dicit *Ite Missa est,* et deinde per eamdem viam manibus junctis revertitur ad altare; si vero non sit dicendum *Ite Missa est* (1), dicto *Dominus vobiscum,* statim revertitur eodem modo ad medium altaris, ubi stans versus ad illud junctis ante pectus manibus, prius cruci caput inclinat (2), et deinde dicit *Benedicamus Domino,* et in missis defunctorum *Requiescant in pace.*

290. *Oratio super populum.* In quadragesima a feria 4 cinerum usque ad feriam 4 majoris hebdomadæ, ut dicitur supra in rub. n. 2, in missis de feria, non autem in festivis, votivis aut de dominica, additur sub distincta conclusione oratio, quæ vocatur super populum. Sacerdos huic orationi præmittit *Oremus : humiliate capita vestra Deo,* manus ut alias ad *Oremus* extendens et jungens, caputque cruci inclinans; tum junctis manibus, caput profunde inclinans versus missale dicit *Humiliate capita vestra Deo :* deinde extensis manibus subjungit orationem; qua totaliter finita, claudit librum, et missam ut alias prosequitur. Celebrans dicens *Humiliate capita vestra Deo,* in missa licet cantata sine assistentia diaconi, numquam se vertit ad populum.

Not. 1. abusum esse, ante lectam totaliter communionem ad medium altaris reverti, et ante dictam integram orationis conclusionem librum claudere; et majorem adhuc abusum esse, communionem aut conclusionem orationis recitare eundo ad medium altaris. 2. Juxta quosdam librum clausum

(1) Vid. n. 94.
(2) Vid. not. n. 210.

Digitized by Google

ita ponendum esse, ut pars, qua aperitur, respiciat medium altaris seu Crucifixum, qui est agnus, *dignus aperire librum, et solvere signacula ejus;* contra juxta alios ita, ut pars posterior libri respiciat calicem, quia tunc seræ sunt ad manum ad aperiendum.

Titulus XII.

DE BENEDICTIONE IN FINE MISSÆ ET EVANGELIO S. JOANNIS.

Rub. 1. *Dicto* Ite Missa est, *vel* Benedicamus Domino, *ut supra, Celebrans ante medium Altaris stans junctis manibus super eo, et capite inclinato, dicit secreto* Placeat tibi sancta Trinitas, *etc. quo dicto, extensis manibus hinc inde super Altare positis, ipsum in medio osculatur : tum erigens se, adhuc stans versus illud, elevat ad cœlum oculos et manus, quas extendit, et jungit, caputque Cruci inclinans, dicit voce intelligibili* Benedicat vos omnipotens Deus, *et junctis manibus, ac demissis ad terram oculis, vertens se ad populum a sinistro latere ad dextrum, extensa manu dextra, junctisque digitis, et manu sinistra infra pectus posita, semel benedicit populo dicens* Pater, et Filius, † et Spiritus sanctus, R. Amen; *et circulum perficiens accedit ad cornu Evangelii, ubi dicto* Dominus vobiscum, *et* R. Et cum spiritu tuo, *pollice dextro signans primum signo Crucis Altare, seu librum in principio Evangelii, deinde frontem, os et pectus, dicit* Initium sancti Evangelii secundum Joannem, *vel* Sequentia sancti Evangelii, *ut dictum est in Rubricis generalibus, et* R. Gloria tibi Domine, *junctis manibus, legit Evangelium* In principio, *vel aliud ut convenit. Cum dicit* Et verbum caro factum est, *genuflectit versus cornu Evangelii, et surgens prosequitur ut prius : quo finito minister stans a parte Epistolæ respondet* Deo gratias.

2. *Si Celebrans in Altari vertit faciem ad populum, non*

Digitized by Google

vertit se, sed stans ut erat, benedicit populo, ut supra in medio Altaris : deinde accedit ad cornu Evangelii, et dicit Evangelium s. Joannis.

3. *Si celebravit coram Summo Pontifice, Cardinali, et Legato Sedis Apostolicæ, vel Patriarcha, Archiepiscopo, et Episcopo in Provincia, Civitate vel Diœcesi sua existente, Celebrans dicto* Placeat tibi, sancta Trinitas, *etc. dicit* Benedicat vos omnipotens Deus, *et convertens se ad summum Pontificem genuflexus ; ad Cardinalem vero, et Legatum, vel alium ex supradictis Prælatis capite inclinato, quasi licentiam benedicendi petens, prosequitur* Pater, et Filius, † et Spiritus sanctus, *benedicens adstantes a parte, ubi non adest Pontifex, Cardinalis, Legatus aut Prælatus prædicti. Si autem celebravit coram Patriarcha Archiepiscopo et Episcopo, extra eorum Provinciam, Civitatem, vel Diœcesim constitutis, eis absque alio respectu, ut cæteris, qui intersunt, more consueto benedicit.*

4. *Si autem celebravit pro Defunctis, dicto* Placeat tibi, sancta Trinitas, *ut supra, et osculato Altari, accedit ad cornu Evangelii, et dicit Evangelium s. Joannis, prætermissa benedictione, quæ in Missis Defunctorum non datur.*

5. *Finito Evangelio in fine Missæ, si celebravit coram Summo Pontifice, Cardinali, et Legato Sedis Apostolicæ, vel Patriarcha, Archiepiscopo, et Episcopo, convertit se ad illum, coram quo ex prædictis celebravit, et facit reverentiam convenientem. Si non celebravit coram aliquo prædictorum, hujusmodi reverentiam prætermittit.*

6. *Quibus omnibus absolutis, extinguuntur per ministrum candelæ : interim Sacerdos accipit sinistra Calicem, dextram ponens super bursam, ne aliquid cadat, descendit ante infimum gradum Altaris; et ibi in medio vertens se ad illud, caput inclinat (vel, si in eo est Tabernaculum ss. Sacramenti, genuflectit), et facta reverentia accipit biretum a ministro, caput cooperit, ac præcedente eodem ministro, eo modo, quo venerat, redit ad Sacristiam, interim dicens Antiphonam* Trium puerorum, *et Canticum* Benedicite. *Si vero sit dimissurus Paramenta apud Altare, ubi celebravit, finito Evan-*

Digitized by Google

gelio prædicto, ibidem illis se exuit, et dicit Antiphonam, Trium puerorum, *cum Cantico et aliis Orationibus, ut suo loco ponuntur.*

---

291. *Placeat tibi, sancta Trinitas.* Dicto *Ite Missa est* vel *Benedicamus Domino*, sacerdos ante medium altaris stans, manibus junctis et super altare positis, ac capite (non autem corpore) profunde inclinato, dicit secreto orationem *Placeat tibi, sancta Trinitas,* etc.

292. *Benedictio.* Oratione *Placeat* totaliter finita, et non prius, sacerdos extensis manibus hinc inde super altare positis, ipsum in medio osculatur; tum se erigens et adhuc stans versus altare, jungit manus ante pectus, et statim alta voce dicit *Benedicat vos omnipotens*, interim elevans oculos ad crucem, manus extendens elevansque usque ad humeros; et dicens *Deus* oculos demittit, manus jungit ante pectus, et caput cruci profunde inclinat : deinde manibus ante pectus junctis manentibus, et demissis ad terram oculis, mox se vertit ad populum per suam dextram; totaliter conversus, manu sinistra infra pectus posita, semel benedicit populo manu dextra extensa et in altum erecta in linea recta et transversa, junctis omnibus digitis, alta voce dicens *Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus,* scilicet sub prima linea quæ formatur manum attollendo ad frontem et deprimendo usque ad pectus, dicens *Pater* in initio, *et Filius* in termino, et sub altera linea quæ formatur ab humero sinistro ad dextrum, *et Spiritus Sanctus.*

Not. post osculum altaris manus ante pectus jungendas esse juxta rubricas in ritu celebrandi missam tit. IV, n. 3 et tit. V, n. 1, juxta quas manus extendendæ et elevandæ sunt, sed non ultra distantiam humerorum; ut enim ita tantum extendantur, necessario oportet, ut prævie jungantur, cum manus sub osculo altaris positæ sint extra distantiam humerorum.

293. *Evangelium.* Benedictione data, sacerdos manus jungit ante pectus, et perficiens circulum, seu absque eo

Digitized by Google

quod ad medium altaris revertatur, accedit ad cornu evangelii; ubi oblique (uti deducitur ex modo legendi alterum evangelium) stans, seu parum conversus per suam sinistram ad populum, alta voce et manibus junctis dicit *Dominus vobiscum,* deinde *Initium* aut *Sequentia s. Evangelii* etc.; interim dum dicit *Initium* aut *Sequentia* etc. pollice dextro signat librum, si eo utatur, vel tabellam, aut altare seu mappam si nec liber nec tabella adsit, sinistra posita super librum si eum signet, vel super altare, si tabellam vel altare signet; et deinde sinistra infra pectus posita, eodem pollice signat frontem, os et pectus, ut dictum est n. 219. Responso *Gloria tibi, Domine,* junctis manibus legit evangelium s. Joannis, aut aliud quod dicendum est. Dum dicit *Et Verbum caro factum est,* manibus hinc inde super altare positis flectit unico genu versus cornu evangelii, sed caput non inclinat: his verbis dictis, surgit, et junctis iterum manibus prosequitur *Et habitavit* etc. usque ad finem. Evangelio finito non osculatur ejus initium, nec dicit *Per evangelica dicta,* sed claudit missale, si illo usus fuerit.

294. Sacerdos, finito Evangelio, junctis manibus accedit ad medium altaris, ibi junctis adhuc manibus caput cruci profunde inclinat (1); deinde sinistra accipit calicem ad nodum, et dextram extensis et junctis omnibus digitis ponit super bursam, ne aliquid decidat; tum descendit ab altari, vertens se per suam dextram. Ut descendit ante infimum gradum, ibi in medio se vertit ad altare, et solum caput non autem corpus profunde inclinat, vel si in eo sit tabernaculum ss. Sacramenti, flectit unico genu. Facta hac reverentia, dextra a calice remota, accipit a ministro biretum, et caput cooperit, cavens ne aliquid de calice decidat; et reposita dextra super bursam, præcedente ministro, eo modo quo venerat, redit ad sacristiam, in discessu ab altari incipiens antiphonam *Trium puerorum,* et canticum *Benedicite* etc. quæ devote prosequitur inter vestium depositionem. Antiphona *Trium puerorum* duplicatur in festis duplicibus tantum,

(1) Vid. not. n. 210.

Digitized by Google

et tempore paschali in fine additur *Alleluja* juxta rubricas ad eamdem antiphonam positas : adeoque non duplicatur post missam solemnem votivam aut de *Requiem*, nisi festum duplex occurrat (1). Redux ad sacristiam, calicem adhuc tenens et tecto capite facit cruci vel imagini debitam capitis inclinationem ; deinde deponit prius calicem, et tum biretum; vestes exuit ordine retrogrado, quo se induit, osculans crucem manipuli, stolæ et amictus. Depositis vestibus, calicem quoque exuit, et purificatorium extensum appendit, ut siccetur. Tandem licet non præscribatur, convenit tamen ut manus abluat in reverentiam ss. Sacramenti, antequam res profanas cum iisdem contractet. Hæc ablutionis aqua in sacrarium projici deberet; et conveniens esset, ut duo manutergia in usum sacerdotum in sacristia appenderentur, unum ad abstergendas manus ante missam, et alterum ad easdem abstergendas post missam (2). Deinde decet ut sacerdos reliquas orationes in missali pro gratiarum actione positas recitet, vel saltem alias preces vel meditationem per horæ circiter quadrantem instituat.

Si sacerdos defectu sacristiæ vel alterius loci congruentis, paramenta sit dimissurus ad altare, finito ultimo evangelio, ibidem in cornu evangelii illis se exuit, interim dicens antiphonam *Trium puerorum* cum cantico *Benedicite*.

Not. Canticum *Benedicite* in recessu ab altari præscriptum esse, licet non sub obligatione peccati (3); non convenire tamen illius loco alias preces substituere.

295. An licet sacerdoti, finita missa, antequam ab altari discedat, ad gradus altaris aliquas preces recitare?

R. *In missæ celebratione alias preces addere* stricte prohibetur per bullam s. Pii V, initio missalis positam : et quamvis hæ preces recitentur finita missa, rubricæ tamen præscribunt, ut sacerdos post missam ad sacristiam redeat, dicat canticum *Benedicite*, et vestes exuat. Sic passio ex legato

(1) Cavalieri t. 3, c. 12, n. 1. — Cfr. n. 193, p. 243.
(2) Gavantus p. 2, tit. 12, rub. 6, in fine, et Merati ibid. n. 14.
(3) Quarti p. 2, tit. 12, dub. 3; Cavalieri t. 5, c. 2, n. 4.

Digitized by Google

post missam legenda, a sacerdote depositis sacris vestibus in altari vel in sacristia cum solo superpelliceo est recitanda juxta decreta S. R. C. (1). Similiter psalmi *Miserere* et *De profundis* aliæve preces, quæ sive ex devotione sive ex stipendii accepti obligatione post missam sunt recitandæ, exutis vestibus sacris et recitato cantico *Benedicite* dicendæ sunt : nam etiamsi breves sint preces, pro privata tamen sacerdotis aut petentium devotione non est invertendus ordo per missale præscriptus. Potest etiam, uti dictum est n° 275, sacerdos planeta adhuc indutus, antequam ab altari discedat, sacram Communionem ministrare. Expleta missa privata, sacerdos sacris indutus paramentis, potest cineres distribuere, et sanctorum Reliquias deosculandas præbere (2).

Preces aliquas ad altare post missam, non depositis sacris vestibus, recitare licet, dummodo dicantur assentiente ordinario (3). Similiter licet sacerdoti, post expletum missæ sacrificium, publice, occasione novendialis, vel in honorem ss. Cordis recitare preces, etiam in lingua vernacula, ad auditum populi fidelis adstantis, ita ut populus respondere valeat (4). Omnes hujusmodi preces ex approbatis sint oportet. Ex dictis patet Ordinarios posse præscribere in variis necessitatibus preces quasdam, statim finita missa dicendas.

Observanda veniunt sequentia pro recitatione precum a Summo Pontifice Leone XIII, 6 Januarii 1884, præscriptarum in fine cujusque missæ sine cantu celebratæ : Preces istæ dici debent post quamcumque missam privatam, seu sine cantu, etiam sub cantu, celebratam, immediate post ultimum evangelium, nulla interposita functione aut oratione alio titulo debita (5), totæ usque ad finem flexis genibus, vel in suppedaneo vel in infimo altaris gradu, pro libitu (6). Non præscribitur neque prohibetur inclinatio cruci altaris

(1) 31 Aug. 1669, n. 1393, et 11 Jul. 1820, n. 2603.
(2) S. R. C. 16 Mart. 1833, n. 2704.
(3) S. R. C. 31 Aug. 1867, n. 3157, 7.
(4) S. R. C. 27 Febr. 1882, n. 3537, 1 et 2.
(5) S. R. C. 23 Nov. 1887, n. 3682; 23 Jun. 1893, n. 3805.
(6) S. R. C. 18 Jun. 1885, n. 3637, 8.

Digitized by Google

antequam sacerdos, expleta missa, descendat ad præscriptas preces recitandas (1). Neque præscribitur, licet convenientius videatur, ut lecto ultimo Evangelio sacerdos accedat ad medium altaris priusquam descendat ad dicendas preces et potest, transite transverso, directe descendere a cornu Evangelii.

Sacerdos has preces cum populo recitare debet, ad *Ave Maria* populo respondente *Sancta Maria* et reliqua. *Salve Regina* recitari potest integre a populo simul cum sacerdote, vel alternatim versus recitantur, vel demum totum a sacerdote solo recitatur. Oratio et invocatio ad S^m^ Michaelem a solo sacerdote recitantur, populo in fine respondente *Amen*. Lingua vulgari has preces dicere licet et indulgentiæ precibus adnexæ valent quocumque idiomate recitentur, dummodo constet de fidelitate versionis, per declarationem præfecti S. Congregationis indulgentiarum, vel unius ex ordinariis loci ubi vulgaris est lingua in quam vertuntur preces (2).

Attamen si, missa absoluta, preces quædam infra sacrum publice peragendæ, uti sunt exercitia pia per mensem Octobris mane infra sacrum peragi solita, non sint finitæ, celebrans preces a SS. D^no^ Leone XIII in fine missæ præscriptæ, recitet immediate expleto ultimo evangelio, cum ministro solo (3).

In festo Nativitatis Domini sacerdos qui tres missas consecutive legit quin ab altari recedat, has preces recitabit tantum in fine ultimæ missæ (4). Si diversis horis cum interruptione missas celebrat, post singulam preces recitabit; si duas consecutive, post secundam recitabit preces, et iterum post tertiam quam separatim celebrabit. Si autem post missam lectam immediate celebrat missam solemnem aut cantatam, preces post missam lectam omittet (5).

(1) S. R. C. 18 Jun. 1885, n. 3637, 8.
(2) S. Congr. Indulg. 29 Dec. 1864, n. 415.
(3) S. R. C. 7 Nov. 1900, ad 3.
(4) S. R. C. 10 Maji 1895, n. 3855, 7.
(5) S. R. C. 11 Dec. 1896, n. 3956, 1.

Digitized by Google

Recte et decenter agunt ii qui calicem super altare relinquunt usque dum preces recitaverint et deinde ascendunt ad altare ut calicem assumant : siquidem minime decet una manu tenere calicem et altera tabellam orationum, aut hanc super bursam manu tenere : qualem orationis modum nusquam rubricarum regulæ permiserunt.

DE MINISTRO IN MISSA PRIVATA, EJUSQUE OFFICIO.

296. Requiritur minister sub mortali, ut certum est apud omnes, ait s. Alph. de Ligorio (1), nisi excuset necessitas : 1. dandi viaticum, 2. ut populus audiat missam de præcepto, 3. si incepta missa, maxime facta oblatione, minister discesserit, et aliquantulum expectatus, non revertatur; aut nisi summus Pontifex dispenset, sicuti ex rationabili causa dispensat cum missionariis et in aliquibus casibus peculiaribus (2).

297. In missa solemni plures ministri adhiberi et necessarii esse possunt; unus autem tantum admitti potest in missa privata, sive celebretur a simplici sacerdote, sive ab abbate aliisque prælatis aut dignitatibus Episcopo inferioribus, ut patet ex rubricis, quæ unius tantum mentionem faciunt, et ex pluribus decretis S. R. C. (3), quia solis Episcopis privatim celebrantibus convenit duos vel plures habere ministros (4). Unus etiam sufficit, quia, ut ait s. Thomas, hic gerit personam totius populi catholici, ex cujus persona sacerdoti pluraliter respondet. Hoc tamen intelligendum est de missis privatis stricte dictis; nam in missis parochialibus

(1) Lib. 6, n. 391, dub. 1.

(2) Bened. XIV, de sac. m. sect. 2, § 52; Merati p. 2, tit. 2, n. 5; Quarti p. 2, tit. 2, d. 1; Collet *Traité des ss. myst.*, ch. 12, n. 7; Fornici p. 1, c. 15; Bissus M. n. 162, § 4.

(3) S. R. C. 27 Sept. 1659, n. 1131, 21; 27 Apr. 1818, n. 2583, 6; 29 Aug. 1872, n. 3262, 18.

(4) Cærem. Episc. lib. I, c. 29.

Digitized by Google

et similibus, diebus solemnioribus, et in illis quæ celebrantur loco solemnis aut cantatæ occasione solemnitatis, duo ministri missæ inservientes tolerari possunt, et in his missis duo clerici a principio canonis usque ad communionem intorticia sustinere possunt (1).

298. Minister debet esse : 1° clericus (2), si is haberi queat, vel saltem masculus, ita quidem ut femina, licet etiam sanctimonialis, numquam ministrare possit, et urgente necessitate satius sit celebrare sine ministro, quam cum femina ministrante. Urgente tamen necessitate, si masculus deserviens haberi non possit, femina, maxime si sit sanctimonialis, longe ab altari respondere potest, sacerdote sibi ipsi vinum et aquam ministrante, ac librum transferente (3). Ex necessitate quoque et quum non facile sit alium inservientem invenire, in conservatoriis puellarum aliqua ex puellis vel monialibus, extra cancellos vel longius ab altari, missæ a capellano celebratæ inservire potest (4). Feminæ enim accessus ad ministrandum in altari numquam permitti potest (5).

2° Bene instructus, ne erret in agendo, præcipue ministrando aquam loco vini, quod defectu instructionis et attentionis ministri quandoque accidit, et 2° ne vel non, vel male respondeat, quod sæpissime fit. Dantur ministri qui fere omnia male pronuntiant, et nullum sensum reddunt, et alii qui tam festinanter omnia absolvunt, ut vix verbum intelligi possit. Parochi et alii, quibus cura ecclesiæ incumbit, id bene notare debent, ne ex ministrorum agendi modo, quales ipsi sint, innotescat. Minor tamen necessitas sufficere potest ad celebrandum cum ministro nesciente respondere, quam

(1) S. R. C. 12 Sept. 1857, n. 3059, 7 et 8.

(2) S. R. C. 23 Nov. 1602, n. 113, 6; Catalanus in cærem. Ep. lib. 1, c. 29, § 2, n. 3 et seq.

(3) S. R. C. 27 Aug. 1836, n. 2745, 8.

(4) S. R. C. 15 Mart. 1899, n. 4015, 6.

(5) Lib. III, Decret. tit. II, c. I; Merati p. 2, tit. 2, n. 4; Quarti p. 2, tit. 2, d. 1, diff. 3; s. Alph. de Ligorio l. 6, n. 392; Collet, *Traité des ss. myst.* ch. 12, n. 8; Vinitor p. 2, tit. 3, annot. 18; Bissus M. n. 162, § 1.

Digitized by Google

sine ministro, modo minister vinum et aquam etc. ministrare possit : in hoc enim casu sacerdos sibi ipsi respondere potest. Celebrans etiam non facile peccabit, si minister male pronuntiet, nisi suum esset ministrum instruere : unde exinde scrupulum facere non debet, nec facile errores corrigere, ne perturbet seipsum, circumstantes et ordinem missæ.

3° Modestus, superpelliceo indutus (1), vel saltem decenter vestitus (2), corpore nitidus, mundis manibus et facie, pexis crinibus, et non cum calceis ligneis et nudis cruribus.

299. *Officium ministri.* Prænotanda sunt sequentia : 1° Ejus locus ad altare est e regione missalis, videlicet ab initio missæ usque ad evangelium ad cornu evangelii, ab evangelio usque ad communionem ad cornu epistolæ, deinde ad cornu evangelii, et iterum a benedictione usque ad finem ad cornu epistolæ. 2. Extra utrumque evangelium semper flectit utroque genu in infimo altaris gradu, exceptis psalmo *Judica* et confessione, sub quibus flectit in plano paulo post celebrantem ; et stat intra utrumque evangelium, genuflectendo cum celebrante, quandocumque hic infra evangelium genuflectit. 3. In accessu, discessu et transitu ante medium altaris uno genu semper cruci altaris in plano flectere debet. 4. Advertat ne tergum umquam altari vertat : quapropter vertendo, faciem ad altare semper conversam habeat. 5. Campanulum bis tantum pulsat juxta rubricas, scilicet ad *Sanctus* et sub utraque elevatione ; in pluribus tamen locis etiam pulsari solet ante consecrationem, et ad elevationem ante *Pater Noster* et iterum ad *Domine, non sum dignus,* sicut etiam ad initium missæ. Quando pulsatio omittenda sit, vid. n. 189. 6. Celebranti reverentiam exhibet, antequam ei ministret, et postquam ministraverit. 7. Osculatur ampulla, antequam celebranti porrigat, et cum ab eo receperit, nisi sit missa de *Requiem ;* numquam autem osculatur manum celebrantis juxta rubricas in ritu celebrandi missam tit. VII, n. 4.

Minister in accessu ad altare defert missale super brachium

(1) Rub. in ritu celeb. tit. II, n. 1 ; S. R. C. 7 Sept. 1861, n. 3108, 3.
(2) Direct. sacerd. c. 1, § 4 ; Vinitor p. 2, tit. 16, annot. 11 et 12.

Digitized by Google

sinistrum, et dextra pelviculam cum ampullis : si missale tantum gestandum sit, illud portat ambabus manibus ad angulos inferiores ante pectus, vel forte potius etiam super brachium sinistrum, ut dextram liberam habeat, ad ministrandum celebranti. Si hæc ad altare præparata habeantur, incedit manibus junctis. Paratus in sacristia se sistit a sinistris paulo post celebrantem, cum illo profundam cruci vel imagini facit reverentiam, et ante illum præcedit ad altare oculis demissis et incessu modesto. Ad januam sacristiæ, si dextram liberam habeat, sumit aquam benedictam, eam celebranti porrigit, et deinde seipsum signat. Si transeundum sit ante tabernaculum, altare maximum, aliudve altare infra missam inter consecrationem et communionem, genuflectit unico genu a sinistris celebrantis; et si ante ss. Sacramentum expositum, infra consecrationem alicujus missæ ante mensam ad quam sacra communio distribuitur, genuflectit utroque genu a dextris celebrantis, ejusque biretum infra genuflexionem recipit.

Cum ad altare pervenerit, et aditus sit a cornu epistolæ, unum vel duos passus ab infimo gradu recedit, ut celebrans libere transeat, cui tunc in transitu reverentiam exhibet. Ad altare se sistit ad cornu epistolæ, dextra accipit biretum celebrantis cum osculo illius, tum genuflectit unico genu in plano, et deinde biretum in gradu altaris vel alio loco opportuno deponit, non autem super credentiam, et multo minus super altare. Tum ascendit, et missale deponit super cussinum vel legile cum apertura versus medium altaris, ipsum autem aperire nequit (1); et recedens per planum, genuflectens in medio ante altare, vadit ad cornu evangelii seu ad sinistram celebrantis, ubi in plano flectit utroque genu paulo post illum, manibus decenter junctis, sicuti per totam missam.

Celebrante incipiente et se signante, se etiam signat, et deinde non amplius advertere debet quemcumque in alio altari celebrantem. Respondet celebranti, caput profunde

(1) S. R. C. 7 Sept. 1816, n. 2572, 5.

Digitized by Google

inclinat sub *Gloria Patri*, se signat ad *Adjutorium*, manet erectus infra confessionem celebrantis, respondet *Misereatur* aliquantulum conversus ad celebrantem, deinde dicit *Confiteor* profunde inclinatus versus altare, manensque inclinatus sub *Misereatur* inclusive, dicens *tibi Pater*, et *te Pater* aliquantulum se convertit ad celebrantem, et ad *mea culpa* etc. ter pectus modeste percutit. Cum post *Misereatur* responderit *Amen*, se erigit. Ad *Indulgentiam* se signat, et deinde aliquantulum inclinatus, respondet ad versus sequentes. Dum celebrans incipit altare ascendere, surgit et genuflectit in infimo altaris gradu.

Signat se cum celebrante ad principium introitus, sicut etiam in fine hymni *Gloria* et symboli et ad *Benedictus*. Cum sacerdos alta voce dicit *Oremus* aut ss. nomen Jesu, caput versus crucem profunde inclinat, quemadmodum caput quoque inclinat versus altare ad nomen Mariæ, Sancti cujus fit officium aut commemoratio, ac Summi Pontificis.

Dum celebrans ante orationes dicere debet *Flectamus genua*, respondet *Levate*. Infra graduale accedit per planum ad latus celebrantis in cornu epistolæ, librum transfert, cavens ne tergum altari vertat, et in plano in medio ante altare genuflectens, eumque sic locans in cornu evangelii, ut posterior pars libri fere ipsum altaris cornu respiciat. Libro deposito, accedit per planum ad cornu epistolæ, ibique infra evangelium stat ante infimum altaris gradum. Initio evangelii se signat in fronte, ore et pectore, illoque finito, iterum genuflectit.

Cum celebrans legit offertorium, accedit ad credentiam; dextra accipit ampullam vini ad inferiorem partem ansæ oppositam, et sinistra ampullam aquæ; atque revertitur ad altare in cornu epistolæ, ubi stans celebrantem exspectat. Celebranti accedenti reverentiam exhibet; deinde dextra ampullam vini offert, eam prius osculando, non autem manum celebrantis; tum ampullam aquæ dextra accipit, et ampullam vini sinistra a celebrante recipit, eam iterum osculando : deinde dextra ampullam aquæ præsentat, eam similiter osculando. Ministratis ampullis, reportat ampullam vini ad

Digitized by Google

credentiam. Tum dextra accipit ampullam aquæ, sinistra pelviculam, et manutergium sinistra infra pelviculam vel potius super brachium sinistrum, accedit ad altare in cornu epistolæ, ibique stans in gradu ante suppedaneum, celebrantem exspectat. Celebrantem accedentem salutat, pelviculam ita elevat, ut celebrans se inclinare non debeat, aquam caute effundit super ejus indices et pollices, donec det signum desinendi, et tunc latus sinistrum vertit versus celebrantem, ut hic manutergium facilius capere possit. Manibus tersis, iterum salutat celebrantem, et recedit ad credentiam, super quam omnia ordinate deponit. Non oportet ut ante et post ministrationem ad medium altaris accedat ad genuflectendum.

Revertitur ad locum suum et genuflectit. Cum celebrans dixerit *Orate, fratres,* mox respondet *Suscipiat,* et expectare non debet, donec celebrans ad altare conversus fuerit. Ad *Sanctus* pulsat campanulam modeste, vel ter cum aliqua distinctione, vel continuo. Postea ante elevationem, ubi est usus, accendit cereum seu intorticium in cornu epistolæ. Ante consecrationem tempestive genuflectit in gradu supremo seu suppedaneo ad dextram celebrantis, et dum celebrans elevat sacram Hostiam, manu sinistra elevat partem inferiorem casulæ, eam in medio accipiendo ; quod et facit in elevatione calicis : et manu dextra pulsat campanulam, vel ter ad utramque elevationem, scilicet : 1° dum celebrans genuflectit, 2° dum elevat, et 3° dum deponit sacram Hostiam aut Calicem, vel continuate, quousque sacerdos deponat Hostiam aut Calicem super corporale. Deinde genuflectit in loco suo.

Post sumptionem sacræ Hostiæ vadit ad credentiam, capit ampullam vini dextra et ampullam aquæ sinistra, redit ad altare in cornu epistolæ juxta celebrantem, ibique genuflectit, et deinde stans exspectat, se inclinando infra sumptionem sacri Sanguinis. Eo sumpto, infundit vinum in calicem, cavens a nimia infusione, et attendens ad signum cessandi, si quod dederit celebrans. Sumpta purificatione, fundit prius vinum et deinde aquam super pollices et indices celebrantis, attendens ad signum cessandi, quod celebrans dat pollicem elevando. Si qui sint communicandi, post sumptionem sacri

Digitized by Google

Sanguinis extendit linteum ante illos, dicit pro eis confessionem genuflexus, infra distributionem genuflectit in gradu laterali, ne tergum vertat ss. Sacramento, et communione distributa ministrat vinum et aquam ut supra dictum est. Ampullis ad credentiam relatis extinguit cereum, si ad elevationem accensus fuerit; et transfert missale a cornu evangelii cavens ne tergum vertat altari, incedens per planum, et genuflectens in medio altaris, illudque collocat in cornu epistolæ ut initio missæ. Missali deposito, descendit per gradus laterales, per planum accedit ad cornu evangelii, ibique in infimo gradu genuflectit ut in principio missæ.

Si celebrans post orationem librum apertum relinquat, et aliud igitur evangelium legendum sit, mox surgit post *Ite missa est*, et missale transfert, ut supra ad evangelium dictum est. Ad benedictionem genuflectit in plano ante medium altaris; deinde accedit ad cornu epistolæ, ibique stat ante infimum gradum, donec celebrans finita missa descendit. Genuflectit ad *Et Verbum caro factum est.* Tempestive affert biretum, missale et alia ad sacristiam reportanda, porrigit celebranti biretum, et facta genuflexione, eodem modo quo venerat, redit ante celebrantem ad sacristiam. Ibi facit reverentiam cruci vel imagini, et deinde ipsi celebranti. Tandem omnia propriis locis deponit.

Si duo ministri in aliquibus casibus, de quibus dictum est n. 297, adhibeantur, ipsi se gerunt et ministrant, sicut dicetur n. 309 ad III.

Notandum, ministro missæ privatæ, etiamsi si sacerdos aut clericus, non permitti aperire missale, præparare calicem, ipsumque extergere et cooperire (1).

DE MISSA CANTATA SINE DIACONO ET SUBDIACONO.

Rub. ritu celeb. M. tit. VI, n. 8. *Si quandoque Celebrans cantat Missam sine Diacono et Subdiacono, Epistolam cantat*

(1) S. R. C. 7 Sept. 1816, n. 2572, 6.

Digitized by Google

in loco consueto aliquis Lector Superpelliceo indutus, qui in fine non osculatur manum Celebrantis; Evangelium autem cantat ipse Celebrans ad cornu Evangelii, qui et in fine Missæ cantat Ita missa est, *vel* Benedicamus Domino, *aut* Requiescant in pace, *pro temporis diversitate.*

---

300. Hæc missa regulariter celebratur sicut privata seu simpliciter lecta : celebrans in confessione ad verba *Vobis fratres, Vos fratres, Misereatur vestri* se non convertit ad ministrum; non datur pax nisi cum instrumento; in accessu ad altare, et similiter in recessu celebrans calicem, et acolythus missale more solito deferre possunt; vel clericus, si est in sacris, ante accessum calicem ad altare deferre, corporale explicare, et missale super altare apertum collocare valet; et similiter dum celebrans legit communionem, clericus si est in sacris calicem ab altari removere, et ad credentiam referre potest (1), in quo casu celebrans manibus junctis ad altare accedit, et ad sacristiam revertitur (2); celebrans ad *Kyrie, Gloria* et *Credo* sedere potest (3); omnia, quæ alias in missa solemni cum diacono et subdiacono cantantur, a celebrante etiam cantantur in locis, in quibus eadem legit in missa privata, præter epistolam, quam in loco, ubi cantari solet in missa solemni, cantat aliquis assistens : perinde est, sive hic assistens sit sacerdos, sive diaconus aut subdiaconus, sive acolythus, modo sit lector, ut liquet supra ex rubricis; et si hic etiam haberi nequeat, quilibet clericus adhiberi potest, modo recte et decenter eo officio fungi possit (4); si autem non adsit clericus, satius erit quod ipsa epistola legatur sine cantu ab ipso celebrante; nunquam vero in ecclesiis monialium decantetur ab una ex iis (5); quæ in

(1) S. R. C. 6 Dec. 1901 in *Placen.*
(2) Memoriale rit. pro min. eccl. tit. 1, c. 2, § 4, tit. 2, c. 2, § 3.
(3) Merati p. 2, tit. 6, n. 46; Bauldry p. 3, c. 12, n. 1.
(4) S. R. C. 22 Jul. 1848, n. 2965. 4; Lohner p. 6, tit. 6, rub. 8, c.
(5) S. R. C. 23 Ap. 1875, n. 3350. Ephem. Lit. 1889. P. 404 et 682.

Digitized by Google

missa privata alta voce dicuntur, et in missa non cantantur, submissa voce dicenda sunt, excepta benedictione in fine missæ, quæ alta voce dari debet (1); omittitur commemoratio simplicis, et pariter oratio imperata in festis 2 classis (2); plures ministri adhiberi possunt, ut infra dicetur.

Dubitatur an in hac missa *Kyrie eleison* dicendum sit ad cornu epistolæ, an in medio altaris. Juxta Gavantum et Lohner (3) dicendum est ad cornu epistolæ, et certo si acolythi in hac missa sub introitu assistant ad latus celebrantis, ad cornu epistolæ dicendum esse videtur; si autem ministri ut in missa privata genuflectant in gradibus altaris, satius videtur *Kyrie* dicere in medio altaris, ut sacerdos coram imagine Crucifixi hanc orationem ex corde proferat, cum sacerdos et minister in casu se invicem tam bene audire possint, quam ad cornu epistolæ.

Dubitatur an incensatio in hac missa sit facienda. Plures censent illam esse omittendam ad introitum, et fieri posse ad evangelium, offertorium et elevationem, saltem in majoribus solemnitatibus. Sed ubique omittenda est : tum quia rubricæ incensationem tantum præscribunt pro missa solemniter cantata cum diacono et subdiacono; tum quia S. R. C. ad petitionem : *an quando missa canitur sine ministris, thurificari possit tam altare quam chorus, ut alias fit, quando ministri adsunt?* respondit *negative* (4). Quidam objiciunt decreta agere de missa conventuali, quæ cum diacono et subdiacono faciliter cantari valet; et idcirco si in hac incensatio sit facienda, etiam diaconus et subdiaconus sunt adhibendi : cum autem missa conventualis semper celebrari non debeat cum diacono et subdiacono, exinde nullatenus concludi potest, in hac incensationem non esse faciendam, quia diaconus et subdiaconus faciliter assistere possunt; et proinde dicendum est S. R. Congregationem thurificationem in missa conventuali non permittere, quia est missa sine sacris ministris cantata,

(1) Vid. n. 110.
(2) Vid. n. 70, annot. 1.
(3) Gavantus p. 2, tit. 6, in fine; Lohner p. 2, tit. 9, rit. sol. n. 1.
(4) 19 Aug. 1651, n. 937, 3; item, 18 Dec. 1779, n. 2515. 8.

Digitized by Google

et decreta igitur extendi ad missam parochialem et quamcumque aliam sine diacono et subdiacono cantatam. Neque hic obstat memoriale rituum, quod pro minoribus ecclesiis feria sexta in parasceve Domini altaris incensationem præscribit, quia hoc est quid speciale huic officio proprium, quod neque in cœna Domini neque in sabbato sancto præscribit. Neque obesse debet solemnitas festi, cujus missa, uti aliqui dicunt, si sine incensatione cantanda sit, vix differret a cantata missa feriali : notandum enim est, solemnitatem esse quærendam, non in illis quæ non decent, sed in ornatu altaris et ecclesiæ aliisque plurimis, quæ rectoris arbitrio remittuntur (1). Unde S. R. Congregatio declaravit (2) in missa, quæ cum cantu, sed sine ministris celebratur, incensationes omnes omittendas esse. Nec potest sine speciali indulto tolerari usus incensi ex consuetudine immemoriali, in missis quæ cantantur sine ministris sacris si, præ inopia sacerdotum, hi inveniri non valeant (3).

Referuntur nihilominus indulta et concessiones pro determinatis locis vel ordinibus religiosorum (4), quibus permittitur incensatio altaris in missis cantatis quibusdam diebus vel festis per annum aut quoties ss. Sacramentum publice est expositum (5).

II. Hæc missa cantari potest cum uno ministro, et tunc, si ad sacros ordines sit ordinatus (6), hic superpelliceo indutus, potest folia vertere, et calicem discooperire, ipsumque mundare, vinum et aquam infundere, eumdemque calicem infra actionem palla cooperire et discooperire juxta opportunita-

(1) Circa hoc dub. vid. Merati p. 2, tit. 6, n. 44; Quarti p. 2, tit. 4, sect. 1, dub. 4; Cavalieri t. 3, dec. 88, n. 9; De Conny liv. 1, ch. 10; Bouvry hoc loco; *Mél. théol.* sér. 6, fol. 283; *Rev. théol.* sér. 1, fol. 305, et sér. 3, fol. 536; *Revue des sciences ecclésiastiques,* 1861, fol. 189.

(2) S. R. C. 18 Mart. 1874, n. 3328, 1.

(3) S. R. C. 9 Jun. 1884, n. 3611.

(4) S. R. C. 7 Dec. 1888, n. 3697, 3.

(5) Indultum concessum diœcesi Luxemburgensi, 9 Jun. 1864; diœcesi Urgellensi 7 Jul. 1886; episcopis Americæ Latinæ, ad decennium, 1 Jan. 1900.

(6) S. R. C. 6 Dec. 1901 in *Placen.*

Digitized by Google

tem, nec non ipsum tergere post communionem suisque ornamentis instruere (1). Circa finem ultimæ orationis accipit librum epistolarum de credentia, et facta genuflexione in medio ante altare, cantat epistolam loco et more solito; qua cantata, non osculatur manum celebrantis, neque ab eo benedicitur, sed facta iterum genuflexione in medio ante altare, librum reportat ad credentiam. Deinde missale defert ad cornu evangelii. Celebrans post epistolam sibi ipsi respondet.

III. Cantari etiam potest cum duobus acolythis : et hos in missa cantata permitti, patet ex dec. S. R. C. (2), quo duo ministri in missa lecta tolerantur ratione solemnitatis.

Hi acolythi superpelliceis induti, candelabra non deferunt (3), sed manibus junctis ac nudo capite ante celebrantem ad altare pares procedunt. Sub confessione hinc inde in plano genuflectunt paulo post celebrantem, eique respondent.

Cum ministri, si sint in sacris, possint, juxta decretum jam citatum (4), folia missalis vertere, calicem discooperire, ipsumque mundare, vinum et aquam infundere, eumdemque calicem infra actionem palla cooperire et discooperire juxta opportunitatem, nec non ipsum tergere post communionem, suisque ornamentis instruere; inde etiam sequitur, ipsos infra missam non in infimo gradu altaris genuflexos manere, sed celebranti ad altare assistere. Unde facta confessione, surgunt, ad cornu epistolæ accedunt, ibi celebranti assistunt, folia vertunt, et respondent, cum opus fuerit. Ad *Gloria* similiter juxta celebrantem assistunt.

Si celebrans sessurus sit, eum comitantur, casulam elevant, et biretum porrigunt; celebrante sedente, persistunt apud eum; et si ipsi sedeant, numquam tamen sedent cum celebrante in eodem scamno, sed vel in gradibus altaris, vel super alio scabello. Dum tempus est surgendi, biretum celebrantis recipiunt, et super scamnum reponunt, celebrantemque ad altare præcedunt.

(1) S. R. C. 25 Sept. 1875, n. 3377, I.
(2) 12 Sept. 1857, n. 3059, 7.
(3) De Conny liv. 2, ch. 4; Baldeschi p. 2, tit. 2, ch. 12, n. 5.
(4) S. R. C. 25 Sept. 1875.

Digitized by Google

Circa finem ultimæ orationis primus acolythus capit librum de credentia, et cantat epistolam, ut supra jam dictum est. Qua cantata et facta genuflexione in medio ante altare, librum reportat ad credentiam, et deinde revertitur ad locum suum. Interim alter celebranti assistit, ei in fine epistolæ respondet *Deo gratias*, et recitato graduali, missale defert ad cornu evangelii.

Sub evangelio et symbolo celebranti assistunt. Lecto offertorio primus calicem discooperit et extergit, atque vinum et aquam infundit. Alter ampullas ministrat. Ad manuum lotionem unus ministrat ampullam aquæ cum bacili, et alter mappulam.

Ante elevationem, si alii adsint clerici, duo intorticia accendi possunt, quæ extinguuutur post elevationem, nisi aliqui sint communicandi, vel nisi in diebus jejuniorum et in missis defunctorum, in quibus tenentur accensa usque ad communionem (1); si unus tantum adsit clericus, tunc secundus acolythus cum eo vadit ad sacristiam, et intorticium defert; si alii non adsint quam duo ministrantes, intorticia ipsi deferunt, vel intorticia non accenduntur, et eorum loco candelæ in majoribus candelabris ante altare positæ, accendi possunt.

Ad elevationem genuflexi in supremo gradu altaris, casulam elevant. Ille qui a dextris assistit, calicem discooperit, et cooperit, sicut deinde facit per totam missam.

Ad sumptionem unus ampullas ministrat, et missale defert ad cornu epistolæ. Alter calicem extergit, cooperit et defert ad credentiam.

Finita missa, dum celebrans ab altari descendit, primus ei biretum porrigit, et tum facta genuflexione, ambo ante celebrantem ad sacristiam procedunt.

IV. Cum incensatio missæ sine diacono et subdiacono ex specialibus indultis alicubi fiat, nonnulla superaddenda sunt.

Procedunt ad altare, thuriferarius a dextris alterius acolythi si adsit, tum duo acolythi cum candelabris, et deinde

(1) S. R. C. 12 Sept. 1857, n. 3039, 8.

Digitized by Google

celebrans. Ad altare acolythi genuflexione facta, candelabra super credentiam deponunt, et reversi genuflectunt hinc inde paulo post celebrantem, eique respondent, ac se gerunt ut supra. Thuriferarius et alius acolythus genuflectunt apud credentiam.

Thuriferarius ad introitum et offertorium ministrat thuribulum, et alius acolythus naviculam more solito, et infra incensationem ambo planetam elevant. Unus ex ceroferariis missale amovet. Finita incensatione thuriferarius celebrantem incensat.

Ante *Munda cor* thuriferarius et navicularius, si adsit, accedunt ad celebrantem, qui incensum imponit. Tum etiam ceroferarii, acceptis candelabris, ad altare accedunt, et dum celebrans ad cornu evangelii procedit, thuriferarius et ceroferarii per planum ad idem cornu accedunt, ibique extra gradus se sistit thuriferarius medius inter ceroferarios, stantes facie ad celebrantem conversa, librum quasi in medio habentes. Celebrans librum more solito incensat, cantato evangelio, librum osculatur, et eodem loco stans a thurifer-rario incensatur. Deinde celebrans accedit ad medium altaris, et thuriferarius ac ceroferarii ad credentiam.

Ad elevationem thuriferarius ss. Sacramentum more solito incensat.

V. Cæremoniarius in hac missa adhiberi potest; et eo deficiente thuriferarius, si aptus sit, officium cæremoniarii etiam implere potest, quatenus officium proprium permittit.

Cæremoniarius si assistat, accedit ante celebrantem post acolythos ad altare, accipit biretum celebrantis, ei respondet, assistit ad incensationem, ad introitum, orationes, epistolam, etc.

VI. Quominus organa pulsentur quando canitur præfatio aut oratio dominicalis, obstat cæremoniale episcoporum (1). Intonationes hymni angelici ac symboli, necnon singulæ modulationes a celebrante in missa cantata exequendæ, videlicet orationum, præfationis, orationis dominicæ, etc.

(1) S. R. C. 27 Jan. 1899, n. 4009.

Digitized by Google

cum relativis responsionibus ad chorum pertinentibus, ex præcepto servari debent prout jacent in missali et quæcumque contraria consuetudo quarumdam ecclesiarum est eliminanda (1). In missa cantata, sicut in solemni, a schola omnia debent cantari quæ ad missam proprie pertinent sive ex ordinario, sive ex proprio vel de communi. Cfr. dicta nn. 108-114. Permittitur in missa solemni et cantata alios textus addere ad libitum, in iis videlicet missæ intervallis, in quibus nihil ex lege missalis exsequi schola cantorum debet. Sed hi textus sint linguæ latinæ, ex s. Scriptura, officio divino, hymnis et precibus probatis (2).

301. Hoc loco notandum : 1° Non licet usus missam solemnem cantandi cum solo diacono vel subdiacono, quum alteruter ministrorum præsto non est (3). Deficiente tamen subdiacono, alius constitutus in minoribus ordinibus, vel modo saltem sit clericus, paratus absque manipulo, officio subdiaconi, data necessitate, in missa solemni fungi potest (4).

2° Ubi desunt diaconus et subdiaconus, duo laici sive juvenes sive uxorati indui nequeunt vestibus sacris, nimirum amictu, alba, cingulo, tunica vel dalmatica, licet stola et manipulo exceptis, quorum alter diaconi et alter subdiaconi munere fungi censetur, quin tamen aliquam functionem ad hos sacros ordines pertinentem obeant, ita ut celebranti tantum assistant, ut inde major sit missæ solemnitas; sed talis consuetudo, ubi existit, tamquam abusus omnino est eliminanda, et missa in eo casu per solum presbyterum cantanda (5).

3° Missa lecta, sive a simplice sacerdote sive ab Episcopo, cum diacono et subdiacono paratis celebrari nequit. Unde S. R. C. decrevit : 1° loco missæ solemnis cum cantu, ad

(1) S. R. C. 14 Mart. 1896, n. 3891.

(2) S. R. C. ordinatio 6 Jul. 1894, VII.

(3) S. R. C. 16 Mart. 1861, n. 3104, 2; Quæst. in confer. eccles. diœc. Mechl. 1874 ex Lit. I.

(4) S. R. C. 5 Jul. 1698, n. 2002, 13; 18 Dec. 1784, n. 2525, 1; 22 Jul. 1848, n. 2965, 4.

(5) S. R. C. 11 Sept. 1847, n. 2952.

Digitized by Google

evitandam diuturniorem moram, celebrari non posse missam lectam, eidem inservientibus diacono et subdiacono, dalmatica et tunica indutis (1); 2° in missa exequiali, corpore præsente, si non cantetur, adhiberi non valere diaconum et subdiaconum sacris indumentis paratos (2); 3° in ordinationibus generalibus non approbari missam non cantatam cum ministris (3).

Not. in sequentibus numeris, qui agunt de missa solemni, officia celebrantis, diaconi et subdiaconi confundi quidem, sed pro majori brevitate et etiam claritate, ut scilicet officia quæ omnia ad se invicem referuntur, una eademque lectione comprehendantur : ita tamen distincte proponi et tractari, ut, quæ ad solum celebrantem spectant, regulariter incipiantur per vocem *celebrans;* quæ ad diaconum et subdiaconum simul, per voces *diaconus et subdiaconus;* quæ ad solum diaconum per vocem *diaconus;* quæ ad solum subdiaconum per vocem *subdiaconus;* per alias autem voces illa quæ omnibus sunt communia.

MISSA SOLEMNIS.

302. Per missam solemnem hic intelligitur omnis illa, quæ celebratur in cantu cum diacono et subdiacono, sive sit missa conventualis sive alia, sive votiva aut de *Requiem;* cui conveniunt thurificatio, pax et reliqua omnia, quæ in rubricis de missa solemni præscribuntur. Aliquando quidem cantatur missa cum ministris sacris sed absque incensatione, sine pace, subdiacono portante calicem ad altare, non tenente patenam etc. ut appareat differentia inter dies solemnes et minus solemnes : in rigore tamen loquendo dicendum est, hæc fieri contra rubricas. Quapropter S. R. C. (4) declaravit

(1) 21 Jul. 1855, n. 3031, 1.
(2) S. R. C. 6 Feb. 1858, n. 3066, 1.
(3) 27 Aug. 1707, n. 2179, 2; 20 Mart. 1869, n. 3203.
(4) 14 Ap. 1753, n. 2424, 3, et 29 Nov. 1856, n. 3039, 6.

Digitized by Google

non esse tolerandam consuetudinem, missam solemnem licet de *Requiem* cum diacono et subdiacono cantandi sine incensatione. Rubricæ enim nullam distinctionem faciunt quoad dies magis vel minus solemnes, et omnia æqualiter præscribunt pro quacumque missa solemni : ita ut sola distinctio admittenda et approbanda sit, quæ consistit in majori vel minori apparatu altaris et ministrorum, in plurium cereorum accensione, et similibus, quæ arbitrio rectorum remittuntur, non vero in ritibus præscriptis in actu celebrationis (1).

303. Notandum quoad conformitatem celebrantis et ministrorum in actionibus communibus, scilicet easdem, quantum fieri potest, conformes et simultaneas esse debere. Ut ista conformitas servari possit, inferior superiori se conformare debet : ita ut, si actio sit celebranti et ministris communis, actio celebrantis sit regula, cui ministri sese conforment; et, si actio diacono et subdiacono sit communis, subdiaconus diacono se conformet : oportet autem, ut celebrans et diaconus communes actiones exacte componant, cum alias conformatio aliorum sit impossibilis. Si tamen celebrans et diaconus actiones negligenter exerceant, easdem omittendo, vel debito majores aut minores faciendo, tunc aliis actiones quoque omittere, vel majores aut minores facere sæpius expedit, ne major fiat difformitas et confusio. Unde dum celebrans et ministri simul genuflectunt, eodem tempore omnium genu debet demitti, terram tangere, et erigi; dum simul sese inclinant, corpus et caput æque profunde inclinare, eodem tempore demittere et erigere debent; dum incedunt, eodem modo latus aut faciem vertere, et eodem passu procedere debent.

Not. 1. Diaconum et subdiaconum per totam missam manus ante pectus junctas tenere, nisi actione impediantur, vel sedeant. Quandocumque una manu aliquid agunt, aliam pectori admovent. 2. Illos genuflectere manibus ante pectus junctis, et numquam super altari positis. 3. Illos numquam

(1) Gavantus p. 2, tit. 2, rub. 5; Vinitor p. 4, tit. 10, n. 2; Quarti p. 2, tit. 4, sect. 1, dub. 4; Bauldry p. 3, c. 9.

Digitized by Google

lateraliter, sed semper naturaliter incedere; et dum ab uno gradu ad alium descendunt, non retrocedere, sed se vertere debere. 4. Illis cavendum esse, ne se vertendo, altari aut celebranti tergum vertant. 5. Infra missam non esse recitandas horas canonicas (1). 6. In sequentibus sæpius dici, diaconum et subdiaconum debitam facere reverentiam, quænam hæc sit reverentia, colligendum est ex num. 118 et 127. Notatur quidem, in quibus casibus particularibus rubricæ genuflexionem præscribant : *Vid. Compendiosa subdiaconorum et diaconorum instructio, aliud ejusdem auctoris opusculum, in quo officia diaconi et subdiaconi seorsim proponuntur, et latius traduntur.*

Titulus I.

PRÆPARATIO CELEBRANTIS ET MINISTRORUM.

304. Epistola et evangelium missæ a diacono et subdiacono quærenda, signanda et perlegenda sunt, ne errent in cantando. Diaconus debet ordinare missale, missam, commemorationes et præfationem quærere, et quovis loco signacula disponere; deinde missale per ministrum ad altare defertur, et ibidem in cornu epistolæ apertum deponitur juxta rubricas tit. II, n. 5.

Subdiaconus, cujus est calicem in altari vestire, eumdem etiam ante missam præparare debet eodem modo, quo dictum est n. 196. Deinde calix defertur ad altare, in cujus medio deponitur, vel ut magis decet, collocatur in medio credentiæ usque ad offertorium juxta rubricas tit. II, n. 5, et tit. VII, n. 9.

Credentia præparanda est a latere epistolæ in plano presbyterii; sine gradibus, sine cruce, reliquiis vel imaginibus; cooperta linteo mundo usque ad terram circumcirca pendente; super eam collocantur, antequam sacerdos cum minis-

(1) S. R. C. 20 Mart. 1869, n. 3201, 9.

Digitized by Google

tris ad altare accedat, calix in medio, nisi, ut jam dictum est, super altare ponatur, pelvicula cum ampullis et manutergio, liber evangeliorum et epistolarum, thuribulum cum navicula, campanula, instrumentum pacis, mappa communionis, et si quæ alia sint necessaria. Hæc omnia cooperiuntur velo, quo uti debet subdiaconus (1).

305. In sacristia præparanda sunt paramenta celebrantis in medio, diaconi a dextris, et subdiaconi a sinistris.

Celebrans eadem paramenta, et eodem modo induit, ac pro missa privata. Diaconus et subdiaconus super vestem talarem induunt amictum, albam, cingulum, manipulum et dalmaticam; et diaconus etiam stolam. Has vestes induunt eodem modo, ut n. 198 dictum est, excepta stola, quam diaconus sic induit : ambabus manibus eam accipit, osculatur in medio, ubi est crux, immittit caput et brachium dextrum, eamque ita adaptat, ut medium stolæ, ubi est crux, sit super humerum sinistrum, et extremitates pendeant infra brachium dextrum. Dalmaticam eodem modo, quo sacerdos casulam, induunt, absque osculo, caput immittendo, et funiculos, si adsint, ad pectus alligando.

Not. 1. convenire ut diaconus et subdiaconus lavent manus, antequam se sacris vestibus induant, saltem si manus non sint mundæ; et ut induendo sacra paramenta, recitent orationes pro sacerdote præscriptas. Ad tunicellam subdiaconus dicere potest : *Tunica jucunditatis et indumento lætitiæ induat me Dominus;* et diaconus ad dalmaticam : *Indue me, Domine, indumento salutis, et vestimento lætitiæ, et dalmatica justitiæ circumda me semper*, prout in missali pro Episcopo præscribitur.

Not. 2. diaconum et subdiaconum non debere adjuvare celebrantem, dum hic sacras vestes induit, eo scilicet modo, quo Episcopum pontificaliter celebrantem adjuvant et induunt : hoc enim quoad presbyterum celebraturum non diaconi et subdiaconi sed acolythorum est officium (2).

(1) Vid. Cærem. Ep. l. 1, c. 12, n. 19 et 22; item *Revue des sciences ecclésiastiques*, tom. 14, fol. 69.

(2) De Conny liv. 2, ch. 2, art. 2; Cuppinus 1765, n. 3.

Digitized by Google

Titulus II.

DE INGRESSU AD ALTARE.

Rub. 5. *In missa solemni Missale apertum super Altare, Calix vero et alia necessaria præparentur in Credentia cooperta linteo, antequam Sacerdos veniat ad Altare. Ipse autem procedit cum Diacono et Subdiacono, qui capite cooperto simul cum eo tenent manus junctas ante pectus; Acolythi vero ante eos deferunt candelabra cum candelis accensis, quæ deinde collocantur super Credentia : et cum pervenerit ante infimum gradum Altaris, ibi medius inter Diaconum a dextris, et Subdiaconum a sinistris, antequam ascendat ad Altare, facit cum ipsis (ut infra) Confessionem.*

6. *In Missa Pontificali omnia serventur, ut in Pontificali et Cæremoniali Romano ordinatur; cujus Pontificalis ordinem Episcopus. sive Abbas, ut supra, nunquam prætermittat, quandocumque cum Diacono et Subdiacono paratis celebrat.*

---

306. Sacerdos et ministri sacris vestibus induti, accipiunt biretum, ipsumque utraque manu inter pollices et reliquos digitos extensos et junctos tenentes, se sistunt versus crucem vel principalem imaginem sacristiæ in linea recta, videlicet celebrans in medio, diaconus a dextris ejus, subdiaconus a sinistris, ceroferarii hinc inde a lateribus, thuriferarius a latere ceroferarii, et cæremoniarius ab una aut altera parte in conspectu celebrantis, vel ubi commode potest. Si sacristia sit angusta, ceroferarii stare possunt post diaconum et subdiaconum, et thuriferarius in medio eorum.

Sic stantes profundam faciunt reverentiam cruci vel imagini, et deinde salutant celebrantem, seu aliquam ei exhibent reverentiam, minorem autem quam imagini. Celebrans illos etiam aliqualiter resalutat, aperto adhuc capite, quia tecto

Digitized by Google

capite salutare, proprium videtur Episcopis. Mox celebrans, diaconus et subdiaconus biretum sibi imponunt; et procedunt primo thuriferarius nudo capite, sine bireto et manibus junctis, nisi thuribulum deferat, cum naviculario a sinistris si adsit; secundo acólythi cum candelabris nudo capite; tertio cæremoniarius nudo capite, sine bireto et junctis manibus; tum subdiaconus tecto capite, se vertens per suam dextram, ne tergum vertat celebranti; deinde diaconus tecto capite, se vertens per suam sinistram; et ultimo celebrans tecto capite, se vertens per suam dextram, uti semper fieri debet.

Ad januam sacristiæ aquam benedictam sumunt, nisi sit dominica, in qua fit aquæ aspersio. Thuriferarius si manus impeditas non habeat, ipsemet sumit aquam benedictam, et se signat, non autem si thuribulum deferat, neque acolythi candelabra deferentes. Cæremoniarius digitis dextræ suæ sumit aquam, eamque subdiacono et diacono porrigit. Si absit cæremoniarius, subdiacanus illam accipit, et diacono porrigit. Diaconus conversus per dextram suam, eam offert celebranti. Celebrans et ministri aquam accipientes, caput detegunt, transmissoque bireto in sinistram, quam infra pectus cum bireto applicant, se signant, ac bireto dextra resumpto, caput iterum cooperiunt. Si sacristia sit post altare, et accessus ad altare tam ex parte evangelii quam ex parte epistolæ, e sacristia egrediendum est et accedendum ad altare per partem evangelii, et ad illam regrediendum est per partem epistolæ (1).

Si accedendo ad altare, transeundum sit ante tabernaculum vel altare majus, aut alia ratione genuflexio vel reverentia facienda sit, ut dictum est n. 200, omnes subsistunt in loco, in quo genuflexio vel reverentia facienda est, eamque, in linea recta consistentes, simul faciunt, vel ordine quo procedunt, vel potius celebrans in medio, diaconus a dextris ejus, subdiaconus a sinistris, ceroferarii a lateribus et thuriferarius a dextris ceroferarii.

Cum pervenerint ad altare, et directe accesserint, se sistunt

(1) S. R. C. 12 Aug. 1854, n. 3029, 12.

Digitized by Google

in linea recta ante infimum gradum, thuriferarius extremus in cornu epistolæ, navicularius si adsit extremus in cornu evangelii, primus ceroferarius in cornu epistolæ a sinistris thuriferarii, secundus in cornu evangelii a subdiaconi sinistris, subdiaconus in cornu evangelii a sinistris celebrantis, diaconus in cornu epistolæ a dextris celebrantis, celebrans in medio, et cæremoniarius in cornu epistolæ vel ubi commode potest. Si presbyterium sit angustum, primus ceroferarius se constituit post diaconum, et alter post subdiaconum, thuriferarius in medio eorum, et navicularius si adsit, a sinistris thuriferarii. In hoc casu locum cedunt celebranti ejusque ministris ad altare accedentibus, et se sistunt in utroque cornu facie ad se invicem conversa; celebrante autem sacrisque ministris in locis suis constitutis, mox post eos se retrahunt. Si ex parte evangelii ad altare accedant, secundus ceroferarius et subdiaconus se sistunt in loco aliquantulum ab altari remoto, diaconum et celebrantem ante se transire sinunt, et celebranti transeunti reverentiam faciunt; contra si ex parte epistolæ accedant, thuriferarius, primus ceroferarius et diaconus se sistunt in loco ab altari remoto, ut celebrans ante eos transeat, cui in transitu similiter reverentiam faciunt.

Constituti ante infimum gradum altaris, subdiaconus a sinistris, diaconus a dextris et celebrans in medio, sinistra pectori applicata, dextra deponunt biretum : subdiaconus suum tradit ministro a sinistris, et celebrans suum diacono, qui suum prius tradit ministro a dextris, vel sinistra tenet, et dextra illud celebrantis accipit, et tum ministro utrumque porrigit. Depositis biretis, celebrans facit altari debitam reverentiam, uti n. 202 dictum est; diaconus autem et subdiaconus genuflectunt, si celebrans genuflectat; et si celebrans non genuflectat, genuflectunt vel tantum caput inclinant, prout n. 118 dictum est. Thuriferarius et ceroferarii, debita facta reverentia, ad loca sua accedunt, ut dicetur tom. 2, n. 15 et seq. Ministri seponunt bireta super scamnum, vel alio loco opportuno juxta altare, non autem supercredentiam.

Digitized by Google

Not. 1° ante missam Pontificalem, Episcopo se parante in secretario, incensum imponi ante accessum ad altare; cum autem hujus mentio in rubricis missalis non fiat, idipsum ante missam solemnem faciendum non esse (1), saltem si usus non adfuerit. Quod si fiat, tunc celebrans, paratus sacris paramentis, aperto capite, ministrante diacono, incensum cum benedictione more solito imponit, et thuriferarius præcedit ad altare cum thuribulo fumigante. 2° Sacerdotem pluviali indutum, ad altare accedentem vel ab eo recedentem, medium inter diaconum et subdiaconum incedere; ita ut diaconus a dextris cum sinistra, et subdiaconus a sinistris cum dextra pluviale elevent, altera manu super pectus posita. Si tamen locus sit angustus, subdiaconus diaconum, et diaconus celebrantem præcedit. 3° Nullibi præscribi, in accessu ad altare dicendum esse *Oremus pro invicem* vel *Procedamus in pace.*

Titulus III.

DE PRINCIPIO MISSÆ ET CONFESSIONE FACIENDA.

307. Facta debita reverentia ad infimum gradum altaris, celebrans psalmum *Judica*, confessionem et reliqua usque ad ascensum ad altare, eodem modo alternatim cum diacono et subdiacono recitat, ut num. 206 dictum est, hoc solo excepto, quod in confessione dicens *Vobis fratres* et *Vos fratres* absque motu pedum et erectione corporis et capitis aliquantulum se convertat prius ad diaconum, et deinde ad subdiaconum : quod similiter facit, cum parva inclinatione capitis tantum, dum postea dicit *Misereatur vestri* (2).

Diaconus et subdiaconus se signant cum celebrante ad *In nomine Patris*, *Adjutorium* et *Indulgentiam;* caput profonde

(1) De Carpo, p. 2, n. 133; Martinucci lib. 2, c. 4, n. 15.
(2) Cærem. Ep. lib. 2, c. 8, § 31.

Digitized by Google

inclinant ad *Gloria Patri;* stant erecti infra confessionem celebrantis, qua finita, facie aliquantulum ad celebrantem conversa et capite inclinato, dicunt *Misereatur tui* usque ad finem. Dicto *Amen* a celebrante, se convertunt ad altare, et corpore profunde inclinato recitant *Confiteor;* dum dicunt *Tibi Pater* et *Te Pater,* ad celebrantem se aliquantulum convertunt, sed absque motu pedum et erectione corporis et capitis; item ad *Mea culpa,* sinistra infra pectus posita, dextra ter pectus percutiunt (1). Confessione finita, manent profunde inclinati, donec celebrans dixerit *Misereatur,* et ipsi responderint *Amen.* Ad *Indulgentiam* stant erecti, se signantes; sub versu *Deus tu conversus* etc. et reliquis usque ad *Oremus* ante *Aufer a nobis* inclusive, corpus mediocriter inclinant, et profundius quidem quam ipse celebrans.

Titulus IV.

DE INCENSATIONE.

Rub. 4. *In Missa solemni Sacerdos facta Confessione ascendit cum Ministris ad medium Altaris, ubi dicto* Oramus te Domine, *et osculato Altari, ponit incensum in thuribulum, ministrante Diacono naviculam et Thuriferio thuribulum. Diaconus parum inclinatus versus Celebrantem, dicit:* Benedicite Pater reverende, *et osculatur cochlear, et manum Celebrantis ante et post. Celebrans ter incensum ponit in thuribulum, dicens interim :* Ab illo benedicaris; *et deposito cochleari, producens manu dextra signum Crucis super thus in thuribulum, illud benedicit. Postea Diaconus dimissa navicula accipit thuribulum, et dat Celebranti, osculata prius catenularum summitate, et manu illius dextra : qui facta Cruci profunda reverentia, eam ter incensat nihil dicens : et*

(1) Vid. n. 142.

Digitized by Google

facta iterum Cruci reverentia, incensat Altare, ter ducens thuribulum æquali distantia, prout distribuuntur candelabra, a medio ejus usque ad cornu Epistolæ : ubi demissa manu, thurificat illius postremam partem inferiorem, mox superiorem, bis ducto thuribulo : et conversus ad Altare, elevans manum incensat ejus planitiem, seu mensam in parte anteriori, ter ducens thuribulum usque ad medium : ubi facta Cruci reverentia, procedendo thurificat aliud latus Altaris triplici ductu usque ad cornu Evangelii ; et pariter incensata inferiori, et superiori parte ipsius cornu Evangelii duplici ductu, adhuc stans ibidem, elevat thuribulum, et ter incensat superiorem tabulæ partem versus medium Altaris, ut fecit in cornu Epistolæ : deinde manu aliquantulum demissa, incensat anteriorem ejus partem seu frontem, ter ducens thuribulum, dum procedit a cornu Evangelii usque ad medium Altaris : et facta Cruci reverentia incensat similiter triplici ductu reliquam partem anteriorem usque ad cornu Epistolæ : ubi reddito thuribulo ipsi Diacono, ab eo ipse solus incensatur.

5. *Si vero in Altari fuerint Reliquiæ seu Imagines Sanctorum, incensata Cruce, et facta ei reverentia, antequam discedat a medio Altaris, primum incensat eas, quæ a dextris sunt, id est a parte Evangelii prope Crucem, bis ducens thuribulum, et iterum facta Cruci reverentia, similiter incensat bis alias, quæ sunt a sinistris, hoc est a parte Epistolæ : deinde prosequitur incensationem Altaris, ut supra, ter ducens thuribulum in unoquoque latere, etiamsi in eo essent plures Reliquiæ vel Imagines, seu etiam plura vel pauciora candelabra.*

6. *Si in Altari fuerit tabernaculum sanctissimi Sacramenti, accepto thuribulo, antequam incipiat incensationem, genuflectit, quod item facit quotiescumque transit ante medium Altaris.*

7. *Diaconus et Subdiaconus hinc inde assistunt Celebranti, dum incensat, et cum transeunt ante Crucem, semper genuflectunt. Deinde etc.* (vid. n. seq.).

Digitized by Google

308. Dicto *Oremus* ante *Aufer a nobis*, celebrans, et ministri erecti, sine alia reverentia facienda ascendunt ad medium altaris, diaconus a dextris et subdiaconus a sinistris. Si opus sit, diaconus anteriores celebrantis vestes elevat sinistra, et subdiaconus dextra, altera super pectus posita : quod semper faciunt in similibus casibus. Cum pervenerint ad altare, diaconus et subdiaconus debitam faciunt reverentiam (1). Celebrans dicta oratione *Oramus te Domine*, manens in medio altaris, faciem vertit ad cornu epistolæ, diaconus se vertit ad celebrantem, et subdiaconus in suo loco manens, se quoque vertit ad celebrantem, ita ut tergum celebrantis respiciat.

Tum *diaconus* dextra accipit de manu ministri seu thuriferarii naviculam incensi, quam deinde sinistra tenens, dextra aperit; et accepto ex ea cochleari vacuo, osculatur prius ejusdem manubrii summitatem, et deinde dorsum dextræ celebrantis; tum cochlear tradit celebranti, et naviculam incensi utraque manu tenet juxta thuribulum, quod thurifer-arius tenet apertum; interim dicit diaconus : *Benedicite, pater reverende.*

Celebrans sinistra super pectus posita, cochlear dextra accipit, ter thus ex navicula accipit, et ter quoque seu singulis vicibus thus imponit in thuribulum super prunas ardentes, 1° in medio thuribuli, 2° a dextris thuribuli seu a sinistris celebrantis, et 3° a sinistris thuribuli seu a dextris celebrantis, interim dicens, cum primo ponit : *ab illo benedicaris;* cum secundo : *in cujus honore cremaberis;* cum tertio : *Amen.*

Diaconus, imposito thure, mox osculatur dorsum manus celebrantis adhuc retinentis cochlear, et accepto cochleari, hujus quoque manubrii extremitatem osculatur. Receptum cochlear ponit in naviculam, quam reddit ministro aut thuriferario : deinde incenso benedicto a celebrante, accipit a thuriferario thuribulum, dextra scilicet ad catenularum summitatem, et sinistra ad catenulas inferiores.

(1) Vid. n. 118, ad 3.

Digitized by Google

Celebrans, thure imposito et reddito cochleari, jungit manus ante pectus, et statim sinistra infra pectus posita, dextra facit signum crucis super thus in thuribulo (1).

Diaconus thuro benedicto porrigit celebranti thuribulum, summitatem catenularum ponendo in sinistram ejus, et prius osculando illarum summitatem, catenularum vero extremitatem prope vas ponendo in ejus dextram, quam pariter osculatur in parte exteriori.

Celebrans thuribulum accipit sinistra ad catenulas superiores, et dextra ad catenulas inferiores simul junctas prope thuribulum, ita ut parvulum catenularum spatium remaneat inter ipsius manum dextram et thuribulum; infra incensationem autem sinistram, thuribuli summitatem tenentem, ex parte palmæ pectori applicat, eamque sub tota incensatione immobilem tenet, et sola dextra thuribulum sustinet ac dirigit. Thuribulo accepto, se convertit ad altare cum diacono et subdiacono, et facit inclinationem cruci altaris; tum eamdem ter seu triplici ductu incensat recta et æquali linea absque ulla thuribuli deflexione ad dextram aut sinistram, ut in tabula adjuncta *n.* 1, 2, 3, notatur. Cruce ter incensata, facit ei iterum inclinationem, et si non sint incensandæ reliquiæ, de quibus infra, progreditur ad incensationem altaris.

Diaconus et subdiaconus ante et post incensationem crucis cum celebrante debitam faciunt reverentiam, et infra eam incensationem stantes aliquantulum post celebrantem, casulam elevant diaconus cum sinistra, et subdiaconus cum dextra, altera super pectus posita. Deinde similiter celebranti assistunt diaconus a dextris et subdiaconus a sinistris, elevant casulam, passu uniformi et naturali, non autem laterali incedunt cum celebrante et quotiescumque ante medium altaris transeunt, debitam feciunt reverentiam, de qua infra n. 310.

Celebrans altare incensando, semper prius movet illum pedem, qui est proximior altari, et tot omnino passus facit,

(1) S. R. C. 18 Dec. 1779, n. 2515, 10.

Digitized by Google

quot sunt thuribuli tractus. Altaris incensationem incipit a medio altaris, et progrediendo usque ad cornu epistolæ, ter ducit thuribulum super mensam altaris versus partem, in qua sunt candelabra, linea recta et in æquali distantia, prout distribuuntur candelabra : tria hic supponuntur candelabra in utroque cornu hinc inde in æquali distantia posita; si autem sint tribus pauciora aut non in æquali distantia posita, equidem utraque pars altaris incensanda est absque ullo respectu ad dispositionem candelabrorum, ac si tria candelabra in æquali distantia ponerentur : non enim incensantur candelabra, sed posterior pars altaris, in qua sunt candelabra : unde etiam non sunt elevandi oculi, nec thuribulum in altum projiciendum, sed ducendum est prope ipsius altaris superficiem, ita ut aliquibus tantum digitis distet a mappa altaris, *n.* 8, 9 *et* 10.

Celebrans cum ad cornu epistolæ pervenerit, ibi facie ad angulum altaris versa, paululum se inclinat, ut demissa manu thuribulum ad lateralem partem inferiorem mensæ altaris perveniat; et bis ducit thuribulum, semel ad partem inferiorem (*n.* 11) et deinde ascendendo ad partem lateralem superiorem (*n.* 12); tum facie ad altare reversa, elevat manum cum thuribulo super mensam altaris, et incensat planitiem seu mensam altaris in parte anteriori, ter ad *n.* 13, 14, 15, in æquali distantia ducens thuribulum a cornu epistolæ usque ad medium altaris : sub isto autem duplici ductu *n.* 11 *et* 12, et isto triplici *n.* 13, 14 *et* 15, thuribulum ducendum est linea obliqua seu per modum semicirculi a dextra ad sinistram (1), sicut communis in his locis obtinet consuetudo; licet aliqui censeant, has incensationes recta etiam linea faciendas esse, quia incensatio per modum circuli a rubricis tantum præscribitur in thurificandis oblatis (2). Quocumque autem modo fiat, unusquisque ductus bene est distinguendus, et quasi morula interponenda.

(1) Merati p. 2, tit. 4, n. 26; De Conny liv. 1, ch. X.

(2) Martinucci lib. 2, c. 5, nota ad n. 5; De Carpo p. 2, n. 136, in tabula incensandi.

Digitized by Google

Celebrans perveniens ad medium altaris, debitam facit cum ministris reverentiam, et procedit ad thurificationem cornu evangelii, quod eodem modo incensat ac cornu epistolæ, cum hac sola differentia, quod ad *n.* 19, 20, 21, 22 *et* 23, thuribulum ducat a sinistra ad dextram. Post ductum thuribuli ad *n.* 23, celebrans non facit reverentiam cruci altaris, sed vix aut ne vix quidem de evangelii cornu regressus, manum cum thuribulo aliquantum extra mensam altaris demittit, et quasi retrogradiens ad cornu evangelii, paululum ab altari recedit, et habens pedem sinistrum altari propiorem, incensat partem anteriorem seu frontem altaris, ubi est antipendium, ter ducens thuribulum ad *n.* 24, 25 *et* 26, linea recta versus antipendium, procedendo a cornu evangelii usque ad medium altaris, non autem retrogradiendo, ut plurimum servatur. Perveniens ad medium altaris, faciem ad illud convertit, et cum diacono a dextris et subdiacono a sinistris debitam facit reverentiam. Tum facie ad cornu epistolæ conversa, similiter incensat triplici ductu reliquam partem anteriorem altaris in cornu epistolæ ad *n.* 27, 28 *et* 29, semper habens pedem sinistrum propiorem altari, et progrediens usque ad cornu epistolæ; ubi utraque manu thuribulum diacono reddit, et stans junctis manibus, habens latus sinistrum versus altare, ter a diacono incensatur, nullam ei faciens reverentiam, licet tamen juxta aliques auctores conveniat, ut diacono caput tantillum inclinet, ante et postquam incensatur (2).

Diaconus recipit thuribulum prius osculando dorsum dextræ celebrantis, et deinde accepto thuribulo, hujus summitatem; tum se sistit in plano ad cornu epistolæ e regione celebrantis, eumque ter incensat cum inclinatione capitis ante et post incensationem.

Subdiaconus, dum celebrans thuribulum diacono reddit, demittit casulam, descendit in planum, et manibus junctis ac facie ad celebrantem versa se sistit a sinistris diaconi (1),

(2) Bauldry p. 2, c. 9, art. 5, n. 1; Martinucci lib. 2, c. 4, n. 53 et 55.
(1) Merati p. 2, tit. 4, n. 30; Bauldry p. 1, c. 13, art. 1, n. 8.

Digitized by Google



Digitized by Google

et cum eodem ante et post incensationem caput celebranti inclinat, quia cum juxta diaconum consistat, decet ut cum eodem se conformet (1).

309. Si in altari expositæ sint reliquiæ seu imagines, celebrans incensata cruce et facta ei reverentia, antequam discedat e medio ad altare incensandum, prius incensat eas reliquias vel imagines, quæ sunt a parte evangelii : faciem scilicet convertit ad reliquias vel imagines, et bis, *n.* 4 *et* 5, easdem linea recta incensat, quamvis plures vel pauciores fuerint reliquiæ vel statuæ, priori ductu incensando eas, quæ sunt cruci altaris propiores, et posteriori ductu remotiores; caput tamen iisdem nec ante nec post incensationem inclinat ad differentiam incensationis crucis. Incensatis reliquiis a parte evangelii, facit cruci altaris debitam reverentiam, et deinde similiter bis, *n.* 6 *et* 7, incensat alias, quæ sunt a parte epistolæ. Incensatis reliquiis in cornu epistolæ, absque nova reverentia cruci altaris facienda, incipit incensare altare, ut supra dictum est.

Not. 1° non esse incensandas imagines aut reliquias, quæ in missa extra altare exponuntur, neque imagines pictas in pariete, neque quæ circa tabernaculum ornatus causa disponuntur, sed illas, quæ super altare seu inter candelabra collocantur. 2° Imagines seu statuas sanctorum etiam sine inclusis reliquiis esse incensandas (2). 3° Reliquias debere esse debite approbatas. 4° Si reliquiæ tantum sint in una parte altaris, incensationem partis, in qua desiderantur, prætermittendam esse. 5° Hic tantum agi de imaginibus sanctorum, non vero animarum in purgatorio, quibus incensatio non tribuitur.

Si reliquia vel imago in medio altaris exponatur, aliqui auctores existimant, illam post crucem altaris bis incensandam esse; cum autem in rubricis nulla hujus incensationis fiat mentio, juxta alios standum est consuetudini cujusque

(1) Martinucci l. 1, c. 12, n. 18.
(2) S. R. C. 21 Mart. 1744, n. 2375, 3.

Digitized by Google

ecclesiæ (1) : istam tamen opinionem quodammodo approbare videtur decretum S. R. C., quo declaratur, sacram imaginem divini Infantis natalitio tempore principali loco super altari expositam post crucem thurificandam esse triplici ductu, eodem prorsus modo, quo incensatur crux cum imagine Crucifixi (2).

310. Quot et quas reverentias celebrans, diaconus et subdiaconus infra incensationem facere debent?

R. 1. Has quinque : primam et secundam ante et post incensationem crucis, tertiam post incensatas a parte evangelii reliquias, si adsint, quartam et quintam in transitu ante medium altaris inter ductus 15 et 16, item 26 et 27. Has solas reverentias rubricæ præscribunt ; adeoque nulla facienda est ante et post impositionem thuris, quia ante impositionem celebrans et ministri se non totaliter vertunt, et post impositionem statim accepto thuribulo a celebrante, ante incensationem crucis reverentiam faciunt.

2. Si in altari non fuerit tabernaculum, quod ss. Sacramentum actualiter continet, celebrans ad omnes istas reverentias caput cruci profunde inclinat; si autem fuerit tale tabernaculum licet clausum, flectit unico genu ad altare sine alia reverentia cruci facienda, ponens palmam sinistræ manus annulum thuribuli tenentis super altare, ut commodius flectere et surgere valeat, cavens ne thuribulum, cujus catenulas dextra tenet, antipendium tangat. Diaconus et subdiaconus infra incensationem semper genuflectere debent cum celebrante, si tabernaculum habeatur, et licet tabernaculum non habeatur, et celebrans proinde non genuflectat; equidem juxta rubricas n. 7 semper genuflectere debent, dum transeunt ante crucem, quod infra incensationem bis obtinet, scilicet in transitu altaris a cornu epistolæ ad cornu evangelii, et a cornu evangelii ad cornu epistolæ. Ante incensationem autem crucis et post eam, item post incensatas reliquias a parte evangelii, cum celebrante certo caput

(1) Merati p. 2, tit. 4, n. 27; Martinucci lib. 1, c. 5, n. 13.
(2) 15 Feb. 1873, n. 3288.

Digitized by Google

profunde inclinare debent, et rubricis etiam conformius videtur genuflexionem facere, ut dictum est n. 118. In quibusdam locis consuetudo habetur, ut celebrans et etiam diaconus et subdiaconus numquam genuflectant ad istas reverentias, sive habeatur tabernaculum sive non : hæc autem consuetudo rubricis et decretis est contraria, et consequenter etiam abroganda.

311. Not. 1. advertendum esse celebranti, ut in incensatione « se graviter et decore gerat, non personam, aut caput, dum thuribulum ducit reducitque, movens; sinistram, quæ summitatem catenularum retinet, firmam stabilemque ante pectus tenebit; dextram vero manum ac brachium commode ac tractim cum thuribulo movebit; ita ut, cum thuribulum ad se retrahit, illud sub brachio leviter et competenti mora reducat; et dum procedit thurificando altare, eundo et redeundo, semper illum pedem prius moveat, qui proximior est altari; totque omnino passus faciat, quot thuribuli tractus, ut manus pedesque in motu decenter concordent » (1).

2. In cæremoniali Episcoporum loco citato n. 4 et 8 actum thurificationis exprimi per verba *ducere, reducere, retrahere* thuribulum, quæ non significant, thuribulum esse attollendum et in altum projiciendum, sed solummodo illud ducendum esse versus crucem, personam aut objectum, quod thurificatur, atque ad se reducendum seu retrahendum. Ut thuribulum ita ducatur, prius quidem est attollendum ante pectus, et elevatum ante pectus, linea recta ducendum est ad objectum thurificandum, ita ut unusquisque ductus perficiatur duplici ictu, prout juxta S. R. Congregationem (2) requiritur, videlicet priori elevando thuribulum, et altero idem ducendo versus objectum incensandum. Duplex igitur ictus per Sacram Congregationem requisitus, non est perficiendus ductum duplicando in minorem et majorem, quod rubricæ non præscribunt, nec indicant, nec admittere viden-

(1) Cærem. Ep. l. 1, c. 23, n. 8.

(2) S. R. C. 22 Mart. 1862, n. 3110, 20; 24 Nov. 1899, n. 4048, 9; 29 Maji 1900, in *Urgellen.* 2.

Digitized by Google

tur; verba enim *ter incensat, ter ducens thuribulum, triplici ductu* etc. non aliud quam simplicem ductum denotant.

3. Hanc formulam *Ab illo benedicaris* etc. communem formulam esse thus benedicendi, et illam adhibendam esse, quotiescumque incensum adhibetur, præterquam ad incensationem post offertorium, quæ peculiarem habet benedictionem, et dum solum ss. Sacramentum est incensandum, quando thus non benedicitur. Adeoque hæc formula adhibenda est ad impositionem thuris ante missam solemnem in sacristia, ante evangelium, in absolutionibus defunctorum, in benedictionibus candelarum, cinerum, palmarum, etc.

4. Materiem, quæ adhibetur, vel solum et purum thus esse debere suavis odoris; vel si aliqua addantur, advertendum esse, ut quantitas thuris longe superet (1).

DE INTROITU, KYRIE ET GLORIA.

Rub. *Deinde Celebrans, Diacono a dextris ejus, Subdiacono a dextris Diaconi stantibus in cornu Epistolæ, legit Introitum et* Kyrie eleison. *Cum vero intonat hymnum* Gloria in excelsis Deo, *Diaconus et Subdiaconus, unus post alium, stant a tergo Celebrantis; postea ascendunt ad Altare, et hinc inde, Diaconus a dextris, Subdiaconus a sinistris, cum Celebrante hymnum submissa voce prosequuntur usque ad finem. Quod etiam servatur, cum dicitur* Credo; *et cum dicitur* Dominus vobiscum, *Oratio, Præfatio, et* Pater noster, *Diaconus et Subdiaconus similiter stant unus post alterum a tergo Celebrantis.*

---

312. *Introitus. Celebrans* a diacono incensatus, se vertit ad missale, et legit introitum ut in missa privata.

Diaconus interea stat a dextris celebrantis in secundo

(1) Cærem. ibid. n. 3; S. R. C. 7 Aug. 1875, n. 3363.

Digitized by Google

gradu altaris, et *subdiaconus* a dextris diaconi in tertio gradu, si plures sint, et alias in plano.

Diaconus et subdiaconus cum celebrante se signant ad initium introitus; atque sub *Gloria Patri,* et si occurrant nomina Jesu, Mariæ, aut Sancti cujus festum celebratur, caput pariter inclinant.

313. *Kyrie eleison.* Recitato introitu, celebrans, diaconus et subdiaconus eodem modo in cornu epistolæ stantes, alternatim dicunt *Kyrie eleison,* ut in missa privata. Dicto ultimo *Kyrie eleison,* non redeundo ad medium altaris, per viam breviorem seu per gradus laterales epistolæ possunt accedere ad scamnum, ibique sedere usque ad ultimum *Kyrie eleison*, ut dictum est n. 145. Si autem non sedeant, tunc donec chorus incipit ultimum *Kyrie eleison,* stant in cornu epistolæ, uti sub introitu, diaconus scilicet a dextris celebrantis, et subdiaconus a dextris diaconi, quia rubricæ aliam positionem non præscribunt; vel celebrante manente in eodem loco ad cornu epistolæ, diaconus et subdiaconus se sistunt unus post alterum a tergo celebrantis, quia hæc sunt quasi propria ministrorum loca, dum nihil est agendum; vel celebrans et ministri, cum *Kyrie eleison* dixerint, statim discedunt ad medium altaris, a quo nihil eos abstrahit, ut ibi ante crucem meditentur, et significationem *Kyrie eleison* recogitent. Cum in rubricis nihil expresse præscribatur, quisque ecclesiæ suæ consuetudinem sequatur.

Discedentes ad medium altaris, simul incedunt, diaconus per secundum gradum, et subdiaconus per planum, latus dextrum totaliter ad altare vertentes, et tali passu progredientes, ut simul ad medium perveniant.

314. *Gloria.* Celebrans intonat *Gloria in excelsis Deo.* Si opus fuerit ad idem intonandum, missale in medio altari poni potest (1). Sed assistentia duorum choristorum deambulantium per chorum cum baculo argenteo et cæremonia annuntiandi per unum eorum hymnum angelicum celebranti, est contra usum ecclesiæ Romanæ (2). Cum celebrans into-

(1) Martinucci lib. 2, c. 4, n. 75.
(2) S. R. C. 31 Jul. 1665, n. 1522, 10.

Digitized by Google

nat, diaconus in secundo gradu, et subdiaconus in plano, unus post alterum, stant in linea recta a tergo celebrantis. Cantatis his verbis *Gloria in excelsis Deo*, et non prius, diaconus et subdiaconus facta prius debita reverentia sub cantu vocis *Deo*, ascendunt ad medium altaris; diaconus autem ita tarde, ut cum subdiacono simul ad altare perveniat : se sistunt diaconus a dextris, et subdiaconus a sinistris celebrantis, et cum eodem totum hymnum legunt usque ad finem, submissa tamen voce, ne celebrantem perturbent, non præveniendo nec sequendo sed concomitanter (1), cum eodem easdem capitis inclinationes faciendo, et in fine se signando; item, si calix in altari positus sit, et obsit lectioni, diaconus sua dextra et subdiaconus sinistra, altera super pectus posita, tabellam sumere, eamque ante celebrantem tenere possunt.

Recitato hymno, si non sit sedendum, celebrans manet ad altare manibus junctis, et diaconus et subdiaconus vel descendunt retro post celebrantem, vel ut rubricis conformius videtur, manent stantes juxta celebrantem, quasi pares cum eo, paulo tamen post ipsum, diaconus ab ejus dextris et subdiaconus a sinistris, donec hymnus a choro persolvatur (2). In fine cantus diaconus et subdiaconus debitam faciunt reverentiam, ab altari discedunt faciem vertendo versus celebrantem, et se sistunt retro post ipsum.

Si sit sedendum, recitato hymno, celebrans, diaconus et subdiaconus debitam faciunt reverentiam (genuflectunt omnes si habeatur tabernaculum, quia ab altari discedunt), et via breviori, etiam ss. Sacramento exposito (3), per gradus laterales epistolæ, ac aperto capite (4) ad scamnum accedunt, primo subdiaconus, deinde diaconus, et ultimo celebrans. Si cantaretur *Adoramus te* vel *Gratias agimus*, antequam sederent, præstaret aliquantulum expectare ad altare, ibique inclina-

(1) S. R. C. 22 Ap. 1871, n. 3248, V.
(2) Merati p. 2, tit. 4, n. 36, in fine.
(3) S. R. C. 12 Jul. 1901, ad 6.
(4) S. R. C. 21 Mart. 1676, n. 1563, 1; 12 Nov. 1831, n. 2684, 13.

Digitized by Google

tionem facere. Cum ad scamnum pervenerint, attendant ne sese convertendo tergum altari vertant. Primo sedet celebrans, cui ministri posteriorem planetæ partem elevant, et diaconus biretum porrigit, quo ille se cooperit. Tum diaconus et subdiaconus faciunt celebranti reverentiam, et aliqualem sibi invicem; sumptis biretis suis, sedent diaconus a dextris et subdiaconus a sinistris celebrantis, et se quoque cooperiunt, dum interim acolythi et alias illi ipsi posteriorem dalmaticæ et tunicellæ partem attollunt. Sedentes manus, digitis extensis et junctis, super genua deponunt. Choro cantante *Cum Sancto Spiritu*, diaconus et subdiaconus, detectis capitibus, primi surgunt, et erecti faciunt reverentiam celebranti; celebrans adhuc sedens dat biretum diacono, qui illud accipit, et cum suo super scamnum deponit. Subdiaconus quoque suum ibi deponit. Aperto capite ad altare redeunt, non tamen per viam breviorem, sed per planum ante medium altaris, primo subdiaconus, tum diaconus, et deinde celebrans. Advertat diaconus, ut ante altare retrocedens, celebranti locum præbeat, eique transeunti reverentiam faciat. Si detur chorus, redeundo ad altare eumdem salutant. Constituti ante infimum altaris gradum, debitam faciunt reverentiam; celebrans ascendit ad medium altaris, et si opus sit, cum eo paululum ascendunt diaconus a dextris et subdiaconus a sinistris, vestes anteriores celebrantis elevantes; mox autem post ipsum se retrahunt, et se sistunt diaconus in secundo gradu, et subdiaconus in plano, in linea recta a tergo celebrantis.

Infra cantum hymni celebrans et ministri, sive expectent ad altare, sive sedeant, caput apertum inclinant, dum cantantur ea, ad quæ celebrans hymnum legendo caput inclinat; in fine tamen se iterum non signant (1).

(1) S. R. C. 12 Nov. 1831, n. 2684, 13.

Digitized by Google

Titulus V.

—

DE ORATIONE.

Rub. 5. *In Missa solemni cum dicitur* Dominus vobiscum *et Oratio, Diaconus et Subdiaconus stant retro post Celebrantem.* Flectamus genua *dicitur a Diacono, a Subdiacono vero* Levate, *illo primum genuflectente, hoc primum surgente; Celebrans vero non genuflectit.*

---

315. *Celebrans* cantat *Dominus vobiscum, Oremus* et orationem unam aut plures, ut in missa privata, hoc solum notando, quod sub *Dominus vobiscum* et *Oremus* manus lentius extendat et jungat, ita ut in initio cantus eas extendat, et in fine jungat.

Diaconus et subdiaconus sub *Dominus vobiscum* stant retro post celebrantem, et deinde prævia reverentia facta, cum celebrante accedunt ad cornu epistolæ, diaconus per secundum gradum et subdiaconus per planum, latus sinistrum totaliter ad altare vertentes. Infra orationes stant eodem modo post celebrantem juxta rubricas tit. IV, n. 7, diaconus scilicet in secundo gradu, et subdiaconus in plano.

Diaconus autem, deficiente cæremoniario vel sacerdote assistente,, si folia missalis sint vertenda, accedit ad illud latus celebrantis, circa quod folia vertere debet; folia semper vertit illa manu, quæ a celebrante est remotior; foliis autem versis statim recedit post celebrantem : in accessu tamen ad latus celebrantis, et recessu ab eodem, item in transitu de uno latere celebrantis stantis in cornu epistolæ ad alterum, nullam reverentiam facere debet, nisi medium altaris attingat.

Diaconus et subdiaconus ad *Oremus,* nomina Jesu, Mariæ,

Digitized by Google

Sancti, cujus fit missa vel specialis commemoratio, ac Papæ caput cum celebrante inclinare debent, ut dictum est n. 127.

316. *Plures orationes et lectiones* si dicendæ sint, manent celebrans, diaconus et subdiaconus post *Kyrie eleison* in cornu epistolæ.

Celebrans dicit *Oremus*, et, post *Flectamus genua* et *Levate*, orationem more solito; non genuflectit ad *Flectamus genua*, sed interea stat junctis ante pectus manibus. Dicta oratione, legit lectionem eodem modo ac epistolam, et sic deinceps.

Diaconus et subdiaconus stant retro post celebrantem infra *Oremus* et orationem, ut supra dictum est. Cum celebrans dixerit *Oremus*, diaconus dicit *Flectamus genua*; et subdiaconus *Levate*. Diaconus dicens *Flectamus genua*, primum genuflectit unico genu, et statim etiam genuflectit subdiaconus, qui dicens *Levate*, primum surgit, et tum etiam surgit diaconus. Ad initium cujusque lectionis diaconus et subdiaconus se sistunt uti ad introitum missæ, scilicet diaconus a dextris celebrantis et subdiaconus a dextris diaconi; post singulas lectiones respondent *Deo gratias*, præterquam in fine quintæ lectionis Danielis in sabbatis quatuor temporum; et in fine cujusque lectionis redeunt ad sua respectiva loca retro post celebrantem, donec hic orationem finierit.

Oremus, *Flectamus genua*, *Levate*, orationes et subsequentes lectiones possunt cantari, vel etiam tantum legi, quia supra in rubricis tantum dicenda præscribuntur, et in rubricis gen. tit. XVI, n. 3, inter cantanda non numerantur. Si cantentur, aliquis lector, et defectu lectoris subdiaconus lectiones cantare potest manibus libro vel pulpito appositis.

Not. 1. Licet quidam ad *Flectamus genua* genuflexionem utriusque genu exigant, supra tamen dictum esse diaconum et subdiaconum flectere debere unico tantum genu, quia hæc genuflexio fit sine mora, et vox *genua* quamvis pluraliter dicatur, respicit omnes præsentes. 2. Diaconum et subdiaconum posse, sed non debere respondere celebranti in missa cantata ad illa, ad quæ chorus respondet, cujus responsum celebrans expectare tenetur.

Digitized by Google

Titulus VI.

DE EPISTOLA, GRADUALI ET ALIIS USQUE AD OFFERTORIUM.

DE EPISTOLA, GRADUALI ET ALIIS.

Rub. 4. *In Missa solemni Subdiaconus circa finem ultimæ orationis accipit ambabus manibus librum Epistolarum, deferens illum supra pectus, et facta Altari genuflexione in medio, vadit ad partem Epistolæ contra Altare, et cantat Epistolam, quam etiam Celebrans interim submissa voce legit, assistente sibi Diacono a dextris, et item Graduale. Tractum, etc. usque ad* Munda cor meum. *Epistola cantata, Subdiaconus facit iterum genuflexionem Altari in medio, et redit ad Celebrantem, et genuflectens osculatur ejus manum, et ab eo benedicitur, præterquam in Missis Defunctorum.*

317. *Celebrans,* dum subdiaconus cantat epistolam, legit eamdem, item graduale, tractum, et reliqua usque ad *Munda cor* submissa voce, seu tali, quæ a diacono audiatur, omnia observans ut in missa privata. Quamdiu celebrans legit, nec ipsemet nec diaconus attendit ad ea, quæ cantat subdiaconus; dum autem celebrans legere desiit, ipse et diaconus caput inclinant, et in cornu epistolæ genuflectunt, si cantet subdiaconus, quæ inclinationem aut genuflexionem exigunt. Dum subdiaconus cantata epistola ad celebrantem accedit, ipse celebrans per suam dextram ad subdiaconum se totaliter convertit, habens latus sinistrum ad cornu altaris, et sinistra super pectus posita, dextram ponit super superiorem partem libri; cum subdiaconus celebrantis dextram osculatus fuerit,

Digitized by Google

celebrans jungit manus ante pectus, et statim sinistra infra pectus posita, subdiaconum benedicit per solam formationem signi crucis, nihil dicens.

Diaconus post finem ultimæ orationis, sed non prius, sine reverentia facienda, quia non est in medio altaris, accedit ad dextram celebrantis, eique assistit, epistolam et reliqua indicando, folia vertendo, et in fine epistolæ respondendo *Deo gratias;* cum celebrante quoque caput inclinando et genuflectendo, si in epistola aut reliquis legendis occurrant, quæ inclinationem aut genuflexionem exigunt. Cantata epistola, recedit retro post celebrantem, ut cedat locum subdiacono, vel discedit versus cornu epistolæ, et stat a sinistris subdiaconi genuflexi.

Subdiaconus circa finem ultimæ orationis, stans in eodem loco post diaconum, ambabus manibus accipit librum epistolarum a cæremoniario, et eo deficiente ab acolytho, versa facie ad se invicem, cum mutua parva inclinatione. Librum ad partem inferiorem ambabus manibus tenens, quoad partem superiorem quiescentem supra pectus, cum seris ad sinistram, vel juxta alios ad dextram, ut dictum est in fine n. 290, accedit ad medium altaris, chorum si adsit salutando, ibique uno genu flectit super infimum altaris gradum sive habeatur tabernaculum sive non, juxta rubricas supra positas. Ita autem ad medium altaris accedere debet, ut genuflectat, si fieri possit, dum celebrans in ultimæ orationis conclusione dicit *Jesum Christum;* et ita recedere, ut post conclusionem orationis epistolam statim incipere possit. Finita conclusione ultimæ orationis, stans in plano ad cornu epistolæ retro post celebrantem, facie versa ad altare, librum ambabus manibus apertum tenens juxta Cæremoniale Ep. lib. 1, c. 10, n. 2, vel, quod tamen rubricis minus est conforme, si liber super pulpitum ponatur, manibus libro appositis, cantat epistolam, caput inclinans ad nomina Jesu et Sancti, cujus festum celebratur, si occurrant, et genuflectens in loco suo, si quædam genuflexionem exigant. Epistola cantata, subdiaconus claudit librum, et illum deferens ut supra, accedit iterum ad medium altaris, ibique similiter flectit unico genu, et chorum iterum

Digitized by Google

si adsit salutando, statim per planum accedit ad celebrantem in cornu epistolæ; ubi flectit utroque genu super suppedaneum altaris (1), librum paululum deflectit ad celebrantem, osculatur dorsum manus celebrantis libro impositæ, et deinde capite inclinato accipit benedictionem : qua accepta surgit, et librum tradit cæremoniario vel acolytho, qui illum retinet aut deponit super credentiam; vel si hæc sit ecclesiæ consuetudo, se vertens per suam sinistram, librum offert diacono sub mutua parva capitis inclinatione (2).

Subdiaconus, si planeta plicata utatur, eamdem deponit super credentiam vel in alio loco opportuno, antequam accipiat librum epistolarum; cantata epistola, et accepta benedictione, planetam resumit, priusquam missale ad cornu evangelii deferat.

Si cantus gradualis aut sequentiæ protrahatur, celebrans et ministri ad sedes accedere possunt per gradus laterales, antequam celebrans ad medium altaris transeat ad dicendum *Munda cor*, eodem modo quo dictum est n. 314. Tempestive tamen surgere debent, ut circa finem cantus omnia sint recitata et peracta, ad statim evangelium cantandum.

DE EVANGELIO.

Rub. 5. *Postea idem Subdiaconus accipit Missale Celebrantis, defert ad cornu Evangelii in Altari, et ibi ministrat Celebranti; qui in medio Altaris submissa voce dicto* Munda cor meum *etc. et deinde lecto Evangelio, quod in fine non osculatur, delato etiam per Diaconum libro Evangeliorum ad Altare, imponit incensum in Thuribulum. Postea Diaconus genuflexus ante Altare dicit* Munda cor meum, *et accipiens librum Evangeliorum de Altari, petit benedictionem a Celebrante similiter genuflexus in superiori gradu Altaris :*

(1) S. R. C. 12 Jul. 1901, ad 5.
(2) Castaldus lib. 1, s. 7, c. 1, n. 10.

Digitized by Google

et osculata illius manu, præcedentibus Thuriferario et duobus Acolythis cum candelabris accensis de Credentia sumptis, vadit cum Subdiacono a sinistris ad locum Evangelii contra Altare versus populum; ubi Subdiacono librum tenente, medio inter duos Acolythos tenentes candelabra accensa dicit Dominus vobiscum, *junctis manibus. Cum dicit* Sequentia *etc. signat librum in principio Evangelii, frontem, os et pectus : postea ter librum incensat, hoc est, in medio, a dextris, et a sinistris; et prosequitur Evangelium junctis manibus. Interim Celebrans post datam Diacono benedictionem retrahens se ad cornu Epistolæ, ibi stat junctis manibus. Et cum Diaconus dicit* Sequentia sancti Evangelii, *Sacerdos etiam signat se : et cum nominatur* Jesus, *caput inclinat versus Altare. Finito Evangelio, Sacerdos osculatur librum a Subdiacono sibi delatum, dicens* Per Evangelica dicta *etc. et a Diacono ter incensatur. Si sit coram Prælato in sua residentia, liber defertur ad Prælatum, ut supra, et ille incensatur, ut in Cæremoniali. Postea stans etc.* (vid. n. 321).

---

318. *Celebrans,* data subdiacono benedictione post cantatam epistolam, accedit ad medium altaris, ibique legit *Munda cor, Jube* et *Dominus sit* ut in missa privata. Quibus recitatis vadit ad cornu evangelii, et legit evangelium ut in missa privata, hoc excepto, quod in fine librum non osculetur, nec dicat *Per evangelica dicta.*

Subdiaconus, tradito libro epistolarum, vertit se per suam dextram ad missale, illudque cum cussino seu pulpito ambabus manibus accipit, et transfert ad cornu evangelii, faciem vertens versus celebrantem, descendens per gradus altaris, incedens per planum post tergum diaconi, ac in medio altaris debitam reverentiam faciens : missale sic locat, ut ejus pars posterior fere angulum lateralem cornu evangelii respiciat. Deposito missali, ad cornu evangelii expectat celebrantem, et deinde eidem evangelium legenti, a sinistris assistit, folia vertendo et respondendo, se signando, caput versus librum

Digitized by Google

inclinando et genuflectendo una cum celebrante, item evangelio finito missale collocando versus medium altaris.

Diaconus, dum celebrans ad medium altaris accedit ad dicendum *Munda cor,* et subdiaconus librum transfert, adhuc in cornu epistolæ persistens, accipit a cæremoniario vel acolytho librum evangeliorum, vel si illum a subdiacono modo acceperit, eumdem ambabus manibus per partem inferiorem, cum apertura versus latus suum sinistrum et ante pectus elevatum tenens, procedit per planum, chorum si adsit salutando, ad medium altaris, ubi celebrans facit confessionem, ibique facta debita reverentia, ascendit ad altare, in ejus medio (1) deponit librum evangeliorum jacentem et clausum, cum apertura versus cornu evangelii. Ita communiter auctores. Si tamen post acceptionem libri, eumdem deferat, non descendendo per planum, neque reverentiam faciendo in medio ante gradus altaris, sed a cornu epistolæ per suppedaneum accedendo ad deponendum librum in medium altaris, dicendum non est, ipsum agere contra rubricas, quæ tantum dicunt : *delato per diaconum libro evangeliorum ad altare.* Diaconus deposito libro super altare, et facta altari reverentia, vel ibidem persistit paululum versus cornu epistolæ junctis manibus, celebrantem expectans, vel ad audiendum evangelium accedit ad celebrantem, scilicet juxta plures ad ejus sinistram paulo post celebrantem et subdiaconum, vel forte potius ad dextram, quia subdiaconus juxta rubricarum dispositionem ad sinistram assistit, ad ministrandum celebranti.

Diaconus, si planeta plicata utatur, eamdem demittit, antequam librum evangeliorum ad altare deferat; eaque tunc super sinistrum humerum super stolam complicatur, aut loco planetæ ponitur super stolam communem aliud genus stolæ latioris sed brevioris, quæ ligatur funiculis sub brachio dextro, juvante acolytho. Sic diaconus ministrat usque ad factam communionem.

Celebrans lecto evangelio accedit cum ministris ad medium

(1) S. R. C. 12 Jul. 1901, ad 3.

Digitized by Google

altaris, ubi facta debita reverentia imponit incensum, illudque benedicit, ut dictum est n. 308. Incenso benedicto, faciem convertit ad altare, ibique junctis manibus persistit usque ad benedictionem diaconi.

Subdiaconus lecto evangelio missale collocat prope corporale; accedit cum celebrante ad medium altaris, ubi facta reverentia, infra impositionem incensi se sistit a tergo celebrantis et facie ad eumdem versa. Incenso imposito se vertit cum celebrante ad altare, debitam facit reverentiam, et faciem vertendo versus celebrantem, descendit in planum, ubi faciem vertendo versus cornu epistolæ, se sistit vel retro post celebrantem vel paululum versus cornu evangelii.

Diaconus lecto evangelio, cum celebrante accedit ad medium altaris, si discesserit ad audiendum evangelium; se sistit a dextris ejus; altari facta reverentia, se vertit cum celebrante, ei ministrat ad impositionem incensi, eumque invitat ad benedictionem, ut dictum est n. 308. Incenso imposito, revertitur cum celebrante ad altare, debitam facit reverentiam, et mox descendit retro post celebrantem, ibique in medio altaris super suppedaneum flectit utroque genu, et manibus ante pectus junctis ac capite inclinato secreto dicit *Munda cor :* qua oratione totaliter finita, surgit, accedit ad librum in altari positum, eumque, prævia facta reverentia, ambabus manibus ut supra accipit, et erectum tenens ante pectus, iterum descendit post celebrantem, et similiter flectit utroque genu in medio altaris super suppedaneum seu superiorem gradum (1), atque librum ante pectus erectum caputque inclinatum tenens, alta voce dicit *Jube, Domne, benedicere;* manet capite inclinato, donec benedictionem acceperit, et dum Celebrans manum super librum ponit, eamdem tactu physico osculatur.

Celebrans, dum diaconus, accepto libro de altari, descendit, facta altari capitis inclinatione (2), se convertit ad dia-

(1) Bauldry p. 3, c. 11, art. 5, n. 18; A Carpo p. 2, n. 168; Merati p. 2, tit. 6, n. 27.

(2) Vid. n. 125, ad 18.

Digitized by Google

conum in suppedaneo genuflectentem, uti fit ad *Dominus vobiscum*, sed paulo versus cornu evangelii; et cum diaconus dixerit *Jube, Domne, benedicere*, manibus junctis alta voce dicit *Dominus sit in corde tuo* etc.; dum dicit *In nomine* etc. sinistra infra pectus posita, dextra facit signum crucis super diaconum : facta cruce, ponit super librum dextram, quam diaconus osculatur, deinde manus jungens, se convertit ad medium altaris, caput cruci inclinat, et mox transit ad cornu epistolæ.

Diaconus post osculum manus celebrantis surgit, celebranti iterum reverentiam facit, et faciem vertens versus cornu evangelii, descendit in planum paululum versus cornu epistolæ, ubi versus cornu evangelii similiter se convertit ad altare, et subdiacono stante vel parum recedente versus cornu evangelii, se sistit in loco paululum versus cornu epistolæ.

Circa finem gradualis thuriferarius cum thuribulo et duo acolythi cum candelis accensis accedunt ad gradus altaris, et se sistunt thuriferarius a tergo diaconi, unus acolythus a dextris diaconi, et alter a sinistris subdiaconi : sic constituti finito chori cantu omnes simul faciunt altari debitam reverentiam, et chorum si adsit salutando, præcedentibus thuriferario et deinde acolythis, diaconus et subdiaconus accedunt ad locum, ubi evangelium cantari solet, scilicet ad cornu evangelii in loco paululum ab altari remoto.

Subdiaconus post factam altari reverentiam, se parum ab altari removet, diaconum ante se transire sinit, et eumdem a sinistris ad locum prædictum comitatur.

Diaconus in isto loco se sistit, ut rubricæ se exprimunt, *contra altare versus populum* : quibus verbis litteraliter significari videtur, quod diaconus cantans evangelium tergum vertat ad altare et faciem ad populum, sive habeatur tabernaculum clausum, sine non habeatur tabernaculum; sed cæremoniale Ep. (1), usus, et auctores hanc rubricam sic exponunt, quod diaconus sub evangelio se ita sistat, ut habeat

(1) Lib. 2, c. 8, n. 44.

Digitized by Google

dextram ad altare, sinistram ad populum et faciem ad illam partem, quæ est ad cornu evangelii, seu quæ pro aquilone figuratur (1).

Subdiaconus se sistit prope diaconum, facie ad eumdem conversa, medius inter duos acolythos; et thuriferarius paulo post diaconum a dextris. Diacono librum aperiente, subdiaconus eumdem apertum ambabus manibus accipit circa inferiorem partem, eum adinstar pulpiti ita elevatum tenet, ut facies et oculi subdiaconi a libro tegantur, ac toto tempore evangelii persistit in illo situ immobilis absque sui signatione, capitis inclinatione aut genuflexione. Si liber evangelii super legile ponatur, illud panno coloris cæterorum paramentorum coopertum et ornatum esse debet; et subdiaconus similiter se sistit post legile, manibus hinc inde legile tenens et librum tangens, non se signans, neque inclinans, neque genuflectens, cum repræsentet legile immobile (2).

Diaconus cum librum aperuerit, et in manus subdiaconi tradiderit, junctis ante pectus manibus cantat *Dominus vobiscum,* et responso *Et cum spiritu tuo, Sequentia* aut *Initium s. Evangelii* etc. et interim sinistra super librum posita, signat pollice dextro librum in principio evangelii, ac sinistra infra pectus posita signat seipsum in fronte, ore et pectore, ut dictum est n. 219, advertens, ne signet os, dum aliquid cantat, quod vitare potest, si post signationem frontis sub verbis *sancti Evangelii,* modicam faciat pausam ad signandum os, et pectus signet sub verbis *secundum N.* Deinde dum chorus cantat *Gloria tibi Domine,* diaconus a thuriferario accipit thuribulum sine osculis, et sinistra thuribulum tenente super pectus posita, prius caput libro inclinat; capite erecto ter librum incensat: 1° in medio libri, 2° a dextris libri seu a sinistris diaconi, et 3° a sinistris libri seu a dextris diaconi; et deinde thuribulum tenens versus terram

(1) Inn. III, lib. 2, c. 42; Gavantus p. 2, tit. 6, rub. 5, m; Merati ibid. n. 30; Vinitor p. 4, tit. 14, § 25; Lohner p. 6, tit. 6, rub. 5, h.

(2) Cærem. Ep. l. 1, c. 10, n. 3, et l. 2, c. 8, n. 45; Vinitor p. 4, tit. 17, n. 13.

Digitized by Google

demissum, caput libro rursus inclinat, antequam thuribulum reddat. Thuribulo reddito et cantu chori finito, manibus junctis cantat evangelium, caput libro inclinans, si proferat nomen Jesu, Mariæ, aut Sancti, cujus fit missa vel specialis commemoratio; item si fieri debeat, versus librum genuflectens manibus junctis et unico tantum genu.

Celebrans in cornu epistolæ stat facie ad altare versa, donec diaconus cantat *Dominus vobiscum*, quo incepto faciem vertit versus diaconum cantantem evangelium, sicque persistit manibus junctis et oculis demissis, donec evangelium cantatum, et ipse incensatus fuerit. Cum diaconus cantat *Sequentia s. Evangelii* etc. ipse se quoque signat super trontem, os et pectus, se ad altare non convertendo : si cantetur ss. nomen Jesu, caput inclinat, versus crucem altaris se convertendo; si autem proferatur nomen Mariæ, aut Sancti, cujus fit missa aut specialis commemoratio, caput inclinat versus librum, ex quo cantat diaconus; si sit genuflectendum, conversus ad altare in cornu epistolæ, manibus super altare depositis, flectit unico genu, et erectus se iterum vertit ad diaconum.

Subdiaconus, finito evangelio, librum declinat super brachium sinistrum, sinistra tenens partem lateralem libri et dextra inferiorem.

Diaconus tunc sinistra super pectus posita, nihil dicens, dextra seu ejusdem extremitate junctis digitis, indicat subdiacono initium evangelii, prius folium vertendo, si in præcedente pagina initium habeatur. Deinde diaconus se parum retrahit, sinens subdiaconum cum libro ante se transire.

Subdiaconus librum super brachium sinistrum deferens elevatum, via recta, absque ulla altari aut celebranti reverentia facienda, accedit ad celebrantem, ipsique extremitate dextræ extensæ ostendit initium evangelii cantati, nihil dicens, et librum eodem modo retinens.

Celebrans, librum circa inferiorem partem utraque manu accipiens, quin subdiaconus eumdem tenere desinat, initium sacri textus osculatur, dicens *Per evangelica dicta* etc.

Subdiaconus, cum celebrans evangelium osculatus fuerit,

Digitized by Google

claudit librum, et facta celebranti parva capitis inclinatione et altari debita reverentia, descendit in planum per gradus laterales epistolæ, ne impediat diaconum incensantem : ibi librum reddit ministro vel ipsemet defert ad credentiam. Deinde celebrante a diacono incensato, subdiaconus accedit ad planum ante gradus medii altaris, nullam ibidem reverentiam faciendo, quia eam fecit, antequam a celebrante discesserit.

Diaconus, dum subdiaconus cum libro ad celebrantem ascendit, post thuriferarium et ceroferarios omnium ultimus, pariter accedit ad gradus ante medium altaris, ibique cum aliis debita facta reverentia, accipit thuribulum, et facie ad celebrantem conversa, exspectat in plano, donec celebrans librum osculatus fuerit. Deinde caput celebranti inclinat, tum eumdem ter incensat, postea iterum caput ei inclinat, et thuribulum reddit thuriferario. Thuribulo reddito, sine nova reverentia altari facienda, ascendit ad secundum gradum altaris, ibique stat post celebrantem.

Celebrans incensatus accedit ad medium altaris, ut dicetur n. 321.

Not. 1. Celebrantem semper dicere *Jube Domine benedicere*, quia Deum alloquitur; diaconum vero *Domne*, quia hominem alloquitur.

2. Dum est genuflectendum, aut caput inclinandum ad nomen *Jesu*, solum diaconum id facere versus librum, celebrantem autem et omnes alios versus crucem altaris; subdiaconum tamen librum tenentem et ceroferarios numquam genuflectere aut caput inclinare.

3. Textum evangelii Episcopo, si adsit, vel in ejus absentia celebranti tantum esse porrigendum ad osculandum, et nullo modo sæcularibus sine facultate Sedis Apostolicæ (1), nisi Imperatori aut Regi, aut in eorem dominiis jura imperialia seu regalia habentibus. Hæc prohibitio, ne laici evangelium osculentur, intelligenda est tam in missis solemnibus sive cantatis quam in missis privatis seu lectis, et tam in ecclesiis

(1) S. R. C. 24 Aug. 1609, n. 273; 13 Mart. 1688, n. 1792.

Digitized by Google

publicis quam in capellis privatis, tam in palatio quam in quocumque loco.

DE CONCIONE.

319. Si ipse celebrans sit concionaturus in cathedra, semper casulam et manipulum deponit vel in sacristia, vel potius in plano ad cornu epistolæ, et minus congrue super altare ad cornu epistolæ. Si illa deponat in sacristia, eodem modo cum ministris ab altari discedit, ac in fine missæ, et finita concione redit ut ante missam; si in plano ad cornu epistolæ, facta in medio altaris debita reverentia cum ministris descendit ab altari per gradus laterales epistolæ, ibique depositis casula et manipulo, accedit per planum ad gradus ante medium altaris, et facta altari reverentia, vadit ad cathedram; finita concione redit ad altare, et facta reverentia accedit ad planum in cornu epistolæ; ibi resumit paramenta, et per planum ante medium altaris cum debitis reverentiis accedit ad altare, ad missam prosequendam; si paramenta deponat super altare in cornu epistolæ, facta in medio altaris debita reverentia, accedit ad cornu epistolæ, ibi depositis casula et manipulo, redit ad medium altaris et renovat reverentiam, descendit ante infimum gradum altaris, et renovata reverentia, accedit ad cathedram; finita concione redit eodem modo. Diaconus et subdiaconus interim capite cooperto sedere possunt, ubi sub *Gloria* sedebant, vel alio loco opportuno, relicto loco celebrantis vacuo.

Si celebrans concionetur ad altare, vel retinet casulam et manipulum, vel illa deponit super altare in cornu epistolæ, et potius in plano ad cornu epistolæ. Si paramenta retineat, finito evangelio se vertit ad populum, ibique sedens tecto capite super scabello in suppedaneo (1) concionem habet, vel stans, si sit coram superiore sive ita maluerit, et tunc aperto capite, uti plures censent auctores, etiamsi in cathedra

(1) Memoriale Rit. pro min. eccl. tit. 1, c. 2, § 1, n. 15.

Digitized by Google

stans, cooperto capite concionetur. Interim diaconus et subdiaconus, facta in medio altaris reverentia, per gradus laterales accedunt ad scamnum in cornu epistolæ, ibique stant vel sedent, prout celebrans stat vel sedet; finita concione, celebrans se vertit ad medium altaris ad missam prosequendam, et diaconus et subdiaconus per planum accedunt ad altare. Si paramenta deponat super altare in cornu epistolæ, facta in medio altaris cum ministris reverentia, accedit ad cornu epistolæ, et ministri ad scamnum; depositis paramentis, facta iterum reverentia in medio altaris, accedit ad cornu evangelii, et concionem habet ut supra; finita concione, facta reverentia in medio altaris, resumit paramenta, et missam prosequitur; diaconus autem et subdiaconus per planum redeunt ad altare. Si paramenta deponat in plano ad cornu epistolæ, cum ministris sacris descendit in planum per gradus laterales epistolæ, ibi ministri sedent, et ipse depositis casula et manipulo, per planum ante medium altaris et cum debitis reverentiis ascendit altare, et in cornu evangelii se constituit ut supra; finita concione, similiter descendit per gradus laterales epistolæ, et resumptis casula et manipulo, cum diacono et subdiacono per planum redit ad altare. Celebrante concionante ad altare, candelæ extinguendæ non sunt.

320. Si alius concionetur, celebrans cum ministris vel recedit ad sacristiam, uti finita missa, et pariter finita concione redit ut ante missam; vel potius accedit ad scamnum in cornu epistolæ vel alio loco opportuno positum, ibique sedet tecto capite.

Sacerdos concionaturus, si fuerit regularis ex ordine monastico vel mendicantium, in proprio sui ordinis habitu concionatur; si autem fuerit sæcularis vel alius regularis, superpelliceum et stolam coloris officii induere debet (1). Quinam rochetto uti possint, vide n. 160.

Concionaturus infra missam coram Episcopo in loco ejus

(1) Cærem. Ep. l. 1, c. 22, n. 2; S. R. C. 12 Nov. 1831, n. 2682, 21; 31 Aug. 1867, n. 3157, 6; Gardellini instr. Clem. § 32, n. 6.

Digitized by Google

jurisdictionis, finito evangelio cum debitis reverentiis accedere debet ad osculum manus Episcopi, quam genuflexus, et si sit canonicus profunde inclinatus osculatur; deinde in eodem situ benedictionem petit, dicendo *Jube, Domne, benedicere* (1). Episcopus benedicens dicere potest : *Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis, ut digne ac competenter annunties verba sancta sua. In nomine Patris etc.* (2). Hæc autem facultas benedictionem hic impertiendi competit solis Episcopis, et non aliis (3), neque Abbatibus aliisque prælatis (4), neque parochis (5), neque vicariis generalibus (6), nisi talis adsit legitima consuetudo (7). Si concio fiat extra missam, benedictio non petitur.

Concionator in ecclesia oratione facta, qua concionem suosque auditores Deo commendet, dicens præcipue orationem *Munda cor meum*, vadit ad pulpitum : in quod cum conscendit, statim facit reverentiam cruci, et mox Episcopum si adsit, clerum ac populum salutat. Congruit, ut ipse celebrans cum ministris huic salutationi correspondeat, discooperiendo caput. Salutatione facta, caput tegit, aliquantulum quiescit, ac se componit, donec populi tumultus cessat. Tum concionator statim, detecto capite, signat se signo crucis, et genuflexus recitat salutationem angelicam voce intelligibili et devota; mox surgit, et capite cooperto incipit et prosequitur concionem, nisi ss. Sacramentum sit expositum, coram quo semper detecto capite est concionandum. In Gallia, ait Bauldry (8), uti etiam in Belgio, concionator solet post factum signum crucis statim uti præfatiuncula : qua facta salutationem angelicam flexis genibus recitat. Si ss. nomina

(1) Cærem. Ep. l. 1, c. 22, n. 2.
(2) S. R. C. 1 Jul. 1874, n. 3334, II.
(3) S. R. C. 18 Aug. 1877, n. 3434, 8.
(4) S. R. C. 27 Sept. 1659, n. 1132, 20.
(5) S. R. C. 11 Feb. 1690, n. 1823; 7 Dec. 1844, n. 2882; 23 Maji 1846, n. 2907, 1 et 2.
(6) S. R. C. 11 Jul. 1699, n. 2031.
(7) S. R. C. 1 Jul. 1874, n. 3334.
(8) P. 1, c. 10, n. 12.

Digitized by Google

Jesu et Mariæ occurant, caput discooperit et inclinat; si hæc nomina sæpius repetenda sint, potius utatur nomine Christi, Salvatoris aut Redemptoris, B. Virginis aut Dominæ nostræ : item si inter concionem orationem convertat ad Episcopum præsentem, caput ei profunde inclinat (1). In fine populum benedicere potest, nisi præsens sit Episcopus loci, non autem in parasceve Domini, neque post orationem funebrem.

Concio infra missam regulariter habetur de evangelio currenti; sermo vero extraordinarius, uti oratio funebris, non debet fieri infra missam, sed illa finita, antequam fiat absolutio, nec tunc ab Episcopo, si adsit, petitur benedictio (2).

DE SYMBOLO.

Rub. *Postea stans in medio Altaris versus ad Crucem, incipit, si dicendum sit,* Credo, *stantibus post eum Diacono et Subdiacono; deinde ad Altare accedentibus, et cum eo prosequentibus, ut dictum est ad* Gloria in excelsis.

6. *Si autem sit prædicandum, Concionator, finito Evangelio, prædicet, et sermone, sive concione expleta, dicatur* Credo *vel si non sit dicendum, cantetur Offertorium.*

7. *Cum vero in Symbolo cantatum fuerit* Et incarnatus est, *Diaconus accepta bursa de Credentia, ambabus manibus eam defert elevatam cum solitis reverentiis ad medium Altaris, in quo explicat Corporale, et revertitur ad celebrantem. Cum non dicitur* Credo, *Subdiaconus defert bursam simul cum Calice, ut infra dicetur.*

321. *Celebrans* incensatus post evangelium, accedit ad medium altaris, et sine inclinatione facienda, intonat, si dicendum sit, *Credo in unum Deum,* observans eosdem

(1) Cærem. Ep. l. 1, c. 22, n. 3 et 4.
(2) Cærem. Ep. l. 1, c. 22, n. 5 et 6; vid. Prax. Pontif. tom. 1, c. 22.

Digitized by Google

ritus, et totum symbolum legendo absolvens, ut in missa privata. Si opus fuerit ad intonandum, missale poni potest in medio altari (1).

Diaconus et Subdiaconus, dum celebrans ad medium altaris accedit, sine nova reverentia facienda, se sistunt retro post celebrantem, unus post alium, donec integre cantatum fuerit *Credo in unum Deum*. Dum celebrans cantat vocem *Deum*, caput cum eodem inclinant : hac voce cantata, sed non prius, altare ascendunt, diaconus ad dextram celebrantis sed lentius, et subdiaconus ad sinistram sed citius, ut simul ad latus celebrantis perveniant. Cum celebrante submissa voce totum recitant symbolum, non præveniendo, nec sequendo, sed concomitanter (2), caput inclinant ad *Jesum Christum* et *Simul adoratur*, genuflectunt ad *Et incarnatus est*, et in fine se signant.

Recitato symbolo, si non sit sedendum, celebrans persistit ad altare manibus junctis, medius inter diaconum et subdiaconum, stantes quasi pares cum eo, paulo tamen post ipsum. Caput inclinant, dum cantatur *Jesum Christum* et *Simul adoratur*. Antequam cantetur *Et incarnatus est*, altari facientes reverentiam, descendunt, celebrans et subdiaconus faciem vertentes versus cornu epistolæ, et diaconus versus cornu evangelii, et flectunt utroque genu cum profunda capitis inclinatione (3) in supremo gradu altaris seu in suppedaneo, celebrans in medio, diaconus a dextris et subdiaconis a sinistris, donec versus usque ad *Homo factus est* inclusive cantatus fuerit. Tunc surgunt, celebrans et subdiaconus ascendunt ad altare, debitam cruci facientes reverentiam; diaconus autem, nisi calix sit in altari, vadit ad credentiam per viam breviorem, accipit bursam, eamque defert, ut infra dicetur, chorum si adsit salutando; ante infimum gradum debita facta reverentia, recedentibus celebrante et subdiacono versus cornu evangelii, ascendit ad

(1) Martinucci lib. 2, c. 4, n. 126.
(2) S. R. C. 22 Ap. 1871, n. 3248, V.
(3) S. R. C. 23 Maji 1846, n. 2915, 6.

Digitized by Google

medium altaris, cruci altaris, non autem celebranti reverentiam faciens, et explicat corporale; quo explicato se recipit versus cornu epistolæ, celebrans ad medium et subdiaconus ad locum suum. In fine symboli cum cantatur *Et vitam venturi,* diaconus et subdiaconus faciunt cruci altaris debitam reverentiam, et se sistunt retro post celebrantem. unus post alterum.

Si sit sedendum, accedunt ad scamnum, et redeunt ad altare ut dictum est n. 314. Sedentes caput apertum inclinant ad *Jesum Christum,* et *Simul adoratur;* item ad *Incarnatus est* usque ad *Homo factus est* inclusive. In die autem annuntiationis B. M. V. et tribus missis nativitatis Domini semper genuflectunt ad *Et incarnatus est,* etiamsi sedeant, ut dictum est n. 117. Adeoque in his casibus, depositis biretis, tempestive surgunt, et manibus junctis flectunt in infimo gradu laterali a parte epistolæ, ad versum *Crucifixus* surgunt, et ad scamnum redeunt. Circa finem symboli, revertuntur ad altare, ut loco citato n. 314 dictum est, et facta ante altare debita reverentia, celebrans ascendit, et diaconus et subdiaconus se sistunt retro post celebrantem, unus post alterum.

Diaconus, si sedeant, nisi calix sit in altari, cantato *Homo factus est,* statim surgit; deposito bireto super scamnum in loco in quo sedebat, facit reverentiam celebranti, comite cæremoniario si adsit, per viam breviorem vadit ad credentiam; ibi a cæremoniario vel acolytho accipit bursam cum corporali, et si non offeratur, ipsemet illam sumit de calice; eamque per latera tenens ambabus manibus, pollicibus desuper et reliquis digitis subtus eam positis, parte aperta ad se conversa et clausa, quasi jacentem et ad oculos usque elevatam, solus sine cæremoniario, defert ad altare per viam longiorem, salutando celebrantem si ante eum transeat, ac chorum si adsit. Ad altare debita facta reverentia, ascendit, et corporale in medio altaris totaliter explicat, ut dictum est n. 202. Deinde facta in medio altaris debita reverentia, via breviori revertitur ad scamnum; celebranti facit reverentiam, et etiam aliqualem subdiacono in signum sedendi; tum accipit biretum, sedet, et caput cooperit.

Digitized by Google

Subdiaconus si sedeant, dum diaconus surgit ad bursam afferendam, etiam surgit, et stat usque ad reditum diaconi, biretum præ manibus tenens, ut juxta Cæremoniale Ep. ex consuetudine multorum fieri solet (1); si autem post discessum diaconi sederit, ei regresso iterum assurgit, eoque sedente sedet. Si non dicatur *Credo*, subdiaconus defert calicem simul cum bursa, ut num. seq. dicetur.

Surgente diacono ad bursam afferendam, et simul surgente subdiacono, surgunt etiam conformitatis ratione thurifera-rius, acolythi aliique ministri (2).

Diaconus surgens ad bursam afferendam et transiens ante celebrantem, reverentiam facit soli celebranti, et non subdiacono juxta regulam cæremonialis Ep. lib. 1, cap. 18, n. 14, juxta quam, si plures in eodem loco veniant, uni tantum ex ipsis reverentia exhibenda est. Contra diaconus rediens aliqualem subdiacono facit reverentiam, non tamen causa reverentiæ, quæ uni celebranti debetur et præstatur, sed ut nutu capitis se invicem ad sedendum invitent, uti fieri convenit (3).

Subdiaconus tamen conformitatis ratione cum celebrante, simul caput inclinando correspondet salutationi, quam diaconus celebranti exhibet.

Celebrans juxta auctores diaconi salutationi respondet modica capitis inclinatione, caput non aperiendo; verum cum reverentia capite tecto facta, a solis Episcopis fieri soleat, magis præstare videtur, si celebrans, diaconi salutationi respondeat, non quidem caput inclinando, sed illud solummodo aperiendo, sicut in similibus casibus a choro fieri debet (4). Sacra autem Rituum Congregatio rescripsit, servandam esse consuetudinem (5).

Notetur : Sacerdos celebrans missam conventualem in qua

(1) Cærem. Ep. lib. 2, c. 8, n. 54.
(2) Cærem. Ep. l. 1, c. 18, n. 7 et 11; A portu p. 2, ad tit. 6, rub. 7.
(3) Cærem. Ep. l. 1, c. 8, n. 3.
(4) S. R. C. 12 Sept. 1857, n. 3059, VI.
(5) S. R. C. 18 Aug. 1877, n. 3434, 5.

Digitized by Google

chorus cantare tenetur symbolum Apostolorum non potest eam prosequi eo tempore quo a choro cantatur symbolum prædictum (1), nequidem potest canonicus celebrans missam prosequi statim ac a choro cantatus sit versiculus symboli : *Et incarnatus est* (2).

Titulus VII.

DE OFFERTORIO ET ALIIS USQUE AD CANONEM.

DE OFFERTORIO USQUE AD INCENSATIONEM.

Rub. 9. *In Missa solemni dicto* Oremus, *Diaconus et Subdiaconus accedunt ad Altare in cornu Epistolæ; Diaconus amovet Calicem, si est in Altari, vel, si est in credentia, ut magis decet, accipit eum de manu Subdiaconi, qui illum cum Patena et Hostia, coopertum palla et velo a collo sibi pendente, manu sinistra tenens, et alteram manum superponens velo, ne aliquid decidat, de credentia detulit, comitatus ab Acolytho ampullas vini et aquæ portante : ipse Diaconus Calicem detegit, et dat Patenam cum Hostia Celebranti, osculando ejus manum : Subdiaconus extergit Calicem purificatorio : Diaconus accepta ampulla vini de manu Subdiaconi, imponit vinum in Calice : Subdiaconus interim ampullam aquæ ostendens Celebranti, dicit* Benedicite Pater reverende : *qui facto versus eam signo Crucis, dicit orationem* Deus qui humanæ *etc. interim Subdiaconus infundit paululum aquæ in Calicem; Diaconus illum Celebranti dat, et pedem Calicis tangens, seu brachium dextrum Celebrantis sustentans, cum eo dicit* Offerimus tibi Domine *etc. quem postea positum in*

(1) S. R. C. 17 Dec. 1695, n. 1936.
(2) S. R. C. 4 Mart. 1861, n. 3104.

Digitized by Google

Altari, ut supra, palla cooperit. Subdiacono deinde stanti in cornu Epistolæ ponit in dextra manu Patenam, quam cooperit extremitate veli ab ejus humero pendentis : qui vadit post Celebrantem ante medium Altaris, et facta genuflexione ibi stat, sustinens eam elevatam usque ad finem Orationis Dominicæ, ut dicetur. In Missis autem defunctorum, et in Feria sexta Parasceves Patena non tenetur a Subdiacono.

---

322. *Celebrans* cantato symbolo, vel si non dicatur, finito evangelio post suam incensationem, cantat *Dominus vobiscum* et *Oremus*. Deinde manens in medio altaris, omnia quæ se concernunt, peragit ac in missa privata, his exceptis 1° quod facta oblatione hostiæ patenam non subtus, sed prope corporale ponat, quia mox subdiacono tradenda est; 2° quod antequam aquam benedicat, prius manus ante pectus jungat, eamdem benedicens sinistram super altare ponat (1), et deinde orationem junctis manibus prosequatur; 3° quod, dum calix cooperitur aut discooperitur, utramque manum seu extremitates manuum super pedem calicis ponere possit.

Diaconus et subdiaconus, dum celebrans cantat *Dominus vobiscum* et *Oremus*, stant retro post celebrantem, unus post alterum : cantato *Oremus*, non tamen prius, si calix sit in altari, debita facta reverentia, ascendunt ad altare in cornu epistolæ, diaconus ad dextram celebrantis, et subdiaconus ad dextram diaconi.

Diaconus ad dextram celebrantis consistens, mox calicem in medio altaris positum ad nodum manu dextra accipit, et sinistra superposita eumdem coram se in cornu epistolæ collocat.

Diaconus autem solus, si calix sit in credentia, ut magis decet, ad dextram celebrantis ascendit.

Subdiaconus, si calix non sit in altari, post cantatum *Oremus*, et reverentiam altari factam, vadit ad credentiam;

(1) Rub. ritu celeb. tit. III, n. 5.

Digitized by Google

ibi prius induitur velo oblongo seu humerali (serico (1), quia vicem veli calicis subit, et coloris conformis missæ) utrinque a collo sibi pendente, ita tamen (2) ut a latere dextro longius pendeat; tum deposito velo calicis ab acolytho vel ab ipsomet subdiacono (3), vel super calicem relicto secundum consuetudinem ecclesiæ, manu sinistra calicem cum patena et hostia, palla coopertum, ad nodum accipit; et calice per ministrum aut cæremoniarium longiori parte veli a dextro latere pendente cooperto, super velum seu calicem ita coopertum dextram extensam ponit, ne quid de calice decidat. Tum subdiaconus faciem versus altare vertens, via breviori seu per gradus laterales epistolæ sine reverentiis faciendis accedit ad dextram diaconi, comitante seu sequente uno acolytho, ampullas vini et aquæ portante.

Diaconus se vertens ad subdiaconum calicem afferentem, velum humerale a calice amovet, eumdem de manu subdiaconi accipit (4) et ante se in cornu epistolæ collocat. Tum si non fuerit cantatum symbolum, et subdiaconus calicem cum bursa ad altare attulerit; diaconus, cum calicem super altare posuerit, prius bursam accipit, corporale extrahit, et celebrante parum recedente versus cornu evangelii, bursam ponit ad cornu evangelii, ac corporale in medio altaris totaliter explicat, uti n. 202 dictum est.

Diaconus deinde velum calicis, si adsit, utraque manu ad extremitates accipit, tollit, et tradit ministro deferendum ad credentiam, vel ut num. 223 dictum est, illud plicat, et sic plicatum ponit extra corporale in cornu epistolæ retro post calicem; deinde sinistra super pectus posita, dextra inter pollicem et reliquos digitos pallam accipit, eamque contra tabellam vel super velum calicis ponit. Tum si hostiæ minores sint consecrandæ, pyxidem per sacristam aut cæremoniarium

(1) Cærem. Ep. lib. 1, c. 10, n. 5.

(2) Cærem. ibid.

(3) Merati p. 2, tit. 7, n. 49.

(4) Ita Rubricæ hoc titulo VII, n. 9, et Cærem. Ep. lib. 1, c. 10, n. 5, licet juxta Cærem. lib. 2, c. 8, n. 60 ipse *subdiaconus calicem cum patena ponat in cornu epistolæ.*

Digitized by Google

ad altare delatam, dum subdiaconus calicem attulit, diaconus super corporale et aram sacram retro post locum calicis collocat, eamque aperit. Diaconus deposita palla, et aperta pyxide, si adsit, utraque manu de calice patenam circa ejus circumferentiam accipit, sic ut celebrans utraque manu eamdem accipiens, imaginem crucifixi hostiæ impressi, coram se habeat; tum osculatur patenam in extremitate, et deinde eamdem in manus celebrantis tradendo, dorsum dextræ celebrantis. Cum celebrans dicit *Suscipe sancte Pater*, pyxidem, si adsit, dextra aliquantulum elevat, eamque facta oblatione super altare reponit, et cooperit.

Subdiaconus, qui hucusque post allatum calicem ad altare expectavit junctis manibus et velo pendente ab humeris, post sublatam patenam a diacono, sinistra accipit calicem ad nodum, dextra pravum cochlear si adsit demittit, et calicem purificatorio extergit, ut n. 226 dictum est. Exterso calice, eumdem super altare deponit, et purificatorium secundum dicta num. cit. vel super mappam deponit, deinde a diacono juxta corporale ponendum, vel juxta nodum calicis tenet, ut a diacono una cum calice capiatur.

Diaconus, patena cum hostia celebranti tradita, et calice exterso a subdiacono, sinistra inter pollicem et reliquos digitos calicem ad nodum accipit vel sine purificatorio, vel cum eodem super pedem calicis pendente.

Subdiaconus post acceptum calicem a diacono, se convertens ad acolythum, sinistra super pectus posita, dextra accipit ampullam vini, eamque ex parte ansæ diacono sine osculis offert.

Diaconus, accepta ampulla, effundit vinum in calicem in ea quantitate, quæ unico haustu facile sumi potest, sive ad beneplacitum celebrantis, qui propterea ad hoc attendere debet; et deinde ampullam dextra retinet, donec subdiaconus aquam infuderit.

Subdiaconus interim, dum diaconus vinum infundit, accipit ampullam aquæ de manu acolythi, eamque super altare elevans et celebranti ostendens, parum inclinatus versus eum, voce intelligibili dicit *Benedicite, Pater reverende;* facto

Digitized by Google

signo crucis super ampullam a celebrante, et non prius, effundit parum aquæ in calicem inter orationem celebrantis, vel immediate ex ampulla, vel mediante parvo cochleari, prout usus hic communis recipit; in casu autem usus cochlearis prius dextra ostendit ampullam celebranti, et facto signo crucis super illam, sinistra eamdem recipit; tum dextra aquam cum cochleari sumit, et in calicem mittit, residuumque in ampullam refundit. Infusa aqua, recipit ampullam vini de manu diaconi, et utramque ampullam acolytho remittit. Deinde cum purificatorio aut manutergio extergit cochlear, si eo usus fuerit, illudque juxta velum calicis deponit.

Diaconus ampulla vini subdiacono reddita, si guttæ aquæ aut vini extra calicem dispersæ appareant, illas purificatorio abstergit; et si intra calicem, vel circumacto vino easdem unit in fundo calicis, vel indicem dextrum purificatorio involvens, eumdem intra calicem undequaque circumducit, ut guttas totaliter abstergat, prout dictum est n. 228. Quo facto ponit purificatorium plicatum juxta corporale, ita ut purificatorii extremitates altare et non celebrantem respiciant. Deinde tenens calicem dextra ad cuppam vel infra eam, et sinistra ad pedem, osculatur pedem calicis et deinde dorsum dextræ celebrantis, ac eumdem tradit celebranti : tum sinistra super pectus posita vel casulam celebrantis elevante, dextra vel tangit pedem calicis ad illum quasi sustinendum, dum celebrans illum offert, vel sustentat brachium dextrum celebrantis, cum eo oculos ad crucem elevans, et secreta voce dicens *Offerimus tibi, Domine.* Dum celebrans calicem demittit, diaconus dextram suam retrahit, pallam inter pollicem et reliquos digitos accipit, et calicem a celebrante depositum palla cooperit.

Subdiaconus post infusionem aquæ, expectat in cornu epistolæ, donec patena a diacono porrigatur; et casu, quo velo humerali non est indutus, quia calix ab initio missæ in altari ponitur, eo interea per cæremoniarium aut acolythum induitur.

Diaconus, palla super calicem posita, accipit patenam, eamque sine purificatorio (quia de eo nihil in rubricis dici-

Digitized by Google

tur) ponit in solam dextram subdiaconi, sic ut pars concava patenæ subdiaconum respiciat; et patenam in manu subdiaconi positam cooperit longiori veli extremitate a latere dextro pendente.

Subdiaconus patenam dextra inter pollicem et reliquos digitos accipit, sinistram autem ad corpus applicat, vel cum eadem brachium dextrum sustentat, vel velum tenet ne removeatur : sic tenens patenam, sine reverentia facienda discedit per suam sinistram post celebrantem in planum ante medium altaris; ibique facta genuflexione, ut in rubricis præscribitur, stat usque ad finem orationis dominicæ, sustinens patenam elevatam, nisi incedere, genuflectere, aut se inclinare debeat. Auctores communiter censent, patenam usque ad oculos elevatam tenendam esse : cum autem rubricæ missalis et cæremonialis (1) simpliciter præscribant eamdem elevatam sustinendam esse, dicendum est sufficere si usque ad pectus elevetur.

Subdiaconus, dum tenet patenam, non transit cum celebrante infra incensationem de uno cornu ad alterum, neque ad lotionem manuum ad cornu epistolæ; sed semper stat in medio ante altare, nisi ad *Sanctus*, quando ad sinistram celebrantis ascendit, et sub consecratione, quando flectit utroquo genu super infimum gradum in medio altaris (2); ex decreto S. R. C. (3) constat, subdiaconum sustinentem patenam non genuflectere, quando celebrans post offertorium genuflexus thurificat ss. Sacramentum expositum.

Subdiaconus, si velo humerali non sit indutus, et consequenter patenam non sustineat (quod tamen fit contra rubricas), tunc post infusionem aquæ statim transit ad sinistram celebrantis, eique ad incensationem sicut in altera ante introitum assistit; et si incensatio etiam omittatur, post infusionem aquæ discedit in planum retro post celebrantem, et cum eo ad lotionem manuum transit ad cornu epistolæ.

(1) L. 1, c. 10, n. 6, et l. 2, c. 8, n. 63.
(2) Gavantus p. 1, tit. 17, rub. 5; Merati p. 2, tit. 7, n. 60; Cavalieri t. 5, c. 13, n. 57, conformiter ad Cærem. Ep. l. 1, c. 10, n. 6.
(3) 11 Feb. 1764, n. 2474, 1.

Digitized by Google

Diaconus, si subdiaconus patenam non deferat, eamdem purificatorio tegit, ut in missa privata.

DE INCENSATIONE AD OFFERTORIUM.

Rub. 10. *Dicto* Veni sanctificator, *ut supra, Celebrans, ministrante Diacono naviculam, et dicente* Benedicite Pater reverende, *ponit incensum in Thuribulum, dicens* Per intercessionem, *etc. ut in Ordine Missæ. Deinde accepto Thuribulo per manum Diaconi, nullam tunc faciens Cruci reverentiam, incensat oblata, ter ducens Thuribulum super Calicem et Hostiam simul in modum Crucis, et ter circum Calicem et Hostiam, scilicet bis a dextra ad sinistram, et semel a sinistra ad dextram (Diacono interim pedem Calicis tenente manu dextra), dispensans verba in qualibet incensatione, hoc modo: in prima incensatione*, Incensum istud, *in secunda*, a te benedictum, *in tertia*, ascendat ad te Domine, *in quarta*, et descendat super nos, *in quinta et sexta*, misericordia tua. *Deinde facta reverentia, incensat Crucem et Altare, ut dictum est supra, assistente eodem Diacono, interim dicens* Dirigatur Domine oratio mea *etc. et cum incensatur Crux, Diaconus amovet Calicem ad partem Epistolæ, et incensata Cruce reponit in loco suo. Cum reddit Thuribulum Diacono, dicit* Accendat in nobis *etc. et incensatur ab eo: deinde Diaconus incensat et postremo Subdiaconum tenentem Patenam; et ipse Diaconus incensatur a Thuriferario, et Thuriferarius postea incensat Acolythos et populum. Celebrans postquam incensatus fuerit, lavat manus*, etc. (vid. n. seq.).

---

323. *Celebrans* cum orationes *In spiritu humilitatis* et *Veni sanctificator* recitaverit ut in missa privata, manens in medio altaris, junctis manibus sine reverentia facienda faciem suam convertit ad cornu epistolæ seu ad diaconum

Digitized by Google

ibidem stantem, et imponit incensum in thuribulum eodem modo, ut supra num. 308 dictum est, cum hoc discrimine, quod incensum imponens recitet *Per intercessionem*, et incenso imposito, illud benedicat ad verbum *benedicere.* Incenso imposito et benedicto, accipit a diacono thuribulum, tenens dextram, quo fieri potest, proximiorem ipsi thuribulo, ita ut parvum catenularum spatium remaneat inter ipsius manum dextram et thuribulum; tum faciem convertit ad altare, et nullam tunc faciens reverentiam, incensat oblata, ter ducens thuribulum super calicem et hostiam simul in modum crucis, in æquali altitudine, thuribulum versus hostiam non demittendo, nec super calicem elevando, neque cum thuribulo quatuor puncta seu extremitates crucis faciendo, sed ad singulas cruces duas distinctas lineas, unam rectam et alteram transversam, formando eodem modo, quo oblata cum manu signantur : primam lineam incipit a medietate pallæ, eamque linea recta ducit ultra hostiam; tum reducto thuribulo ad anteriorem partem pallæ, transversam in æquali altitudine, ac primam, ducit juxta anteriorem oram pallæ, quæ primam secat in medio. Sub prima cruce super oblata ad lineam rectam dicit *Incensum,* et ad lineam transversam *istud;* sub secunda cruce ad lineam rectam *a te* et ad transversam *benedictum;* sub tertia cruce ad lineam rectam *ascendat* et ad transversam *ad te Domine.* His tribus crucibus cum thuribulo factis, ter ducit thuribulum circum calicem et hostiam, ita ut calicem et hostiam per modum circuli seu coronæ cum thuribulo circumeat, et pes thuribuli fere tangat mensam altaris, nisi parva latitudo mensæ altaris tantum spatium non relinquat : bis ducit thuribulum a dextra ad sinistram, seu a cornu epistolæ ad cornu evangelii per partem posteriorem calicis, ita tamen, ut prima circuitio distinguatur a secunda per aliquam morulam; et contra semel tertia vice a sinistra ad dextram, seu a cornu evangelii ad cornu epistolæ. Sub primo circulo dicit *Et descendat super nos,* et sub secundo et tertio *misericordia tua.* Deinde facta reverentia, incensat crucem, reliquias si adsint, et altare eodem modo, quo dictum est n. 308 et seq., cum hac sola

Digitized by Google

differentia, quod celebrans incipiens incensare crucem (1), secreto incipiat psalmum *Dirigatur Domine*, etc. ut in ordine missæ, cujus verba ita distribuit, ut continuo recitando, eodem tempore finiantur verba et thurificatio (2) : reddens diacono thuribulum in cornu epistolæ secreto dicit *Accendat in nobis* etc.

Diaconus, cum patenam subdiacono tradiderit, manet juxta celebrantem in cornu epistolæ, et celebranti infra incensationem assistit, ut in altera ante introitum, cum his tamen differentiis : scilicet eodem tempore, quo celebranti cochlear offert, parum inclinatus dicit *Benedicite, Pater reverende*, ut celebrans orationem longiorem dicere possit infra impositionem thuris, et deinde immediate incensum benedicere queat; dum celebrans oblata incensat, tenet pedem calicis extremitate dextræ manus, ne evertatur, et sinistra posteriorem partem casulæ elevat : deinde dum crux est incensanda, dextra amovet calicem de medio altaris ad partem epistolæ, non tamen extra corporale, si capax sit, et incensata cruce eumdem in locum solitum restituit; infra incensationem sinistra vel dextra, prout magis convenit, solus casulam elevat, altera manu super pectus posita; cum in fine celebrantem incensaverit, si non habeatur chorus, se sistit e regione subdiaconi, mediante tanto spatio, ut eum commode incensare valeat, ibique facie ad subdiaconum conversa, eumdem bis incensat sub mutua parva capitis inclinatione ante et post incensationem; subdiacono incensato, reddit thuribulum thuriferario, et ascendit ad secundum gradum altaris retro post celebrantem in cornu epistolæ sine reverentia facienda, quia non est in medio altaris; ibi se convertit ad thuriferarium, ita ut latus sinistrum ad altare habeat, et a thuriferario bis quoque incensatur, ac incensatus faciem vertit ad altare.

Diaconus autem, si habeatur chorus, incensato colebrante, et si opus sit, imposito incenso per thuriferarium sine bene-

(1) S. R. C. 5 Mart. 1870, n. 3213, II.
(2) Cærem. Ep. lib. 1, c. 23, n. 11.

Digitized by Google

dictione, sinistra summitatem catenularum tenente super pectus posita, dextra tenens catenulas inferiores thuribuli, altari debitam facit reverentiam, et antequam subdiaconum incenset, tendit ad incensandum chorum, comitante cæremoniario vel thuriferario a sinistris ejus. Ad chorum conversus, eum salutat ab utraque parte, si prope adsit; si autem aliquantulum distet, propius accedit, et in limine chori consistens, salutat prius a parte, in qua sedet dignior ex præsentibus, et deinde ab altera.

In incensando choro servanda est forma et regula cæremonialis Ep. lib. 1, c. 23, vel alias laudabilis cujusque ecclesiæ consuetudo. Thurificatio semper incipienda est a parte digniori (1). Canonici ecclesiæ cathedralis et collegiatæ, item sacerdotes parati incensantur duplici ductu; alii sacerdotes in choro unico ductu, et cæteri sine mora (2). Si is qui thurificat, sit æqualis dignitatis cum eo, qui thurificandus est, aut etiam majoris, invicem capite inclinato sibi reverentias faciunt ante et post thurificationem; si vero qui thurificat minor est, ipse quidem versus majores caput profunde inclinat ante et post, illi autem parum vel nihil versus thurificantem correspondent pro qualitate ipsius thurificantis, qui et ipse thurificando alios post canonicos, parum vel nihil versus eos caput inclinat, pro eorum qualitate (3). Ipsi quibus thus datur, observare solent, ut alter alterum immediate subsequentem capitis nutu modeste invitet ad thurificationem prius capiendam, modo transeundo per modum unius non incensentur. Ecclesiastici soli habitu chorali induti incensantur, et interim nudo capite et corpore erecto stare debent (4).

Diaconus choro (5) incensato, revertitur ad altare, habens thuribulum præ manibus. Ibi debita facta reverentia, incensat assistentem celebrantis, si adsit (6), et deinde facie ad subdia-

(1) Vid. Praxis Pontif. tom. 1, n. 190.
(2) Gavantus p. 2, tit. 7, rub. 10, c; Praxis Pontif. tom. 1, n. 194.
(3) Ita Cærem. Ep. l. 1, c. 23, n. 20.
(4) Praxis Pontif. tom. 1, n. 184 et 186.
(5) Praxis Pontif. ibid. n. 188.
(6) Praxis Pontif. tom. 2, n. 149.

Digitized by Google

conum conversa, eumdem incensat ut supra. Reddito thuribulo, ascendit ad solitum gradum ante medium altaris post celebrantem, ibi debitam altari reverentiam faciens, se convertit ad thuriferarium, et incensatur ut supra.

Subdiaconus deferens patenam, semper manet in medio altaris infra incensationem, ut num. præc. dictum est. Incensato choro, vel si chorus non habeatur, incensato celebrante, se vertit ad diaconum, ita ut latus sinistrum ad altare conversum habeat, patenam si opus sit ad pectus demittit, et sub mutua inclinatione incensatur; quo facto faciem iterum vertit ad altare. Si patenam non deferat, cum diacono assistit celebranti ut in priori incensatione.

Thuriferarius, incensato diacono, et ad altare genuflexione facta, incensat acolythos apud credentiam, omnes simul et sine mora. Tum facta genuflexione ante altare, procedit ad aditum chori, ibique in medio, et si ss. Sacramentum expositum fuerit, ab uno aut altero latere, incensat populum in medio, a dextris populi et a sinistris ejus, cum inclinatione ante et post incensationem.

DE AGENDIS AB INCENSATIONE USQUE AD CANONEM.

Rub. *Celebrans postquam incensatus fuerit, lavat manus, ministrantibus Acolythis ampullam aquæ cum pelvicula et manutergio.*

11. *Cum dicitur Præfatio, Diaconus et subdiaconus stant retro post Celebrantem : et paulo antequam dicatur* Sanctus, *accedunt ad Altare, ubi cum Celebrante hinc inde dicunt* Sanctus, *et quæ sequuntur usque ad Canonem. Deinde Diaconus accedit ad sinistram Celebrantis, ei assistens, dum dicitur Canon, nisi alius Sacerdos assistat, quia tunc ipse staret ad dextram aliquantum post Celebrantem; Subdiaconus vero tunc stat post Celebrantem.*

Digitized by Google

324. *Celebrans* ab incensatione omnia peragit ut in missa privata, præterquam quod lavet non extremitates pollicis et indicis ut in missa privata, sed totas manus, ut a pulvere, quod incensatione facile contrahitur, mundentur; et 2° quod cantet præfationem.

Diaconus incensatione peracta, se sistit retro post celebrantem in solito gradu altaris, et si adsit, debita facta reverentia, transit ad cornu epistolæ cum celebrante discedente ad lavandas manus; in fine psalmi *Lavabo* ad *Gloria Patri* se non inclinat, quia celebrans secreto legit; deinde cum celebrante redit ad medium altaris, debitam iterum reverentiam faciens. Ad *Orate, fratres*, celebranti respondet. Infra orationes secretas et præfationem stat in loco solito retro post celebrantem (1), nisi ad celebrantem accedere debeat ad vertenda folia missalis (2) : quo casu, debita facta reverentia, ascendit ad sinistram celebrantis, eique manu sinistra extensa et unitis digitis indicat singulas secretas legendas, celebrante finem cujusque secretæ manu sua indicante. In fine ultimæ secretæ, si ad celebrantem accesserit, quærit præfationem, hacque celebranti indicata, et debita facta reverentia, statim descendit ad locum suum retro post celebrantem. Infra præfationem cum celebrante caput inclinat ad *Deo nostro*, et ad nomina Jesu et Mariæ, si occurant. In fine præfationis, paulo antequam dicatur *Sanctus*, debita prius facta reverentia, ascendit ad dextram celebrantis, ibique corpore mediocriter inclinato, submissa voce cum celebrante dicit *Sanctus* et ea quæ sequuntur usque ad canonem. Ad *Benedictus* se erigit, et se signat : deinde facta reverentia, a dextra celebrantis transit ad ejus sinistram, ubi iterum facit reverentiam. Si subdiaconus ad celebrantem non accedat ad dicendum *Sanctus*, eo casu diaconus ascendit ad sinistram celebrantis, ibique manet (3).

Subdiaconus, si teneat patenam, stat ab incensatione

(1) Rub. in ritu celeb. tit. IV, n. 7; Merati p. 2, tit. 7, n. 75.
(2) Vinitor p. 4, tit. 14, n. 30; De Conny liv. 2, ch. 2, art. 2.
(3) Merati p. 2, tit. 7, n. 83.

Digitized by Google

usque ad *Sanctus*, in plano ante medium altaris, ut dictum est n. 322. Ad *Orate, fratres*, celebranti respondet saltem si diaconus ab incensatione chori nondum reversus fuerit. In fine præfationis, debita cum diacono facta reverentia, ascendit ad sinistram celebrantis, ubi corpore mediocriter inclinato, submissa voce cum celebrante dicit *Sanctus;* ad *Benedictus* se erigit, sed se non signat, quia patena est impeditus. Dum celebrans incipit canonem, debitam cum diacono facit reverentiam, et descendit in planum retro post celebrantem, sed novam non facit reverentiam. Si autem ea sit ecclesiæ consuetudo, ut subdiaconus ad celebrantem non accedat ad dicendum *Sanctus*, hæc servanda est (1).

Subdiaconus, si patenam non teneat, transit ad lotionem manuum cum celebrante et diacono ad cornu epistolæ; infra præfationem caput inclinat ad *Deo nostro* et ad nomina Jesu et Mariæ, si occurant; semper ad celebrantem accedit ad dicendum *Sanctus*, et si tempestive ad sinistram celebrantis venerit, folia vertit, ac celebranti *Sanctus* indicat; ad *Benedictus* se signat, et antequam ab altari discedat, iterum vertit folia, et initium canonis indicat.

Titulus VIII.

DE CANONE MISSÆ USQUE AD CONSECRATIONEM.

Rub. 8. *In Missa solemni ad finem Præfationis accenduntur duo saltem intorticia ab Acolythis, quæ extinguuntur post elevationem Calicis, nisi aliqui sint communicandi, et tunc extinguuntur post Communionem. In diebus etiam jejuniorum, et in Missis pro defunctis, tenentur accensa usque ad Communionem. Cum autem celebrans dicit* Quam oblationem *etc., Diaconus accedit ad ejus dextram, et ibi in*

(1) S. R. C. 12 Nov. 1831, n. 2682, 30.

Digitized by Google

superiori gradu Altaris genuflexus, cum Sacramentum elevatur, fimbrias Planetæ elevat, et quando opus est, se erigens, Calicem discooperit et cooperit, et cum Celebrante genuflectit. Subdiaconus genuflectit in loco suo. Thuriferarius genuflexus in cornu Epistolæ ter incensat Hostiam, cum elevatur, et similiter Calicem, posito incenso in Thuribulo absque benedictione. Reposito Calice, Diaconus redit ad librum, nisi alius assistat. Cæteri surgunt, et stant in locis suis.

---

325. *Celebrans* per totum canonem missam solemnem celebrat ut missam privatam, præterquam quod, quotiescumque calix est discooperiendus vel cooperiendus, extremitates digitorum utriusque manus super pedem calicis ponere possit in signum, ut a diacono discooperiatur aut cooperiatur, et ad majorem firmitatem, ne effundatur.

Diaconus post *Sanctus* a dextra celebrantis regressus et ad ejus sinistram constitutus, celebranti assistit, legenda indicando et folia vertendo, celebrante sinistra sua id indicante; folia autem communiter vertit sinistra, ne celebrantem legentem impediat. Caput infra canonem non inclinat cum celebrante, quia secreto legit. Dum celebrans dicit *Quam oblationem*, facta prius reverentia, accedit ad dextram celebrantis, ibique post signationes, si adsit pyxis cum hostiis consecrandis, illam detegit, et cooperculum extra corporale deponit. Deinde flectit utroque genu et capite inclinato juxta celebrantem in superiori gradu seu suppedaneo altaris, et dum celebrans post consecrationem hostiæ genuflectit, dextra super pectus posita, sinistra elevat partem posteriorem casulæ, sed sine osculis. Dum celebrans post elevationem s. Hostiæ a genuflexione surgit, simul surgit diaconus, et cooperit pyxidem si adsit; deinde calicem discooperit, et pallam contra tabellam versus cornu epistolæ vel super velum calicis collocat. Tum iterum flectit utroque genu, et casulam elevat, ut infra elevationem s. Hostiæ. Dum celebrans calicem post ejus elevationem demittit, surgit, calicem depositum palla

Digitized by Google

cooperit, et facta cum celebrante genuflexione unico genu, accedit ad ejus sinistram, ibique iterum genuflectit.

Subdiaconus, stat per totum canonem in plano retro post celebrantem. Infra consecrationem flectit utroque genu in loco suo super infimum gradum ante medium altaris, et interea patenam ante pectus si opus sit demittit, ac caput inclinat. Peracta consecratione surgit, et stat iterum in loco suo, patena ut antea elevata.

Subdiaconus, si patenam non teneat, etiam per totum canonem stat post celebrantem; et tunc ut fit communiter, ad *Quam oblationem* in loco suo debitam reverentiam facit, et diacono accedente ad dextram celebrantis, ipse ascendit ad superiorem gradum altaris, ibi a tergo celebrantis paululum versus cornu evangelii flectit utroque genu, cum diacono casulam dextra elevat, et factis elevatione calicis ac genuflexione celebrantis post illam, surgit, atque ad locum suum recedit. In hoc autem casu infra elevationem ss. Sacramentum melius incensat, ut in missa solemni de *Requiem*.

Servanda ab acolythis et thuriferario vide tom. II, n. 15 et 16.

Titulus IX.

DE CANONE POST CONSECRATIONEM USQUE AD ORATIONEM DOMINICAM.

Rub. 4. *In Missa solemni cum Celebrans dicit* Per quem hæc omnia, *etc. Diacanus facta Sacramento genuflexione, accedit ad dextram Celebrantis, et quando opus est, discooperit Calicem, et cum Celebrante adorat; similiter cooperit, et iterum genuflectit. Cum incipit* Pater noster, *idem vadit retro post Celebrantem, facta prius Sacramento genuflexione, ubi stat, dum dicitur Oratio Dominica.*

Digitized by Google

326. *Celebrans* omnia facit ut in missa privata, ut dictum est num. præc.

Diaconus post consecrationem a sinistris celebrantis constitutus, eidem assistit ut ante consecrationem. Cum celebrante se signat in oratione *Supplices* ad verba *Omni benedictione* etc., sed non tenetur pectus percutere ad *Nobis quoque peccatoribus* (1). Dum celebrans dicit *Per quem hæc omnia*, flectit unico genu, et deinde accedit ad dextram celebrantis, ubi post signationes super hostiam et calicem, calicem discooperit, et palla deposita, cum celebrante flectit unico genu. Si ad dextram celebrantis prius accederet, ita ut ad calicem discooperiendum expectare deberet, tunc genuflectit, quam primum ad celebrantis dextram pervenit, et postea iterum cum eodem genuflectit. Ad *Per ipsum* pedem calicis extra missam Pontificalem tenere non debet, cum ipse celebrans nodum sinistra teneat. Deinde deposito calice, et digitis celebrantis, si opus sit, super eumdem extersis, calicem palla cooperit, et genuflectit cum celebrante. Tum diaconus juxta aliquos descendit retro post celebrantem; cum autem juxta rubricas retro post celebrantem tantum descendere debeat, dum celebrans incipit *Pater noster*, juxta alios a dextris celebrantis manet, vel potius, nisi sacerdos assistens vel saltem cæremoniarius, qui celebranti assistit, habeatur, redit ad sinistram celebrantis, ubi iterum genuflectit, et orationem dominicam indicat (2). Dum celebrans incipit hæc verba *Pater noster*, genuflectit, et vadit retro post celebrantem.

Quoad Subdiaconum patenam tenentem vid. n. 322, in fine. Si autem patenam non teneat, ad quamlibet genuflexionem cum celebrante genuflectit in plano, ubi stat, retro post celebrantem (3) : se tunc quoque signat infra orationem *Supplices* ad *Omni benedictione*, sed non tenetur pectus percutere ad *Nobis quoque peccatoribus* (4).

(1) S. R. C. 30 Dec. 1881, n. 3535, 3.
(2) Vid. Bouvry p. 3, s. 3, tit. 9 de m. sol.
(3) Rub. gen. tit. XVII, n. 4.
(4) S. R. C. 30 Dec. 1881, n. 3535, 3.

Digitized by Google

Titulus X.

DE ORATIONE DOMINICA ET ALIIS USQUE AD FACTAM COMMUNIONEM.

DE ORATIONE DOMINICA USQUE AD AGNUS DEI.

Rub. 8. *In Missa solemni Diaconus stans retro post Celebrantem, cum in Oratione Dominica dicitur* Et dimitte nobis debita nostra, *facta ibidem genuflexione vadit ad dextram Celebrantis, et Subdiaconus circa finem Orationis Dominicæ, facta itidem genuflexione revertitur ad Altare, et stans in cornu Epistolæ porrigit Patenam Diacono, qui eam discooperit, et purificatorio abstergens dat Celebranti, illius manum osculando, et quando opus est discooperit et cooperit Calicem, et cum Celebrante adorat. Subdiaconus reddita Patena, et deposito velo, quod ab humeris ejus pendebat, genuflectit, et descendit retro post Celebrantem, et cum dicitur* Pax Domini, *iterum genuflectens accedit ad sinistram Celebrantis, et simul dicunt* Agnus Dei *etc.* (vid. num. seq.).

327. *Celebrans* cantat *Per omnia sæcula, Oremus, Præceptis salutaribus moniti,* etc. *Pater noster, Per omnia,* et *Pax Domini.* Post orationem dominicam responso *Amen,* dextra accipit patenam a diacono abstersam; dum calix est discooperiendus vel cooperiendus, extremitates utriusque manus super pedem calicis ponere potest; reliqua agit ut in missa privata. Notet autem celebrans, ut expectet finem responsi ad *Pater noster* et *Pax Domini,* ita ut non incipiat orationes *Libera* et *Hæc commixtio*, priusquam responsum fuerit.

Digitized by Google

Diaconus, cum celebrans incipit *Pater noster*, facta genuflexione, vadit retro post celebrantem, nisi jam eo descenderit, ut numero præcedente dictum est; et dum in oratione dominica dicitur *Et dimitte nobis*, facta genuflexione accedit ad dextram celebrantis, ubi non genuflectit.

Subdiaconus, si patenam teneat, circa finem orationis dominicæ, seu (1) dum dicitur *Et dimitte nobis*, genuflectit eodem tempore quo diaconus genuflectit, et cum eodem ascendit ad altare in cornu Epistolæ, ubi stans a dextris diaconi, ei sine osculis porrigit patenam nondum detectam.

Diaconus patenam discooperit removendo velum, quo cooperitur, eamque dextra sua de manu subdiaconi accipit; deinde sinistra patenam et dextra purificatorium accipiens, patenam exterius et interius purificatorio abstergit, ut ab omni pulvere et humiditate mundetur. Reposito purificatorio juxta corporale, super illud collocat patenam erectam, sic ut pars concava medium altaris respiciat, eamque cum purificatorio utraque manu circa inferiorem partem hinc inde paratam tenet, antequam celebrans in fine orationis dominicæ respondeat *Amen*. Dum celebrans patenam accepturus est eamdem in circumferentia superiori osculatur, et deinde dorsum dextræ celebrantis. Si subdiaconus patenam non teneat, equidem diaconus eodem tempore ascendit ad dextram celebrantis, et patenam tollit de loco, in quo jacet, eamque abstergit, et tradit celebranti, ut dictum est. Diaconus deinde junctis manibus stat ad dextram celebrantis, cum eodem se signat ad *Da propitius pacem;* s. Hostia super patenam posita calicem discooperit, et palla deposita, flectit unico genu cum celebrante. Infra fractionem s. Hostiæ non tenet pedem calicis, sed stat junctis manibus; particula s. Hostiæ in calicem missa, calicem palla cooperit, et genuflectit cum celebrante.

Subdiaconus patena diacono reddita, et ibidem in cornu epistolæ velo humerali deposito per cæremoniarium aliumve ministrum, qui illud plicat et ad credentiam defert, unico

(1) Cærem. Ep. lib. 2, c. 8, n. 73.

Digitized by Google

genu in cornu epistolæ flectit, et deinde descendit per gradus anteriores altaris in planum retro post celebrantem, ibi denuo non genuflectit, et stat junctis manibus usque ad *Pax Domini*, interea tamen genuflectens cum celebrante ante fractionem s. Hostiæ. Dum celebrans cantat *Pax Domini*, flectit unico genu, et ascendit ad sinistram celebrantis, ubi non genuflectit nisi cum celebrante post particulam s. Hostiæ in calicem immissam.

Subdiaconus, si patenam non teneat, inhærendo rubricarum sensui, manet retro post celebrantem usque ad *Pax Domini*, et tunc tantum ad sinistram celebrantis ascendit, ut dictum est.

AGNUS DEI, PAX, USQUE AD DOMINE NON SUM DIGNUS.

Rub. *Et simul dicunt* Agnus Dei : *deinde facta ibidem Sacramento genuflexione, redit post Celebrantem, Diaconus vero a dextris genuflexus expectat pacem : et cum Celebrans osculatur Altare, ipse se erigens simul osculatur illud extra Corporale, et a Celebrante, dicente* Pax tecum, *complexus accipit pacem, sinistris genis sibi invicem appropinquantibus, et ei respondet* Et cum spiritu tuo. *Postea iterum Sacramento in Altari adorato, vertit se ad Subdiaconum retro post Celebrantem, et similiter dat ei pacem. Subdiaconus accepta pace a Diacono, et facta Altari genuflexione, comitatus ab Acolytho vadit ad Chorum, et dat pacem primo cujusque ordinis, dignioribus prius, deinde minus dignis, et reversus ad Altare, facta genuflexione dat pacem Acolytho, qui ipsum comitaverat, qui et aliis Acolythis circa altare dat pacem : deinde Subdiaconus vadit ad dextram Celebrantis, et quando opus est, discooperit Calicem, accipit ampullam vini, et infundit quando Celebrans vult purificare. Diaconus post datam pacem Subdiacono vadit ad librum : et dum Celebrans se communicat, stant ipse et Subdiaconus profunde inclinati versus Altare.*

Digitized by Google

9. *In Missa Pontificali, Assistens accipit, et defert pacem, ut in Cæremoniali habetur.*

---

328. *Celebrans* dicit *Agnus Dei* ut in missa privata, sed voce submissa, sic tamen ut a diacono et subdiacono audiatur.

Diaconus et subdiaconus post immissionem sacræ particulæ in calicem cum celebrante a genuflexione erecti, capite inclinato et manibus ante pectus junctis, simul cum celebrante voce submissa dicunt *Agnus Dei*, pariterque sinistra infra pectus posita, dextra ter pectus percutiunt (1) primo et secundo ad *Miserere nobis*, et tertio ad *Dona nobis pacem*.

Subdiaconus dicto *Dona nobis pacem*, manus jungit, caput erigit, et genuflectit; deinde *redit post celebrantem*, id est, in planum retro post celebrantem : redire enim significat ire ad eumdem locum, unde ventum fuerat. In plano iterum non genuflectit.

Diaconus, dicto *Dona nobis pacem*, manibus junctis flectit a dextris celebrantis utroque genu, quia fit cum mora, et manet genuflexus, donec celebrans, recitata prima oratione *Domine Jesu Christe*, se inclinat ad osculandum altare.

Celebrans recitata prima oratione *Domine Jesu Christe*, ut in missa privata, depositis et extensis manibus super corporale, osculatur altare in medio, et sine genuflexione per suam dextram conversus ad diaconum, dat ei pacem dicens *Pax tecum*, sed caput nec ante nec post dationem pacis diacono inclinans, et cavens ne pollicibus et indicibus humeros diaconi tangat; data pace, sine genuflexione ad altare reversus, corpore mediocriter inclinato, prosequitur orationes ut in missa privata.

Diaconus, celebrante se inclinante ad osculandum altare, se erigit a genuflexione, et erectus, manibus ante pectus junctis non autem super altare positis, simul cum celebrante osculatur altare extra corporale in cornu epistolæ : tum ad

(1) S. R. C. 30 Dec. 1881, n. 3535, 3.

Digitized by Google

celebrantem conversus accipit ab eo pacem, ut quæst. seq. dicetur, celebranti respondens *Et cum spiritu tuo;* deinde reversus ad altare, flectit unico genu, erectus se vertit per suam sinistram, et descendit ante ultimum gradum altaris ad subdiaconum retro post celebrantem; ibi non genuflectit, sed stans versus subdiaconum, habens latus dextrum, ad altare, dat pacem subdiacono, dicens *Pax tecum;* data pace se vertit ad altare, et super infimum gradum altaris flectit unico genu simul cum subdiacono, sic ut juxta se invicem flectentes, medium altaris coram se habeant. Post genuflexionem diaconus ascendit ad librum, seu ad sinistram celebrantis, ibique sine nova genuflexione stat usque ad finem orationum ante communionem.

Subdiaconus, diacono descendente ad pacem dandam, aliquantulum discedit sine genuflexione ad cornu evangelii; ita ut ipse et diaconus, dum adest, stent coram medio altaris; tum faciem ad diaconum convertit, sic ut latus sinistrum ad altare conversum habeat, et a diacono pacem accipit, ut infra dicetur; pace accepta, respondet *Et cum spiritu tuo;* deinde cum diacono flectit unico genu super infimum gradum altaris, ita ut simul flectentes medium altaris coram se habeant. Facta genuflexione, si non habeatur chorus, neque pax ulterius danda sit, ascendit ad dextram celebrantis, ubi stat junctis manibus, et non genuflectit, nisi quando celebrans genuflectit ad *Domine non sum dignus*. Si adsit cæremoniarius, tunc subdiaconus, cum pacem a diacono acceperit, dat illi pacem, et hic eam tribuit acolythis. Absente cæremoniario, ministrantibus autem ecclesiasticis seu acolythis, primus ex iis accedit ad altare, subdiaconus similiter dat ei pacem, et hic eam reliquis acolythis communicat.

Subdiaconus autem, si habeatur chorus, facta genuflexione, cum pacem a diacono acceperit, manibus junctis et comitante acolytho a sinistris seu paulisper præcedente, sine salutatione chori (1), directe accedit ad digniorem, eique dat pacem, et sic omnibus in choro pacem distribuit, scilicet primo cujusque

(1) Praxis Pontif. tom. 1, n. 202.

Digitized by Google

ordinis, qui successive pacem dat alteri subsequenti; in medio genuflectit, dum transit de una ad alteram chori partem. Quoad ordinem distribuendæ pacis servanda est laudabilis locorum consuetudo (1). Pace in choro distributa, subdiaconus revertitur ad altare, genuflectit unico genu ante medium altaris super infimum gradum, et si acolythus comitatus fuerit, se vertit ad illum in cornu epistolæ, et ipsi similiter dat pacem; deinde ascendit ad dextram celebrantis, ut supra dictum est : si acolythus non fuerit comitatus, facta genuflexione statim ascendit ad celebrantem (2).

329. Quomodo clericis pax danda est?

R. Juxta rubricas *complexus accipit pacem, sinistris genis sibi invicem appropinquantibus :* adeoque dans et recipiens se invicem complecti, sinistræ suæ genæ sibi invicem appropinquare debent. Ad quod convenienter faciendum hic modus assignari solet : 1° quicumque dat pacem, non inclinat caput recipienti ante datam pacem sed tantum postea (excepto celebrante, qui ut dictum est, neque post datam pacem caput inclinat, sua superioritate impeditus); accipiens autem ante et post datam pacem caput inclinare debet deferenti pacem, plus minusve pro qualitate personæ; 2° dans pacem super humeros recipientis ponit utramque manum extensam; recipiens autem alterum complectitur utraque manu infra brachia, seu sua brachia supponit brachiis dantis (3); 3° dantis et recipientis genæ sinistræ sibi invicem appropinquant; 4° postquam recipiens pacem caput danti inclinaverit, et deinde se invicem complexi sint, ac genæ sinistræ sibi invicem appropinquent, dans pacem dicit *Pax tecum,* et recipiens respondet *Et cum spiritu tuo;* deinde a se invicem aliquantulum recedentes, sibi invicem caput paululum inclinant.

Si pax laicis detur, tunc si adsit princeps supremus aut magistratus major, iis danda est eodem modo ac clericis, et ordine, quo in cæremoniali Ep. præscribitur; aliis autem

(1) Cærem. Ep. lib. 1, c. 24, n. 12.
(2) Vid. Praxis Pontif. tom. 1, n. 195 et seq. tom. 2, n. 179.
(3) S. R. C. 23 Maji 1846, n. 2915, 7.

Digitized by Google

laicis, etiamsi sint magistratus minor, dominus loci, baro, aliive nobiles, numquam danda est per complexum neque cum patena, sed cum instrumento, ut num. 263 dictum est, quod acolythus offert diacono osculandum post datam pacem subdiacono. Diaconus dicit *Pax tecum*, et acolythus respondet *Et cum spiritu tuo*. Tum acolythus comitatur subdiaconum deferentem pacem, et postquam pax in choro fuerit distributa, acolythus defert instrumentum osculandum (1).

DOMINE NON SUM DIGNUS, SUMPTIO ET ABLUTIONES.

Rub. *Si in Missa solemni fiat Communio, omnia serventur ut supra, sed prius communicet Diaconum et Subdiaconum, deinde alios per ordinem : et Diaconus purificationem eis ministret. Interim a Choro cantatur Antiphona, quæ dicitur Communio.*

---

330. *Celebrans* a *Domine non sum dignus* usque ad ablutiones inclusive omnia peragit ut in missa privata, præterquam quod, dum calix a subdiacono est discooperiendus, extremitates utriusque manus super pedem calicis ponere possit; et quod sumpta ultima purificatione, et ore suo exterso, purificatorium quidem super calicem extendat, sed eumdem vel non vel leviter tantum extergat, relinquens eum subdiacono ulterius extergendum et vestiendum.

Diaconus et Subdiaconus, ille a sinistris et hic a dextris celebrantis stantes, genuflectunt simul cum celebrante ante *Domine non sum dignus* et post sumptionem s. Hostiæ discooperto calice. Infra *Domine non sum dignus* stant corpore mediocriter inclinato, non debent dicere *Domine non sum dignus*, neque dextra pectus ter percutere (2). Dum celebrans

(1) Vid. dec. 5 Jun. 1614, n. 323; Merati p. 2, tit. 10, n. 45, 46 et 47; Praxis Pontif. tom. 1, n. 200.

(2) S. R. C. 30 Dec. 1881, n. 3535, 3.

Digitized by Google

se signat cum s. Hostia et Calice, se non signant. Dicto *Domine non sum dignus*, vel se erigunt cum celebrante, et erecti manent, donec celebrans cubitos super altare ponit ad s. Hostiam sumendam, quando profunde se inclinant versus altare; celebrante autem post sumptionem se erigente, se quoque erigunt; vel post mediocrem corporis inclinationem infra *Domine non sum dignus*, immediate profunde se inclinant, donec post sumptionem celebrans se erigit. Dum celebrans se signat cum sacro Calice ante sumptionem, se quoque profunde inclinant, donec celebrans, sumpto sacro Sanguine, calicem ab ore removet, ad accipiendam ablutionem. Si Celebrans de medio altaris discedat ad digitos abluendos, cum eodem debitam faciunt reverentiam.

Diaconus, ut jam dictum est, stat a sinistris celebrantis; si autem subdiaconus nondum sit reversus a pace danda, cum debitis genuflexionibus ad dextram celebrantis accedere potest, calicem discooperire, et reliqua facere, donec subdiaconus revertitur, quando iterum ad sinistram accedere debet (1).

Subdiaconus post sumptionem s. Hostiæ calicem discooperit, quando opus est. Sumpto s. Sanguine, sinistra super pectus posita, et accepta ampulla vini, infundit vinum in calicem ad nutum celebrantis, non præmissa reverentia, tum quia subdiaconus immediate se erexit ab inclinatione sub sumptione calicis, tum quia celebrans faciem ad altare conversam habet. Dum celebrans primam ablutionem sumit, sinistra accipit ampullam aquæ; et si celebrans e medio altaris discedat ad abluendos digitos, ipse pariter se versus cornu epistolæ retrahit; conversus ad celebrantem, et tum ei facta reverentia, infundit prius vinum et deinde aquam super indices et pollices celebrantis. Infusis vino et aqua, ac renovata reverentia, se vertit per dextram suam ad acolythum, eique ampullas reddit. Subdiaconus non osculatur ampullas, quia eas non tradit, et oscula tantum præscribuntur, dum traduntur.

(1) Merati p. 2, tit. 10, n. 49.

Digitized by Google

331. Si communio in missa solemni distribuatur, celebrans diligentius sumpto s. Sanguine, calicem deponit super corporale versus cornu evangelii, quem subdiaconus palla cooperit. Tum cum debitis reverentiis accedunt diaconus ad dextram celebrantis, et subdiaconus ad sinistram sinens diaconum ante se transire. Diaconus ad dextram celebrantis constitutus, si pyxis super corporali posita sit, eamdem in medium corporalis collocat et aperit; tum omnes genuflectunt et se sistunt ut infra dicetur. Si autem pyxis in tabernaculo sit posita, celebrans et subdiaconus paululum recedentes versus cornu evangelii, ibidem prope altare flectunt utroque genu; et interim diaconus accedens ad medium altaris, debita facta reverentia, tabernaculum aperit, flectit unico genu, erectus collocat pyxidem in medium corporalis, et aperit, atque iterum genuflectit : mox surgente diacono, simul surgunt celebrans et subdiaconus. Tum celebrans in eodem loco, quo genuflexus fuit, versus cornu evangelii constitutus, faciem convertit ad cornu epistolæ, ibique stat junctis manibus, et similiter subdiaconus, qui non dicit confessionem, stat post celebrantem in cornu evangelii; diaconus autem descendit in planum ad cornu epistolæ, ubi versus celebrantem inclinatus, alta voce dicit *Confiteor Deo*, etc. Confessione facta, celebrans cum subdiacono eodem modo stans, dicit *Misereatur* et *Indulgentiam;* diaconus respondet *Amen*, et manet inclinatus, donec responderit *Amen* post *Misereatur*. Deinde celebrans reversus ad medium altaris, genuflectit, accipit pyxidem, et sacram Communionem de more distribuit.

Diaconus et Subdiaconus, si non communicent, post *Indulgentiam* facta in loco suo cum celebrante genuflexione, accedunt ad latera celebrantis, diaconus ad dextrum et subdiaconus ad sinistrum; et dum celebrans dicit *Ecce Agnus Dei*, conversi ad ss. Sacramentum, illi profunde se inclinant. Dum celebrans s. Communionem distribuit, subdiaconus concomitatur a sinistris; diaconus autem, facta ss. Sacramento genuflexione, descendit in planum ad cornu epistolæ pro ministranda purificatione, si autem purificationem non ministret, concomitatur celebrantem a dextris, et si opus sit aut

Digitized by Google

mos fuerit, patenam sub mento communicantium tenet, ut dictum est n. 272, not. 10.

Diaconus et subdiaconus si communicent, ante omnes alios sacram communionem accipiunt; data igitur absolutione, genuflectunt ss. Sacramento in locis suis; deinde accedunt ad secundum gradum ante medium altaris, ubi flectunt utroque genu super suppedaneum capite inclinato tempore, quo Celebrans dicit *Ecce Agnus Dei*. Subdiaconus, licet presbyter sit, non debet assumere stolam (1). Sumpta communione et purificatione ad credentiam, si velint et usus habeat, subdiaconus accedit ad sinistram celebrantis, diaconus autem in cornu epistolæ ministrat aliis purificationem, et si usus non habeat, accedit simul cum subdiacono ad celebrantem; et infra distributionem s. Communionis eumdem comitantur, diaconus a dextris, et subdiaconus a sinistris.

Finita distributione accedunt ad altare; diaconus a dextris et subdiaconus a sinistris. Celebrans deposita pyxide in medium corporalis, se cum subdiacono retrahit versus cornu evangelii, et uterque flectit utroque genu; interim diaconus ad medium altaris accedens, genuflectit, pyxidem cooperit et reponit in tabernaculum; iterumque genuflectit et tabernaculum claudit: tum surgunt celebrans et subdiaconus; celebrans accedit ad medium altaris, ad ejus sinistram diaconus, et ad dextram subdiaconus, qui statim calicem discooperit, et ministrat celebranti ut alias. Si pyxis sit purificanda, deposita pyxide, omnes genuflectunt, si sacra species supersit; deinde celebrans eamdem purificat, et diaconus mox accedit ad sinistram et subdiaconus ad dextram celebrantis. Item si sacræ species supersint, et pyxis super altari servetur usque ad finem missæ, deposita pyxide omnes genuflectunt, diaconus pyxidem cooperit, deinde celebrans missam prosequitur, et diaconus accedit ad sinistram et subdiaconus a dextram celebrantis (2).

(1) S. R. C. 12 Aug. 1854, n. 3029, 14.

(2) Vid. n. 272 et seq. Cærem. Ep. lib. 2, c. 29 et 30; Gavantus p. 2, tit. 10, rub. 9; Merati ibidem n. 51 et seq.; Cavalieri t. 4, dec. 4; Vinitor p. 4, tit. 3.

Digitized by Google

Dum diaconus dicit confessionem, duo acolythi extendunt linteum seu velum album, et genuflexi in gradibus altaris hinc inde facie ad se invicem versa, illud tenent ambabus manibus per quatuor angulos ante communicandos, quoadusque completa fuerit communio. In hunc finem casulam celebrantis elevare non convenit.

Titulus XI.

DE COMMUNIONE, ET ORATIONIBUS POST COMMUNIONEM DICENDIS.

Rub. 3. *In Missa solemni Diaconus defert librum Missalis ad cornu Epistolæ, deinde vadit retro post Celebrantem. Subdiaconus vero vadit ad cornu Evangelii, ubi Calicem mundat, aptat cum purificatorio, Patena et Palla cooperit, plicat Corporale, reponit in bursam, et illam ponit super Calicem coopertum velo, quem collocat in Altari, vel super Credentia ut prius : postea redit ad locum suum retro post Diaconum : qui cum dicit* Ite Missa est, *cum Celebrante vertit se ad populum : et in Quadragesima dicto per Celebrantem* Oremus, *Diaconus in cornu Epistolæ vertens se ad populum, junctis manibus dicit ut supra* Humiliate *etc.; quo dicto vertit se versus Altare a tergo Celebrantis, et Celebrans dicit Orationem super populum.*

332. *Celebrans* sumpta ablutione digitorum, et calice leviter vel non exterso, eumdem in medio corporalis positum relinquit a subdiacono ulterius extergendum et vestiendum, et vadit ad cornu epistolæ, ibique legit communionem; deinde cantat *Dominus vobiscum* et orationes ut in missa privata. In feriis quadragesimæ, in quibus cantanda est oratio super populum, cantato *Oremus* ante hanc orationem, manibus junctis quiescit, donec diaconus *Humiliate* etc. cantaverit,

Digitized by Google

quo cantato orationem incipit. Cantato *Dominus vobiscum* post orationes, non cantat *Ite missa est,* nec *Benedicamus Domino,* nec *Requiescant in pace,* sed audit diaconum illa cantantem; neque etiam secreto dicit *Ite missa est* aut *Humiliate,* quia hæc solum ad populum dicuntur, qui vocem secretam non audit, sed conversus ad altare dicit voce submissa *Benedicamus Domino* et *Requiescant,* quia sunt preces ad Deum (1). Dum cantandum est *Ite missa est,* non prius se convertit ad altare, quam diaconus cantum absolverit (2), nec incipit orationem *Placeat,* antequam diaconus cantaverit *Ite missa est* aut *Benedicamus Domino.*

Diaconus, dum celebrans sumit ablutionem digitorum, accipit utraque manu missale cum cussino seu pulpito, illudque defert ad cornu epistolæ, incedens inter celebrantem et subdiaconum, et in medio altaris debitam reverentiam faciens. Translato missali, si planeta plicata utatur, pergit ad credentiam, ubi deposita latiori stola, resumit planetam plicatam, et deinde accedit ad altare in cornu epistolæ. In cornu epistolæ existens ostendit celebranti antiphonam, quæ dicitur communio; qua ostensa, sine reverentia facienda vadit retro post celebrantem; lecta communione accedit cum celebrante ad medium altaris, ubi debitam facit reverentiam. Post *Dominus vobiscum* renovata reverentia, redit cum celebrante ad cornu epistolæ, et nisi adsit cæremoniarius vel sacerdos assistens, ostendit celebranti orationem dicendam; qua indicata vadit retro post ipsum, ibique, nisi ad alias orationes quærendas et ostendendas interea ad unum aut alterum latus celebrantis accedere debeat, manet usque ad finem orationum : quibus finitis, modo non adsit cæremoniarius vel sacerdos assistens, accedit ad librum claudendum, aut evangelium quærendum, si aliud distinctum ab illo s. Joannis sit legendum. In feriis quadragesimæ, in quibus cantanda est oratio super populum, cantato a celebrante *Oremus,* diaconus sine reverentia altari facienda se vertit ad

(1) S. R. C. 7 Sept. 1816, n. 2572, 22.
(2) Cærem. Ep. l. 2, c. 8, n. 78.

Digitized by Google

populum, faciem vertendo versus cornu evangelii, ne tergum vertat altari; conversus totaliter ad populum, ita ut tergum habeat versus tergum celebrantis, junctis manibus et absque capitis inclinatione cantat *Humiliate capita vestra Deo* in tono *Oremus;* quibus cantatis per eamdem viam revertitur sine reverentia facienda, quia non est in medio altaris. Infra orationes observat ea, quæ dicta sunt n. 315, et infra orationem super populum caput inclinat.

Subdiaconus redditis ampullis, sine reverentia in cornu epistolæ facienda, manibus junctis accedit ad cornu evangelii, incedens per gradum inferiorem seu per planum, cedens diacono locum superiorem, et cum eo in medio altaris eamdem simul reverentiam faciens. Palla et velum calicis suo loco prope corporale relinquuntur, et si velum calicis super credentia relicta fuerit, per acolythum ad cornu evangelii affertur. In cornu evangelii consistens sine nova reverentia facienda, quia eam in transitu ante medium altaris fecit, dextra accipit calicem, eumque purificatorio totaliter extergit, ut dictum est n. 270. Calicem extersum vestit etiam in cornu evangelii, ut n. 271 dictum est. Velo calici imposito, accedit ad medium altaris, plicat corporale, ut ibidem n. 271 dicitur, et in bursam immittit; deinde si calix super altari remaneat, eumdem in medium collocat, et bursam ei imponit, factaque altari debita reverentia, redit ad planum retro post diaconum. Si autem, ut magis decet, calix super altari non maneat, corporali plicato in medio altaris et in bursam immisso, redit ad calicem in cornu evangelii positum, ei bursam imponit, deinde sinistra accipit calicem ad nodum, et dextram ei imponit, eumque defert ad credentiam, vel hac deficiente ad sacristiam; discedens faciem vertit ad cornu epistolæ, et in medio ante infimum gradum altaris debitam facit reverentiam; deposito calice ejusque velo decenter explicato, redit manibus junctis per viam breviorem ad cornu epistolæ ibique sine reverentia facienda, quia medium altaris non transit, infra orationes se collocat in plano retro post diaconum. Orationibus finitis, per planum cum celebrante et diacono ad medium altaris accedit, ibi debitam facit reverentiam, et stat in plano retro post celebrantem et diaconum.

Digitized by Google

Diaconus, orationibus finitis, claudit librum, nisi assistat sacerdos assistens vel cæremoniarius, retro post celebrantem ad medium altaris accedit, ibique debita facta reverentia stat post celebrantem. Cantato *Dominus vobiscum* a celebrante, si hymnus *Gloria* dictus fuerit, iterum debitam facit reverentiam, tum se vertit per suam dextram ad populum, ita ut tergum habeat versus celebrantem, et cantat *Ite missa est;* si autem hymnus *Gloria* dictus non fuerit, stans facie ad altare versa, absque ulla reverentia facienda cantat *Benedicamus Domino.*

Titulus XII.

DE BENEDICTIONE IN FINE MISSÆ ET EVANGELIO SANCTI JOANNIS.

Rub. 7. *In Missa solemni Celebrans eadem voce et modo, quo in Missis privatis, semel tantum benedicit populo, nisi sit Episcopus, vel Abbas, ut infra, et dicto Evangelio secundum Joannem, vel alio ut supra, ministrante Subdiacono librum, si opus est, discedit cum Ministris ordine et modo, quo venerat.*

8. *Episcopus autem ter benedicit populo, etiam in Missis privatis, ut in Cæremoniali habetur.*

---

333. *Celebrans* conversus ad altare post *Ite missa est*, exspectat, quousque a choro responsum fuerit *Deo gratias*, si nempe hoc cantetur (1), quo responso dicit *Placeat.* Eadem alta voce et modo, quo in missis privatis, benedicit populo, et similiter omnia reliqua facit usque ad finem. Si chorus detur, et ipse ante eum transeat, discedens ab altari, ei reverentiam facit.

(1) S. R. C. 11 Sept. 1847, n. 2951, 5.

Digitized by Google

Tempore quo benedictio datur, in choro nihil cantandum est, ut omnes ad benedictionem attendant (1).

Diaconus cantato *Ite missa est*, vel *Benedicamus*, flectit utroque genu super infimum, aut secundum aut alium gradum altaris, juxta consuetudinem ecclesiæ, aliquantulum versus cornu epistolæ.

Subdiaconus similiter flectit utroque genu sub benedictione juxta diaconum in eodem gradu altaris paululum versus cornu evangelii.

Diaconus et Subdiaconus, qui non sunt canonici, infra benedictionem genuflexi, caput profunde inclinant, dum celebrans benedicit populo, et statim sinistra infra pectus posita, capite erecto, dextra se signant : deinde surgunt, et accedunt ad latus celebrantis in cornu evangelii ; subdiaconus scilicet ad sinistram, et ministrat tabellam, si opus sit, eam sinistra coram celebrante tenendo ; et diaconus etiam ad sinistram sed paulo post celebrantem et subdiaconum, vel forte potius ad dextram, quia subdiaconus ad sinistram celebranti ministrare debet : respondent *Et cum spiritu tuo*, *Gloria tibi Domine*, et in fine *Deo Gratias* se signant cum celebrante super frontem, os et pectus ad *Initium* aut *Sequentia;* caput inclinant et genuflectunt, si occurrant, ad quæ celebrans caput inclinare aut genuflectere debet, ut ad *Verbum caro factum est* in evangelio s. Joannis, subdiaconus tabellam interim deponendo.

Subdiaconus, si legendum sit evangelium distinctum ab illo s. Joannis, dum cantatur *Dominus vobiscum* aut *Ite missa est*, vel incipitur oratio *Placeat*, debitam in medio altaris facit reverentiam, ascendit ad cornu epistolæ, et absque reverentia ibidem facienda, accipit utraque manu missale cum pulpito, et defert ad cornu evangelii, incedens per planum, et in medio altaris debitam reverentiam faciens : librum oblique in cornu evangelii collocat ut ad alterum evangelium, et sine reverentia in cornu evangelii facienda, descendit, flectitque utroque genu juxta diaconum, ut supra

(1) Bissus C, n. 198, § 62.

Digitized by Google

dictum est : casu autem quo a cornu evangelii non esset reversus ad benedictionem, librum tenens, in medio altaris utroque genu flectit juxta diaconum, sub benedictione caput profunde inclinat, sed se non signat, cum libro sit impeditus; benedictione data, tempestive surgit, ad librum deferendum ad cornu evangelii, ne celebrans expectare teneatur. Lecto evangelio, librum claudit.

Diaconus et Subdiaconus, lecto evangelio, accedunt cum celebrante ad medium altaris, ibique diaconus a dextris et subdiaconus a sinistris cum celebrante debitam faciunt reverentiam; deinde faciem vertentes versus celebrantem, cum ipso descendunt ad planum ante infimum gradum altaris, ubi facie versus celebrantem se vertentes ad altare, debitam cum eodem faciunt reverentiam; genuflectunt unico genu, si celebrans genuflectat, ut si in altari sit tabernaculum ss. Sacramenti; et licet celebrans non genuflectat, se gerunt juxta dicta num. 118. Erecti, subdiaconus accipit biretum, et se cooperit; diaconus accipit biretum celebrantis, eique offert, tum suum accipit, et se quoque cooperit. Deinde manibus junctis ante pectus, redeunt ad sacristiam eodem ordine et modo, quo ad altare accesserunt, facta reverentia choro, si ante eum transeant, præcedentibus acolythis cum candelabris; primo incedit subdiaconus, sequitur post ipsum diaconus, et ultimo celebrans. In sacristia se constituunt ante crucem, diaconus a dextris et subdiaconus a sinistris; tum posita sinistra super pectus, dextra se discooperiunt, et biretum præ manibus tenentes, vel illo deposito, manibus junctis, cruci caput profunde inclinant; et deinde reverentiam faciunt celebranti, qui eos exigua capitis inclinatione resalutat. Tandem sacras vestes exuunt ordine retrogrado, manipulum, stolam et amictum osculantes, et sacras vestes super mensam debite componentes.

Notent diaconus et subdiaconus, non convenire ut a sacro ministerio ad mundana statim prosiliant, sed ut per aliquod tempus in ecclesia orantes remaneant.

FINIS PRIMI TOMI.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX HUJUS TOMI PRIMI.

PARS I.

Titulus.		Pag.
	Rubricarum definitio et divisio.	1
	Obligatio rubricarum missalis	2
	De S. R. C. decretis	7
	De consuetudine contra rubricas	10
	Missa, divisio, obligatio et conformitas, ac distinctio ritus.	13
I.	De duplici.	16
II.	De semiduplici et simplici, item de dominica et octava .	17
III.	De feria et vigilia	20
IV.	De missis votivis s. Mariæ et aliis	24
	Quibus diebus missa votiva privata et solemnis permittitur et prohibetur	28
	De quibus dici potest missa votiva	40
	De pluribus missis votivis	43
	De *Gloria*, orationibus, *Credo*, præfatione aliisque in missis votivis servandis (1).	47
V.	De missis defunctorum	53
	De quatuor missis defunctorum	56
	De die obitus seu depositionis et missa exequiali . . .	58
	De anniversariis defunctorum	63
	De diebus 3, 7 et 30 defunctorum	65
	De missis privatis defunctorum	68
	De orationibus in missis defunctorum	70
	De obligatione celebrandi missas votivas et de *Requiem* .	73
	De cæcutiente dispensato ad legendam missam votivam B. M. V. et de *Requiem*	77
VI.	De translatione festorum.	80
VII.	De commemorationibus	82

(1) Pag. 51 in fine n. 47 addatur : nisi sint de die infra octavam, quo in casu celebrandæ essent ut in festo, i. e. cum *Gloria* et *Credo*. (S. R. C. 30 Junii 1896, n. 3922, III.)

Digitized by Google

Titulus.		Pag.
	De oratione imperata, de Venerabili, et dicenda in anniversario electionis et consecrationis Episcopi	88
VIII.	De introitu, *Kyrie eleison* et *Gloria in excelsis*	95
IX.	De orationibus	96
	De orationibus ad libitum et *A cunctis,* ac nominibus et cognominibus sanctorum.	103
	De conclusione orationum	106
X.	De epistola, graduali, *Alleluja* et tractu ac de evangelio .	108
XI.	De symbolo	110
XII.	De offertorio, secretis, præfationibus et canone	116
XIII.	De communione, orationibus post communionem, *Ite Missa est,* vel *Benedicamus Domino,* de benedictione et evangelio s. Joannis.	119
XIV.	De ordinanda missa ex supradictis rubricis	120
	De conformitate missæ cum officio ecclesiæ	122
XV.	De hora celebrandi missam privatam	125
	De hora celebrandi missam conventualem.	129
	De obligatione recitandi matutinum et laudes ante celebrationem missæ.	130
XVI.	De iis, quæ clara voce, aut secreto dicenda sunt in missa.	132
	De missa cantata, musica et organo	135
XVII.	De genuflexionibus.	143
	De inclinatione	151
	De elevatione oculorum	157
	De osculis altaris et aliorum.	158
	De crucis efformatione	160
	De manuum junctione, elevatione, extensione, separatione, earumque varia positione	165
	De sessione in missa	173
	Quandonam genuflectendum, standum et sedendum in choro et a circumstantibus	175
XVIII.	De coloribus paramentorum	177
XIX.	De qualitate paramentorum.	187
	Sacrarum vestium significatio	195
	Obligatio sacrarum vestium.	197
	Materia paramentorum	200
	De benedictione paramentorum	205
	De vasis sacris	211
XX.	De altari	217
	De mappis et antipendio altaris	224
	De cruce altaris.	226
	De lumine.	229
	De tabellis, missali, campanula, ampullis	234
	De ornatu altaris	237

Digitized by Google

Titulus. Pag.

PARS II.

I. De præparatione sacerdotis celebraturi 241
Lotio manuum, præparatio calicis, vestitus celebrantis. . 243
II. De ingressu sacerdotis ad altare 248
De agendis ab accessu ad altare usque ad Ps. *Judica* . . 252
III. De principio missæ et confessione facienda 258
IV. De introitu, *Kyrie eleison* et *Gloria in excelsis* 262
V. De oratione 266
De pluribus orationibus et lectionibus, quæ quandoque leguntur 269
VI. De epistola, graduali et aliis usque ad offertorium . . . 270
VII. De offertorio et oblatione hostiæ 275
Oblatio calicis 280
De orationibus *In spiritu humilitatis*, et *Veni Sanctificator*, atque de lotione manuum 284
De oratione *Suscipe sancta Trinitas, Orate fratres* et orationibus secretis 286
De præfatione et *Sanctus* 289
VIII. De canone missæ usque ad consecrationem 291
Memento vivorum 295
Communicantes, Hanc igitur, Quam oblationem 297
Consecratio Hostiæ. 300
Consecratio Calicis. 307
IX. De orationibus *Unde et memores, Supra quæ propitio* et *Supplices* 309
Memento defunctorum 311
Nobis quoque peccatoribus et *Per quem* etc. 313
X. De oratione dominica et *Libera nos* 316
De fractione s. Hostiæ et commixtione particulæ cum s. Sanguine 319
Agnus Dei et tres orationes ante communionem. . . . 322
Domine non sum dignus, et sumptio s. Hostiæ 323
Sumptio calicis, ejus ablutiones et velatio 327
Distributio s. Communionis 335
De missa in qua consecratæ sunt hostiæ pro alio tempore conservandæ 351
Renovatio specierum et purificatio pyxidis. 352
De sacerdote, qui eodem die plures missas celebrat. . . 358
XI. De communione et orationibus post communionem dicendis 363
XII. De benedictione in fine missæ et evangelio s. Joannis. . 366
De ministro in missa privata ejusque officio 373
De missa cantata sine diacono et subdiacono 379
Ritus missæ solemnis 387

Digitized by Google

Titulus.		Pag.
I.	Præparatio celebrantis et ministrorum	389
II.	De ingressu ad altare	391
III.	De principio missæ et confessione facienda	394
IV.	De incensatione	395
	De introitu, *Kyrie* et *Gloria*	405
V.	De oratione	409
VI.	De epistola, graduali et aliis	411
	De evangelio	413
	De concione	421
	De symbolo	424
VII.	De offertorio usque ad incensationem	428
	De incensatione ad offertorium	434
	De agendis ab incensatione usque ad canonem	438
VIII.	De canone missæ usque ad consecrationem	440
IX.	De canone post consecrationem usque ad orationem dominicam	442
X.	De oratione dominica usque ad *Agnus Dei*	444
	Agnus Dei, Pax, usque ad *Domine non sum dignus*	446
	Domine non sum dignus, sumptio et ablutiones	450
XI.	De communione et orationibus post communionem dicendis	454
XII.	De benedictione in fine missæ et evangelio	457

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA DE MONTSERRAT
13020100004899

BIBLIOTECA
DE
MONTSERRAT

B
Armario LXXX
Estante 8ª
Número 18

Digitized by Google